MONUMENTA

ORDINIS

FRATRUM PRAEDICATORUM

HISTORICA

TOMUS IX.

ACTA CAPITULORUM GENERALIUM (VOL. IV.)

RECENSUIT

FR. BENEDICTUS MARIA REICHERT

EIUSDEM ORDINIS

ROMAE
IN DOMO GENERALITIA
10, via dicta « San Sebastiano », 10

STUTTGARDIAE-VINDOBONAE
APUD JOS. ROTH, BIBLIOPOLAM
33, via dicta « Kanzleistrasse », 33

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA S. C. DE PROPAGANDA FIDE
1901

ACTA
CAPITULORUM GENERALIUM
ORDINIS PRAEDICATORUM
VOL. IV.

AB ANNO 1501 USQUE AD ANNUM 1553

IUSSU

REVERENDISSIMI PATRIS

FR. ANDREAE FRÜHWIRTH

MAGISTRI GENERALIS

RECENSUIT

FR. BENEDICTUS MARIA REICHERT

EIUSDEM ORDINIS

ROMAE
IN DOMO GENERALITIA
10, via dicta « San Sebastiano », 10

STUTTGARDIAE-VINDOBONAE
APUD JOS. ROTH. BIBLIOPOLAM
33, via dicta « Kanzleistrasse », 33

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA S. C. DE PROPAGANDA FIDE
1901

LECTORI

Quae in regionibus occidentalibus tum Hispaniae tum Franciae, tabulariis ac bibliothecis diligenter pervestigatis, invenire valui circa capitula generalia ab anno 1501 ad annum 1553 celebrata, in hoc volumine, benevole lector, collecta habes.

Multa quidem et alia apud Hispanos documenta non tam acta capitulorum generalium ipsa quam eorum historiam, ut ita dicam, attingentia mihi occurrerunt, quae tamen in prolegomenis publici iuris facienda relinquo.

Parisiis iterum apographum Echardi (1) partim transcribere, partim cum codicibus in tabulario ordinis servatis conferre oportuit pro actis capitulorum praesertim ab anno 1501 ad 1515 celebratis. Quorum codicum lectiones variae suis in locis inseruntur.

Acta capitulorum, quae hoc in tomo recensentur, integra esse quoad ordinis legislationem, confirmationes nempe, ordinationes admonitionesque pro certo habeas; sed ne idem de provisionibus studiorum, suffragiis, acceptationibus conventuum, denuntiationibus, commissionibus aliisque non stricte ad ordinis disciplinam institutionesque pertinentibus expectes. Cuius

(1) Cf. tom. IV pag. 2.

*

rei ratio indubia est, quia unaquaeque provincia nonnisi leges sive totam praedicatoriam familiam concernentes sive specialiter sibi datas attendebat, reliqua vero, quae alias provincias seorsim respiciebant, tamquam sibi inutilia praetermittebat. Unde contigit v. gr. ut Hispanorum codices nonnisi nomina lectorum et studentium illius nationis exhibeant, neglectis omnino assignationibus pro studiis provinciarum aliarum; hae autem simili modo fecerunt.

Qua incuria quot nomina fratrum perierint, coniicere poteris, si conferas acta genuina, aliquando ad duo centum et plus nomina lectorum continentia, cum actis mutilatis, quae vix quindecim ad viginti lectores exhibent. Adeas inter cetera acta capituli generalis Mediolani celebrati anno 1505, a pagina 46 ad paginam 56, et acta capituli Romani anni 1532 a pagina 248 ad 252.

Actorum, quae in hoc tomo recensentur, aliqua typis iam prodierunt, puta, acta capituli Romae celebrati anno 1518, Salmanticae 1551, Romae 1553, omnia sine loco et anno; sed paulo post habita capitula typis tradita esse suspicari licet. Acta capituli Papiae cel. a. 1507 prelum reliquerunt Romae apud N. A. Tinassium, anno 1656, una cum actis capituli Romani eiusdem anni. Acta denique capituli Salmanticensis iterum prelum subierunt Romae apud Antonium Bladum. Reliquorum capitulorum acta manuscripta manent sive in codice sign. n. 1529 Parisiensis archivii nationalis sive in codicibus III 3, III 5 tabularii ordinis generalis; et isti quidem sunt codices, quibus ad textum conficiendum utebar.

Hispanis, Gallisque bibliothecarum ac tabulariorum moderatoribus, qui perhumane mea studia iuverunt, fratribusque, qui me peregrinum tectis ac sedibus hospitaliter exceperunt, gratias refero quam maximas.

Dabam Romae anno 1901, die vero ianuarii 19, beato Andreae a Pescharia sacra, quae est onomastica reverendissimi patris nostri ac magistri generalis, fr. Andreae Frühwirth, huius operis munificentissimi fautoris.

Fr. Benedictus Maria Reichert
Ord. Praed.

TITULUS COMPLETUS

LIBRORUM PLURIES CITATORUM

Bullarium Ord. FF. Praedicatorum opera Fr. Thomae Ripoll editum. IV et V. Romae 1732–1733.

Brunner Seb., Der Predigerorden in Wien und Oesterreich. Wien 1867.

Hoogland Alb., Conspectus Historicus et Statisticus Provinciae Germaniae Inferioris Fratrum Sacri Ordinis Praedicatorum. Rotterdami 1895.

Masetti, Monumenta et Antiquitates veteris disciplinae Ord. Praed. ab anno 1216 ad 1348 praesertim in Romana Provincia, Praefectorumque qui eandem rexerunt Biographica Chronotaxis. II. Romae 1864.

Scriptores Ordinis Fratrum Praedicatorum recensiti a PP. Iac. Quetif et Iac. Echard. II. Lutetiae Parisiorum, 1721.

Siglis usus sum his:

BO = Bullarium Ordinis Praedicatorum.
MOPH = Monumenta Ord. FF. Praedicatorum Historica.
P = Codex Parisiensis (= Apographum Echardi).
P = Codex III 3 } tabularii ordinis generalis.
S = Codex III 5 } tabularii ordinis generalis.
SSOP = Scriptores Ord. Praedicatorum.
Uncinis ( ) inclusi, quae delenda, uncinis [ ], quae addenda esse puto.

ACTA CAPITULORUM GENERALIUM ORDINIS PRAEDICATORUM

VOL. IV.

ACTA CAPITULORUM GENERALIUM
ORDINIS PRAEDICATORUM

In nomine domini. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS ROME CELEBRATI IN CONVENTU S. MARIE SUPER MINERVAM IN FESTO PENTECOSTES DIE · XXX · MAII ANNO DOMINI · M°· D°· I°·

Sub reverendissimo patre fr. Vincencio de Castronovo (1) s. theol. clarissimo professore, tocius ordinis predicatorum generali magistro, in capitulo generali per viam scrutinii unanimiter ac concorditer et pacifice electo, diffinientibus communiter reverendis patribus provincialibus et diffinitoribus suarum provinciarum videlicet:

fr. Antonio de Gleda (2) magistro, provinciali provincie Tholosane,
fr. Antonio Geneti magistro, provinciali Francie,
fr. Petro de Cavalcantibus de Utino (3) magistro, prov. prov. S. Dominici,
fr. Ludovico de Viterbio (4) magistro, provinciali Romane provincie,
fr. Stephano de Cajeta (5) magistro, provinciali prov. Regni Sicilie,
fr. Valentino de Ungaria (6) magistro, provinciali provincie Ungarie,
fr. Iohanne de Roma (7) magistro, provinciali provincie Grecie,
fr. Vincencio Merlino de Veneciis (8) magistro prov. prov. Terre sancte,
fr. Petro Andrea de Alexandria (9) mag. prov. prov. Lombardie superioris,
fr. Iohanne Corona de Iadra magistro provinciali provincie Dalmacie,
fr. Iacobo Iam Grego magistro provinciali provincie Trinacrie,

11) fr. — Trinacrie *ante* Epistola *om.* P. — de Gleda *om.* P.

(1) De fr. Vincentio de Castronovo cf. MOPH. VIII, 382.
(2) De fr. Antonio de Gleda cf. l. c. pag. 345.
(3) De fr. Petro de Calvancantibus cf. l. c. pag. 422.
(4) De fr. Ludovico Gentili de Viterbio cf. l. c. pag. 279.
(5) De fr. Stephano de Gaeta cf. l. c. pag. 384.
(6) De fr. Valentino de Ungaria cf. l. c. pag. 364 et 423 not.
(7) De fr. Ioanne de Roma cf. l. c. pag. 384.
(8) De fr. Vincentio Merlino cf. l. c. pag. 422.
(9) De fr. Petro Andrea cf. l. c.

fr. Alphonso Aquillar de Hispania (1) mag. et diffinitore prov. Hispanie,
fr. Thoma Clementis magistro et diffinitore provincie Francie,
fr. Stephano Belcaudi magistro et diffinitore provincie Tholosane,
fr. Iacobo Leopoldo de Utino (2) mag. et diffinitore prov. S. Dominici,
fr. Stephano de Bontempis de Florencia mag. et diff. prov. Romane,
fr. Thoma de Aversa (3) magistro et diffinitore prov. Regni Sicilie,
fr. Alexio Puezl (4) magistro et diffinitore prov. Theutonie,
fr. Iohanne Benedicti magistro et diffinitore prov. Ungarie,
fr. Morgano Iohannis magistro et diffinitore prov. Anglie,
fr. Bartholomeo de Eugubio diffinitore provincie Grecie,
fr. Vincencio Frigerii de Veneciis (5) diffinitore provincie Terre sancte,
fr. Laurencio Nicolai (6) magistro et diffinitore provincie Dacie,
fr. Bartholomeo Stephani de Maioricis (7) mag. vices provincialis Aragonie habente,
fr. Ludovico Fongues magistro et diffinitore provincie Aragonie,
fr. Laurencio de Ucellis mag. et inquis. et diff. Lombardie superioris,
fr. Petro Magni magistro et diffinitore prov. Provincie,
fr. Thoma de Cataro diffinitore provincie Dalmacie,
fr. Hermano (8) magistro et diffinitore provincie Saxonie,
fr. Antonio de Maida diffinitore provincie Trinacrie.

Epistola reverendissimi magistri ad totum ordinem.

Universis et singulis fratribus ordinis predicatorum frater Vincencius Bandellus de Castronovo sacre theologie professor ac eiusdem ordinis humilis magister et servus salutem et spiritum obediencie salutaris.

Cum ad supremum apicem ordinis nostri non mea merita, sed vestra benignitas eaque de me existimacio, quam vobis pius affectus et forte plus quam se rei habeat veritas, evexerint, in omnium salvatorem spem nostram omnemque cogitatum iactans, confidens plurimum in gloriosa matre dei divoque patre nostro Dominico, confisus quoque, quod

6) Aversa] Autisa PR. — 22) ac — magister *om.* R. — 27) se *om.* R. — 29) divoque] divinoque — quoque] etiam P.

(1) De fr. Alphonso de Aquillar cf. l. c. pag. 393.
(2) Videtur idem esse ac Iacobus Tina de Utino, de quo l. c. pag. 434.
(3) De fr. Thoma de Aversa cf. l. c. pag. 384.
(4) De fr. Alexio Puezl (Puchel) cf. l. c. pag. 364.
(5) De fr. Vincentio Frigerii cf. l. c. pag. 383.
(6) De fr. Laurentio Nicolai cf. l. c. pag. 321.
(7) De fr. Bartholomaeo Stephani cf. l. c. pag. 410.
(8) Videtur esse idem ac Hermannus Rab, de quo SSOP. II, 62.

preter spem et desiderium meum provinciarum priores, diffinitores et electores unanimi voto in magistrum ordinis, imo pocius vestrum omnium servum elegerint, quod non possum non credere sola divina providencia actum esse, ideo firmiter et pie existimo, talem nobis divine inspiracionis graciam affuturam vobisque eum religionis amorem immitti e celis, quo et nos ea, que communem ordinis nostri reformacionem et regularem vitam concernunt, ordinare disponereque possimus, et vos omni ea humilitate, omnibus votis omnique obediencia complectamini. In nomine siquidem domini et invocato spiritus sancti numine congregati cum provinciarum reverendis prioribus et diffinitoribus discretisque patribus studuimus inquirere et inter nos mature conferre ac consulere et ordinare quedam, que charitatem et pacem omnium pariant et conservent, deformitate declusa, regularem vitam pene extinctam reparent, honestatem vite doceant, pulchritudinem conversacionis afferant, et eos mores inducant, qui sanctos decent, quive edificent populos et salutem animarum ad laudem conditoris procurent.

Presertim vero nisi sumus multa disponere, que litterarum studia concernunt, ut fratres nostri, sicut eos nolumus carere vite sanctimonia, ita effulgeant lumine sciencie, ut iuvenes, qui pollent ingenio, optimis disciplinis imbuantur; qui vero iam eruditi, sed desidia quodammodo sub modio abscondebantur, ponantur super candelabrum et luceant omni Christi ecclesie omnique fidelium populo.

Oramus igitur et charitatis visceribus ac zelo religionis accensi per dominum Iesum salvatorem nostrum eciam atque eciam obsecramus, ut has paternas admoniciones, hec saluberrima statuta, que non gravia, sed honesta, non difficilia, sed amabilia, que non arrogancia aut supersticione, sed urgente charitate et honoris divini et animarum vestrarum zelo ordinavimus et vobis transmittimus, ut boni filii a bono parente dulcissima monita omni affectu et devocione suscipiatis, impleturi gaudium meum et desiderium meum, ut filii lucis sitis et dei carissimi filii, ut ambuletis digne vocacione, qua vocati estis.

Obnixe eciam postulo et per viscera pietatis impono, ut crebras ad dominum pro me offeratis preces, ut possim impositum michi munus exequi, omnes consolari et tandem in celesti regno cum omnibus vobis patribus, fratribus et filiis in Christo omnipotenti deo presentari.

Valete.

Iste sunt confirmaciones.

In primis confirmamus istam, quod festum divi Vincencii confes-

4) esse] fuisse P. — 6) communem *om.* R. — 8) omni ea] cum omni P. — 13) declusa] seclusa P. — 18) vite *om.* P. — 24) eciam atque eciam] etiamque P. — 29) impleturi] implete P. — 30) sitis *om.* P. — 33) munus] onus P. — 35) patribus] et *add.* P. — 38) in primis *om.* R.

soris ordinis nostri utrasque vesperas habeat, non obstante, quod festum sancti Ambrosii concomitetur, de quo fiat tantum memoria in primis vesperis sancti Vincencii. Et hec habet duo capitula generalia.

Item. Confirmamus hanc, quod iste quatuor octave solemnes fiant, videlicet octave ascensionis, ad instar octavarum pasche, et octave assumpcionis beate virginis, ac octave omnium sanctorum et octave beati Dominici patris nostri ad instar octavarum nativitatis domini nostri. Et hec habet duo capitula.

Item. Confirmamus hanc, quod in provincia Lombardie superioris in feria quinta, quando fuerit omnino vacans, possit fieri de sancto Petro martire eo modo, quo fit feria tercia de beato Dominico; et idem fiat in provincia Romana de beata Catherina Senensi extra tempus quadragesime nisi in prima feria quinta post octavam epiphanie, in qua iuxta rubricam de sabato debet fieri de feria. Et hec habet duo capitula.

Item. Confirmamus istam, quod in feria tercia, quando fit de beato Dominico, secunda oracio in missa sit communis sanctorum nostrorum videlicet: Concede, quesumus, omnipotens deus, ut ad meliorem etc. Secreta cum oracione post communionem erunt de festo sanctorum Felicis et Agapiti, mutatis nominibus. Et hec habet tria capitula.

Item. Confirmamus hanc, quod de sanctis apostolis et evangelistis et quatuor doctoribus fiat totum duplex et Credo in missa dicatur. Et hec habet tria capitula.

Item. Confirmamus hanc, quod fiant octave angelorum et festum sancti Remigii transferatur in primam feriam vacantem, et de sancto Ledogario fiat tantum memoria sicut de aliis memoriis, que infra octavas quascumque evenerint, et que cum festo trium lectionum vel maiori occurrunt fieri debere declaramus. Et hec habet tria capitula.

Iste sunt ordinaciones.

In primis dei cultum rebus omnibus preferentes, volumus et ordinamus, quod officium divinum diurnum pariter et nocturnum tam de tempore quam de beata virgine in singulis conventibus nostris cum debitis inclinacionibus et prostracionibus pro tempore ac pausis, non minus distincte ac devote quam breviter et succincte, sine caudis et protractione vocis iuxta nostrarum seriem constitucionum a fratribus persolvatur. Et quando cantari debet et potest, cantetur; cui omnes fratres clerici sollicite studeant interesse; a quo nullus sit exemptus, debilibus ac legitime occupatis dumtaxat exceptis; nolentes, quod aliquis frater

1) confessoris *om.* P. — 3) generalia *om.* P. — 5) octave *post* et *om.* R. — 6) octave *post* et *om.* R. — 7) octavarum *om.* P. — 17) etc] vitam P. — 19) Felicis et] Sixti Felicissimi P. — 25) Ledogario] Leovigildo P. — 26) et] vel P. — 30) divinum *om.* R. — 33) devote] debet R. — 37) aliquis frater... graduatus... fuerit... occupatus.., intelligatur exemptus...] aliqui fratres... graduati... fuerint... occupati... intelligantur exempti P.

quantumcumque graduatus, excepta infirmitatis causa, nisi fuerit in actu lectionis seu in actu predicacionis aut alterius obediencie quotidie occupatus, a sequela chori precipue a missa conventuali, completorio et vesperis festivitatum simplicium et supra, intelligatur exemptus; mandantes prioribus et presidentibus conventuum, quatenus transgressores taliter studeant coercere et gravibus penitenciis castigare, quod per eos hec ordinacio inviolabiliter observetur, nec ullo modo permittant, quod tempore officii fratres per ecclesiam ambulent seu inaniter discurrant.

Item. Ordinamus et statuimus, ut pro edificacione secularium et ostensione reverencie et devocionis ad deum et beatam virginem, (quod), quando in choro dicitur: « Sit nomen domini benedictum », fratres stent et caput reverenter inclinent; et idem faciant, quando « Ave maris stella » inchoatur. Quando vero in missa « Gloria in excelsis » et in vesperis « Magnificat » inchoatur, in ipsa inchoacione fratres caput cum reverencia discooperiant; quod eciam faciendum est, quoties in choro aliqua oracio dicitur.

Item. Ut uniformitas ubique in divino officio observetur et confusio ab ordine tollatur, ordinamus, quod festum trium lectionum non possit ultra octo dies transferri, et in hoc rubricam alias consuetam observari.

Item. Hortamur presidentes conventuum ac eorum consciencias gravamus, ut omni diligencia procuretur mundicia rerum sacrarum, maxime vero corporalium sive mapparum et panniculorum altaris, vestium, paramentorum et omnium eorum, que ad usum missarum deputantur; et ut fratres devote missas celebrent servando inclinaciones et ceremonias. Nec volumus, quod aliquis frater pretextu lectionis, lectorie preterite seu cuiuscumque alterius officii infra provincialatum sit ab hebdomadaria seu a communibus officiis quovis modo exemptus.

Item. Religionem collapsam et totaliter deformatam erigere et reformare cupientes, statuimus et ordinamus ac districte precipiendo mandamus universis et singulis prioribus provincialibus et conventualibus et eorum vicariis ac eciam locorum presidentibus, quatenus omnes domos et fratres eis creditos efficaciter exemplo, verbo et opere reformare procurent secundum regulas et constituciones nostras, tam in substancialibus votis, quam in cerimonialibus, quantum condicio conventuum et regionum ac humana fragilitas permittit; et quia religionis condicio et decor maxime ex obediencia consurgit, rerum communitate proficit, castitate perficitur et doctrina illustratur, volumus, quod circa predicta diligenter invigilent et studium apponant, quod in victu, vestitu, et in moribus et

---

8) seu inaniter] sive P. — 17) observetur] servetur P. — 18) quod] ut P. — 19) observari] servari P. — 21) procuretur mundicia] procurent mundiciam P. — 22) sive *om.* P. — 28) collapsam] lapsam P. — 34) condicio] forma P.

ceremoniis constituciones nostre serventur, ut sicut sub unius professionis voto, seu sub unius generalis magistri obediencia vivimus, ita uniformes in observanciis canonice religionis inveniamur.

Item. Quia, teste scriptura, obediencia omnibus sacrificiis anteponitur, sine qua omnis ordo confunditur, pax et unitas religionis tollitur aut perturbatur, volumus et ordinamus, quod omnes et singuli fratres cuiuscumque gradus et condicionis existant, teneantur suis prelatis reverenciam et obedienciam prestare, et permaxime reverendissimo magistro, cui omnes per votum professionis obedienciam promiserunt, quia non aliter sub unius professionis voto vivimus, nisi quia sub unius generalis magistri obediencia gubernamur. Mandantes omnibus et singulis fratribus nostris sub pena gravioris culpe, quam contrafaciendo ipso facto incurrant, ut nullus litteras reverendissimi magistri aut priorum provincialium retinere, occultare aut, ne suum consequantur effectum, impedire quovis modo aut eorum preceptis contravenire presumat; et eandem penam volumus incurrere omnes et singulos fratres, qui per quamcumque personam extra obedienciam nostri ordinis constitutam quovis modo procuraverint ordinacionem de se vel de alio fratre per suos prelatos factam vel obedienciam sibi vel alteri impositam revocari vel ad aliquem gradum seu ad aliquod officium promoveri vel in aliquo conventu assignari vel inde amoveri. Et volumus huiusmodi fratres nostri ordinis perturbatores et destructores omnibus graciis et beneficiis et officiis ordinis et omni voce tam activa quam passiva esse privatos, nec cum eis nisi per reverendissimum magistrum ordinis posse dispensari.

Item. Quia sicut scriptum est: in multis offendimus omnes, et culparum ac defectuum multiplicacio, nisi per congruam penitenciam expietur, in grave periculum animarum cedit et confusionem ac ruinam magnam in ordine inducit, volumus et ordinamus, ut singuli priores conventuales in suis conventibus de quindena in quindenam vel saltem semel in mense capitulum de culpis iuxta nostrarum seriem constitucionum tenere debeant, quatenus ex frequentibus admonicionibus et reprehensionibus pravi mores corrigantur et in melius reformentur; a quo nullus frater, cuiuscumque gradus aut condicionis existat, remanere presumat, nisi propter infirmitatem aut aliam causam de licencia prelati. Priores autem qui in hoc negligentes inventi fuerint, ab eorum officiis ipso facto per octo dies qualibet vice sint indispensabiliter suspensi. Nec aliquis frater possit eligi in priorem nec confirmari, nisi sciat in suo conventu

---

2) seu *om.* R. — 5) ordo *om.* P. — 8) magistro *om.* P. — 12) nostris] ordinis P. — 13) aut — effectum *om.* P. — 15) et *om.* P. — 18) fratre *om.* R. — 19) factam *om.* P. — impositam] iniunctam P. — revocari] vel removeri *add.* P. — 23) et officiis *om.* P. — 25) sicut *om.* P. — 26) multiplicacio] multitudo P. — 34) aliam] arduam P. — 35) ab eorum] a suis P.

fratribus capitulariter congregatis competenter proponere verbum dei, sicut volunt constituciones nostre.

Item. Cupientes religionem collapsam erigere et per moderatum et discretum regimen prelatorum ad aliquam reformacionem adducere, volumus et ordinamus, quod priores provinciales, quorum potissimum interest conventus visitare, errata corrigere, bonos hortari et fovere, malos compescere et exturbare, studia erigere et promovere, ex eorum tantum numero eligantur, qui doctrina, moribus et zelo religionis aliis preemineant et qui super omnia sint discrecione, prudencia et sanctimonia prediti, ut sciant et possint fratres sibi subditos erudire, dirigere et imperfectos ad perfectionem, deformatos ad regularem et recte vivendi formam reducere.

Item. Obedienciam subditorum erga superiores et pacem inter prelatos nostri ordinis servare cupientes, statuimus et ordinamus, quod nullus frater in conventu reformato professus, si absque licencia sui prelati ab eo recesserit, possit de cetero in conventibus extra suam congregacionem recipi aut retineri; mandantes omnibus et singulis prioribus provincialibus et conventualibus ac presidentibus conventuum in virtute spiritus sancti et sancte obediencie et sub pena suspensionis a suis officiis, quam ipso facto incurrant, ne huiusmodi fratres sine licencia sui vicarii generalis aut reverendissimi magistri recipere vel ultra duos dies retinere presumant, mandantes sub eisdem penis vicariis generalibus aut reverendissimi magistri, presidentibus conventuum vite regularis, ne fratres de vita communi sine licencia sui prioris provincialis aut reverendissimi magistri recipere aut ultra predictum terminum duorum dierum retinere presumant. Nec volumus in locis, in quibus sunt duo conventus nostri ordinis, quod presidens unius conventus (possit) sub pretextu cuiuscumque cause fratres alterius conventus sine licencia sui prelati ullo modo recipere possit; nec fratres unius provincie recipiantur in alia provincia sine litteris testimonialibus sui prioris provincialis vel reverendissimi magistri ordinis; nec aliquis frater ordinis sub pena carceris, quam ipso facto incurrat, accedere ad curiam sine expressa licencia sui prioris provincialis vel vicarii generalis sue congregacionis vel reverendissimi magistri, nec in eadem moram facere presumat, nisi prius se presentet procuratori ordinis aut locum eius tenenti et ei causas et negocia, que habet pertractare, fideliter exponat. Volentes, quod conventus, qui fuerunt sub cura priorum provincialium, contribuciones consuetas eis solvere teneantur. Mandantes presidentibus dictorum conventuum, quatenus ad omnem requisicionem priorum provincialium dictas contribuciones

3) collapsam] relapsam P. — 4) aliquam] aliqualem P. — 22) mandantes — presumant *om.* P. — 29) possit *om.* P. — 31) ordinis *om.* R. — 34) facere] trahere P.

absque contradictione integraliter solvant ac reverendos provinciales, quando contingat ad eos declinare, cum honore suscipiant et caritative pertractent; districte prohibentes, ne fratres regularis vite conventus non sibi subiectos capere vel ut eis subiiciantur, procurare presumant sine licencia reverendissimi magistri aut priorum provincialium illorum conventuum. Ut autem debitus ordo et reverendorum provincialium ordinaria auctoritas observetur et excessibus ac scandalis obvietur, maturo super hoc habito consilio unanimiter statuimus et deinceps inviolabiliter observari mandamus, ut quotiescumque conventus aliquis scandalose vivens necessario reformandus venerit ad peticionem principum vel communitatum, reverendissimus magister ordinis per suas patentes litteras provinciali, in cuius provincia conventus ille extiterit, insinuabit, ut illum reformet in essencialibus et precipue in communitate bonorum omnium et in stricta clausura et in cerimoniis ordinis, quantum humana permittet fragilitas, et esu carnium tribus diebus in hebdomada, maxime, ubi conventus propter suam paupertatem aut loci situacionem pisces facile habere non posset; quam quidem sic factam per provincialem reformacionem, dummodo si observata extiterit, sufficere et veram esse declaramus ac presenti statuto decernimus. Si vero prefati provinciales post denunciacionem et intimacionem per litteras reverendissimi magistri sufficienter illis factam per se vel per alium ydoneum infra tempus deputandum per reverendissimum magistrum id facere negligentes extiterint, reverendissimus magister ordinis conventum predictum, cui voluerit reformandum committere poterit. Districte in virtute spiritus sancti et sancte obediencie et sub pena excommunicacionis late sentencie unica pro trina canonica monicione premissa, quam sedentes ferimus in hiis scriptis, precipientes, ne alia auctoritate, preter quam ordinis et reverendissimi magistri, quicumque eciam vicarii conventuum reformatorum pro huiusmodi reformacione aggredi aut attemptare presumant; quod si secus fecerint, sit illud irritum et inane; eos vero, qui id facere temptaverint, excommunicacionis sentenciam ipso facto incurrisse declaramus, a qua non possint absolvi preterquam a reverendissimo magistro ordinis. Prefatam autem excommunicacionis sentenciam execucioni demandandam committimus reverendis provincialibus secundum casus predictos; cui quidem execucioni teneantur ceteri vicarii obedire.

Item. Ordinamus, sicut iam sepius fuit ordinatum, quod conventus novi teneantur solvere reverendissimo magistro ordinis singulis annis contribuciones, prout concordaverint; monasteria vero monialium pro subsidio rerum agendarum pro ordine dent eidem singulis annis unum du-

---

14) stricta clausura] strictura clausure R. — 36) fuit] est P. — 37) singulis annis *om.* P. — 39) pro ordine *om.* P.

catum; mandantes omnibus et singulis prioribus predictorum conventuum sub pena absolucionis ab eorum officiis, ut infra sex menses a noticia presencium debeant predictas contribuciones eidem magistro solvere.

Item. Mandamus omnibus et singulis fratribus nostri ordinis sub pena excommunicacionis, quam ipso facto contrafaciendo incurrant, unica pro trina canonica monicione premissa, ac eciam sub pena privacionis omnium bonorum, ne quis presumat bullas quascumque questuarias predicare, aut cum questuariis ceretanis huiusmodi indulgenciarum bullas predicantibus se in socios adiungere sine expressa licencia reverendissimi magistri ordinis, prohibentes sub eadem pena, ne aliquis frater presumat in terminis aliorum conventuum nostri ordinis discurrere, vagari, predicare, questuare aut moram trahere absque licencia presidencium conventuum, quibus damus facultatem, ut huiusmodi fratres sic vagantes possint punire et carceri mancipare, invocato, si opus fuerit auxilio brachii secularis, non obstantibus quibuscumque litteris aut quacumque alia licencia.

Item. Cum in quacumque religione vicium proprietatis sit execrabile, in ordine precipue predicatorum, in qua fratres in arctissima paupertate vivere debent, et quorum professioni abdicacio proprietatis est adeo annexa, ut super ea non valeat eciam summus pontifex indulgere, maxime detestandum et cum summo studio vitandum est, idcirco cupientes communitatem rerum, ad quam ex voto professionis nostre tenemur, in omnibus conventibus nostri ordinis inducere, et vicium dampnate proprietatis damnare et ab omnibus fratribus removere, statuimus et ordinamus, et prioribus provincialibus ac presidentibus conventuum mandamus, ut omnem diligenciam adhibeant, quod de collectis elemosinis tam in terminis quam in missis et officiis et de omnibus aliis ad conventum venientibus seu eciam de redditibus taliter disponatur, quod fratres in communi vivant et quod nullus frater, cuiuscumque condicionis aut gradus existat, eciamsi magister fuerit in theologia, extra commune refectorium aut hospicium, excepta infirmitatis causa, regulariter comedere aut mensam tenere presumat, sed omnes in refectorio aut hospicio ad communem mensam conveniant et facta benedictione cum silencio et lectione mense comedant. Nolentes, quod alibi comedentes panem aut pictanciam a conventu recipiant; mandantes in virtute spiritus sancti et sancte obediencie omnibus et singulis fratribus nostri ordinis, ne aliqua bona temporalia nisi ad usum tantum et de licencia suorum prelatorum teneant, nec ea vendere, donare aut pignorare, commutare

---

3) eidem magistro solvere] persolvisse P. — 8) ceretanis *om.* R. — 12) questuare *om.* R. — presidencium] dictorum *add.* R. — 20) eciam *om.* R. — 22) ad — tenemur *om.* R. — 24) damnare et *om.* R. — 30) condicionis aut *om.* R. — 38) prelatorum] superiorum R.

vel quovis modo alienare, nec pecunias aut alia bona apud mercatores, campsores, seu apud personas extra nostri ordinis obedienciam constitutas tenere sine licencia presumant; mandantes sub interminacione maledictionis eterne et privacione omnium graciarum ordinis, ne quis negociaciones seu mercancias aut artem alchymie exercere presumat. Volentes eciam sub eodem precepto, quod omnes et singuli fratres teneantur saltem semel in anno de mense septembris omnia bona eis commissa, ad usum concessa, ad pedes sui prelati realiter ponere vel saltem omnia integraliter et fideliter in scriptis redigere et suis presidentibus tamquam seipsos omnium rerum proprietate expoliantes presentare. Qui vero hoc facere neglexerint, sint omnibus bonis sibi concessis tenore presencium privati, et si contingeret eos cum tali proprietate mori, omnibus beneficiis ordinis et ecclesiastica sepultura privamus et tamquam proprietarios privatos esse denunciamus.

Ad tollendam eciam proprietatem, et ut possint conventus melius reformari, volumus, quod provinciales mutent fratres saltem de biennio in biennium, exceptis senibus et infirmis; volentes, quod infirmarie et loca deputata ad recepcionem hospitum et infirmorum sint libera, et non occupentur ab aliquo preterquam ab infirmis vel hospitibus, revocantes omnes litteras, si que essent contra premissam ordinacionem concesse.

Item. Cum salus animarum, que per studium et predicacionem procuratur, sit magis de intencione ordinis quam carencia possessionum et reddituum, et in pluribus conventibus propter defectum rerum temporalium studium et predicacionis exercicium ac devocio circa divinum cultum et regularis observancie desiderium penitus defecerit, non valentibus fratribus eciam cum magna et importuna sollicitudine ac insolita multiplicacione questuum et non sine magna relaxacione regularis vite et distractione ac eciam periculo animarum, ea que sunt necessaria ad victum et ad promocionem studii et divini cultus invenire, tum propter multitudinem questuancium et ceretanorum, tum propter sterilitatem locorum, tum propter indevocionem habitatorum quarumdam regionum, in quibus caritas refriguit, qui parcas et tenues elemosinas eciam invite largiantur, cupientes huic malo obviare hortamur in domino et, quantum possumus, astringimus omnes et singulos fratres nostri ordinis, ut in conventibus, qui sine redditibus commode et sufficienter vivere et competentem fratrum et studencium numerum tenere non possunt, curam diligentem possessionum in communi habitarum et in futuro habenda-

---

5) aut artem *om.* P. — 7) septembris] novembris R. — commissa *om.* R. — 14) denunciamus] declaramus R. — 15) melius *om.* R. — 16) de] semel in R. — 21) cum] ut R. — 22) carencia] convencio R. — 26) insolita *om.* R. — 28) eciam *om.* R. — 31) habitatorum] habitancium R. — 32) eciam *om.* R.— invite] in vita R. — 33) huic] ruine et *add.* R.

rum habeant et sine scrupulo consciencie collatas recipiant, et si possibilitas adsit, emant, cum tali tamen modestia, quod mendicitatis nomen et meritum non amittant, quatenus per huiusmodi redditus inter egestatem et affluenciam medium tenentes fratres a frequentibus et periculosis discursibus ac distractionibus et a multiplici et excessiva sollicitudine questuum liberati facilius et commodius valeant litterarum studiis et lectionibus vacare et cultui divino ac devocioni et contemplacioni et aliis regularibus observanciis ardencius intendere, cum constituciones nostre hac de causa possessiones et redditus prohibuerint, ne fratres circa talia nimis intenti et occupati, pretermisso studio et predicacionis officio a divino cultu distracti deficerent ac desisterent a fine, propter quem est ordo noster principaliter institutus; non intendentes tamen per hoc tollere potestatem, qua prelati ordinis propter studium vel urgentem necessitatem, que legi non subicitur, vel propter aliam racionabilem causam possint cum aliquo conventu particulari vel cum aliquibus particularibus conventibus, etsi non cum toto ordine dispensare; prohibentes sub excommunicacionis pena late sentencie, quam in hiis scriptis ferimus, una pro trina canonica monicione premissa, ne sine licencia capituli generalis vel reverendissimi magistri possessiones seu alia bona immobilia vel alii certi redditus conventuum vel locorum, qui sine illis commode et sufficienter vivere non possent, ullo modo per quoscumque prelatos vel fratres alienentur. Possunt tamen commutare de licencia priorum provincialium vel vicariorum generalium, dummodo in evidentem utilitatem conventuum ac locorum cedat; et mandamus prioribus provincialibus et vicariis congregacionum, ut diligenter invigilent, ut hec ordinacio in predictis conventibus, qui sine redditibus congrue et sufficienter sustentari non possunt, inviolabiliter observetur. Presidentes vero ac patres et fratres illorum conventuum, qui sine redditibus et absque magna sollicitudine ac distractione fratrum ac eorum frequenti discursu sufficienter ex elemosinis et moderato questu vivere et substentari possunt et competentem numerum fratrum et studencium cum continuacione lectionum et profectu religionis tenere, hortamur, ut sine redditibus pristinam ac moderatam mendicitatem observent, et in bono proposito perseverent regni celestis a domino mercedem et a nobis benedictionem accepturi. Hanc autem ordinacionem fratres nostri ordinis prompto animo debent complecti et execucioni mandare, cum Sixtus papa quartus, theologus acutissimus, inter mendicantes enutritus, quem nulla religionis condicio latebat, dispensaverit cum toto ordine et concesserit omnibus et singulis

4) egestatem] mendicitatem R. — 7) contemplacioni et *om.* R. — 9) nostre *om.* R. — 10) occupati — officio *om.* R. — 11) deficerent ac *om.* P. — 19) alia *om.* R. — 27) ac *om.* P. — 28) illorum] dictorum R. — 30) vivere et *om.* R. — 34) et a nobis benedictionem *om.* P.

conventibus et locis nostris, ut possessiones, redditus, proventus et alia bona immobilia pro subsidio studencium et supportacione aliorum onerum eis incumbencium in communi et non aliter habere, recipere, emere et retinere libere ac licite possint, non obstantibus constitucionibus apostolicis et regularibus institutis dicti ordinis, secundum que mendicantes appellantur, et sine proprio ex incerta mendicitate vivere debeant, ut patet in bulla, que incipit : Nuper etc. (1).

Item. Castitatis et pudicicie splendorem in nostro ordine servare et augere capientes, volumus et ordinamus, quod clausura conventuum taliter et ubique servetur, quod seculares per se libere conventum intrare non valeant, sed ad custodiam porte aliquis frater vel secularis probus, prudens, discretus et maturus ponatur, qui ea, que ad officium portarii pertinent, diligenter exequatur ; prohibentes sub pena excommunicacionis, privacionis vocis active et passive omnibus fratribus subditis, et sub pena absolucionis a suis officiis, quam ipso facto incurrant contrafaciendo, prioribus conventualibus et aliis inferioribus officialibus, ne ullo modo nec quovis exquisito colore permittant mulieres ingredi dormitorium aut alias officinas seu clausuram nostrorum conventuum, nisi forte ob antiquam devocionem in claustro vel in aliqua parte conventus esset populi concursus vel alique nobiles domine et matrone cum decenti comitiva vellent visitare conventum, et hoc raro et de consilio patrum conventus.

Item. Mandamus in virtute spiritus sancti et sub pena excommunicacionis late sentencie et expulsionis a nostro ordine omnibus et singulis sororibus nostri ordinis, quatenus perpetuam et strictissimam clausuram ostiarum et fenestrarum suorum monasteriorum iuxta constituciones earum observent, nec predicta monasteria alicui ingredi nec ipsis monialibus egredi liceat, nisi in casibus in earum constitucionibus expressis, sicut per Bonifacium nonum sub pena excommunicacionis, quam contrafacientes ipso facto incurrant, statutum fuit et ordinatum. Volentes, quod omnia profana et suspecta commercia et vana colloquia quarumcumque personarum ab ipsis removeantur, et quod ipsis monasteriis per magistrum ordinis vel provincialem aut eorum vicarios deputetur aliquis frater maturus et discretus et honeste conversacionis, qui seclusus ad cratem earum confessiones audiat et sacramenta ministret ; cui monasterium ingredi non liceat, nisi egrotancium exigente necessitate vel ali-

---

8) servare] conservare R. — 11) vel secularis probus *om.* R. — 14) excommunicacionis *om.* R. — 16) contrafaciendo *om.* R. — 18) dormitorium] domum R. — 20) nobiles] notabiles R. — 24) late sentencie *om.* R. — 27) earum] ipsarum R. — 31) et suspecta *om.* R. — 34) frater] pater P.

---

(1) Cf. BO. III, 550 n. XCII.

quo casu urgente in earum constitucionibus expresso, non obstantibus quibuscumque privilegiis et litteris, quibus quoad predicta per presens statutum derogamus.

Item. Honestati et uniformitati ordinis intendentes ordinamus et mandamus prioribus provincialibus et conventualibus, ut fratres sibi subditos inducant, eciam si necesse fuerit, per precepta et censuras, ut in tonsura cum debita corona et forma et colore habitus se uniformiter conforment constitucionibus et nichil in eis appareat, quod nostram non deceat paupertatem et honestatem, et quod comas nullo modo nutriant, nec parvis, sed decentibus utantur coronis; cappas vero non alterius coloris quam nigri deferant, que sint saltem quatuor digitis tunicis breviores et duobus digitis scapularibus longiores; et in capuciis honestam et religiosam formam servent, que magis tendant ad brevitatem et stricturam quam ad longitudinem et latitudinem pomposam; nec exeant conventum sine licencia prelati nec incedant per civitatem sine socio nec sine cappa et capucio in capite, nec sotulares alterius coloris quam nigri deferant, nec sub tunica aliquam vestem nisi albi coloris habeant. Prohibentes sub pena excommunicacionis late sentencie, quam contrafacientes ipso facto incurrant, una pro trina canonica monicione premissa, ne fratres nostri in conventibus nostris arma invasiva ferre vel in cella retinere, vel ad monasteria monialium quorumcumque ordinum accedere presumant, nisi de licencia speciali suorum prelatorum, et eorum, qui ad earum curam sunt deputati, si sint de ordine nostro; quam nolumus posse dari nisi ex causa urgente, honesta et racionabili. Volentes ut a frequenti et suspecta conversacione et collocucione mulierum fratres se abstineant nec ad confessiones earum, maxime iuvencularum, nisi fratres graves, maturi, honesti, discreti et probati exponantur.

Item. Cum numerus fratrum ferme in omnibus provinciis deficere videatur, huic defectui providere cupientes, ut ordo noster debitis suppositis, numero et merito augeatur ac multiplicetur, omnes et singulos fratres et presidentes conventuum hortamur et astringimus, quatenus vita et moribus, exemplis edificatoriis et honestis ac sanctis exhortacionibus studeant iuvenes presertim bone indolis, honeste natos, pollentes ingenio et ad scienciam aptos de periculis seculi eripere et ad nostre religionis portum evocare. Quibus, donec professi et bene fundati fuerint, magister maturus et discretus, honeste vite et conversacionis preficiatur, qui eos instruat in officio, cantu, moribus, et aliis cerimoniis ordinis, nec illos discursibus exponat nec cum aliis fratribus conversari permittat. Et quia ex multitudine imperitorum ordo noster deturpatur et vilipenditur, stri-

6) inducant *om.* R. — 18) late sentencie *om.* R. — 27) et probati *om.* R.

ctissime prohibemus, ne de cetero aliquis ignarus grammatice et indocilis, et qui non sciat bene et expedite legere et officium dicere, ad professionem pro clerico recipiatur.

Item. Mandamus universis et singulis prioribus provincialibus et conventualibus, ut circa instructionem et informacionem iuvenum curam adhibeant diligentem, ne tempus amittant, sed in divino officio, moribus et sciencia instruantur, nec exponantur discursibus et evagacionibus, sed solum in lectionibus et aliis spiritualibus exerciciis occupentur; nec promoveantur ad sacros ordines, nisi per prelatos suos de consilio discretorum fuerint approbati, et nisi habuerint legitimam etatem et fuerint bonis et honestis moribus ornati et in grammaticalibus ceterisque, que ad eorum officia pertinent, competenter instructi; nec ullo modo exponantur ad audiendum artes iuvenes discoli, insolentes et inquieti, sed solum dociles, moribus ornati et imbuti, ingeniosi et habiles ad studendum et bene apti et dispositi ad proficiendum. Volentes, quod teneantur quolibet die legere unum capitulum biblie et in diebus de precepto circa spiritualia se occupare.

Item. Cum doctrina et humanarum ac divinarum litterarum studium, cui patres nostri antiqui frequenter incumbebant, ordinem nostrum plurimum illustraverint, et istis nostris temporibus, quod dolenter referimus, in omnibus fere provinciis studia defecerint in dedecus et contemptum nostri ordinis, cupientes predicta studia reformare et reparare, statuimus et ordinamus ac omnes et singulos priores provinciales hortamur et astringimus, quatenus diligentem et singularem curam adhibeant, quod studia generalia et eciam particularia in singulis provinciis quoad sufficientes lectores et studentes reformentur, et quod constitucio de mittendis duobus studentibus magis ydoneis et aptis ad proficiendum ad studia generalia immobiliter servetur. Mandantes presidentibus conventuum et officialibus, in quibus sunt studia generalia, quod fratres ad huiusmodi studia missos, si apti et ydonei fuerint, repellere non presumant. Et ne conventus, in quibus sunt studia generalia, inutilium fratrum multitudine graventur, volumus, quod in predictis conventibus certus numerus fratrum prefigatur, et per priores provinciales fratres inutiles et onerosi ab ipsis excludantur et ibidem solum fratres utiles et necessarii pro confessionibus et predicacionibus et sequela chori et aliis officiis dimittantur, ut sic studentibus possit melius provideri. Prohibentes, ne fratres criminosi aut insolentes ad huiusmodi studia generalia mittantur, sed solum fratres ydonei et bonis moribus imbuti et ad proficiendum magis apti et qui ad minus

---

2) qui non] nisi R. — 3) professionem] admittatur et *add.* R. — 9) nisi — et *om.* R. — 12) competenter] sufficienter R. — 13) dociles] bonis *add.* R. — 14) ornati et *om.* R. — 22) reparare] reponere R. — 28) immobiliter] inviolabiliter R. — 37) generalia] non P.

per tres annos continuos in artibus studuerint; et volumus, quod in qualibet provincia, si fieri potest, tres vel saltem duo conventus de magis ydoneis eligantur, in quibus ponantur studia particularia et per priores provinciales mittantur iuvenes illius provincie morigerati et apti ad studendum in artibus, quibus de sufficientibus lectoribus provideatur. Ubi autem paucitas vel ineptitudo conventuum predicta studia in diversis conventibus poni non permiserit, poterit in eodem conventu simul poni studium philosophie et theologie.

Item. Quia auditus maxime deservit discipline, volumus, quod omnes in quacumque facultate studentes teneantur continuo sequi scholas, dum legitur, et frequentare circulos, quos volumus quotidie fieri legitimo cessante impedimento; a quibus nullus se possit absentare sine licencia prelati, quam non concedat sine causa urgente et necessaria, et in disputacionibus non clamose et proterve contendant, sed modeste et religiose se habeant. Et ad subtrahendum omnibus evagandi materiam et discursus inutiles compescendos, et ut commodius studio litterarum possint predicti studentes vacare, strictissime inhibemus presidentibus conventuum, ne de facili dent fratribus sibi deputatis licenciam eundi ad alios conventus vel loca extra terminos suorum conventuum gracia recreacionis; et qui in hoc inventi fuerint culpabiles, a suis officiis in penam absolvantur.

Item. Utilitati et instructioni studencium promovendorum intendentes, ordinacionem per multa capitula generalia circa studia et promociones factam et male servatam approbantes et renovantes, volumus et ordinamus, quod constitucio in capitulo de studentibus quoad promovendos et graduandos in omnibus et per omnia inviolabiliter observetur, et quod nullus de cetero promoveatur ad baccalaureatum seu ad legendum sentencias pro forma et gradu magisterii, nisi in aliquo studio generali per tres annos studuerit et in disputacionibus et circulorum frequencia exercitatus fuerit, et nisi tamquam ydoneus et sufficiens per provincialem et diffinitores sue provincie capitulo generali fuerit presentatus et acceptatus; nec aliquis ad gradum magisterii promoveri, nisi cursum suum quoad lecturam sentenciarum et actus scholasticos secundum morem illius universitatis compleverit et nisi per capitulum generale approbatus et licenciatus fuerit. Oppositum autem faciens sciat se secundum nostras constituciones esse excommunicatum et omnibus graciis, officiis et exempcionibus perpetuo privatum. Et volumus, quod circa huiusmodi promociones constitucio felicis recordacionis domini Bonifacii IX. in fine constitucionum nostrarum inserta in omnibus et per omnia inviolabiliter servetur, que est infrascripti tenoris (1).

7) poni *om.* P. — 15) evagandi] evagacionis R. — 20) culpabiles] negligentes R.

(1) Cf. MOPH. VIII. pag. 304 l. 16 sqq.

Item. Ne conventus, in quibus sunt studia generalia, in preiudicium studencium graventur, mandamus omnibus et singulis studentibus ac graduatis et magistris, quatenus, postquam in aliqua universitate tempus suum vel cursum et actus scholasticos compleverint, aut insignia magistralia fuerint adepti, nullatenus ibidem immorentur, sed ad suam provinciam redeant vel alium conventum sibi deputari procurent, nisi ibidem per provincialem pro conventuali vel alio officio fuerint assignati; adiicientes, quod baccalaurei in theologia debent ubique locum immediate post suppriorem, in cuius conventu reperiuntur, tenere.

Item. Ut studium Parisiense, ex quo maximus honor ordini accedit, conservetur et augeatur, ordinamus, ut statuta infrascripta ad eius promocionem et augmentum serventur. Confirmantes omnia privilegia extraneis per reverendissimos generales aut provinciales seu per capitula generalia vel provincialia eis concessa, et volumus, quod omnes illi studentes recipiantur, qui cum licencia venerint, ita tamen, quod prior conventualis non possit assignare aliquem.

Eciam quod lectores ordinarii eligantur secundum supposita audiencium theologiam, non secundum naciones.

Et quod nullus promoveatur in studentem honoris per quemcumque actum ante triennium sive intraneus sive extraneus.

Et quod extranei habeant loca, sicut consueti sunt habere.

Et studentes honoris secundum antiquitatem promocionis sive intranei sive extranei fuerint.

Insuper quod non solvant pro aliquo actu extra aulam ultra sex albos.

Et quod extranei habeant potestatem eligendi suum procuratorem, quocumque privilegio non obstante.

Et quod antequam deponant sua beania, teneantur unum scutum auri in manibus procuratoris edificii ecclesie Parisiensis dare in augmentum dicti edificii.

Legentibus et magistris districte percipientes, ne quemcumque fratrem ad gradum studencium admittant, nisi prius dictam summam integraliter persolverit.

Declarantes hanc ordinacionem vim aut robur non habere ultra duos annos a data presencium.

Item. Ordinamus, quod magistri in theologia per bullas aut breve apostolicum sine licencia et favore reverendissimi magistri ordinis vel capitulorum generalium promoti libertatibus, exempcionibus et graciis ma-

---

26) procuratorem] priorem R. — 29) procuratoris] prioris R. — 31) legentibus] regentibus R. — 36) magistri] ad magisterium R. — 37) breve apostolicum] brevia apostolica R.

gistris ab ordine concessis gaudere non debeant, sed solum pro simplicibus conventualibus habeantur.

Item. Cum ex insufficiencia predicancium et confessiones audiencium ordo noster veniat in contemptum et vergat in periculum animarum, ad quarum salutem ordo noster principaliter est institutus, et secundum canonica instituta nullus ad predicandum verbum dei et ad audienciam confessionum assumi debeat, nisi sit sufficiens et idoneus et sciencia preditus, statuimus et ordinamus, quod de cetero nulli ad predicacionis officium vel confessionum audienciam exponantur, nisi sint sciencia idonei, maturi, discreti, vita et moribus approbati et de casibus sedi apostolice et dioecesanis reservatis ac de aliis, que ad salutem animarum pertinent, competenter instructi, et nisi per suum priorem provincialem vel generalem vicarium aut per discretos patres per ipsos deputandos fuerint diligenter examinati et pro sufficientibus habiti et approbati, cum magne temeritatis et arrogancie esse videatur, eum qui litteras ignorat, velle erudire aut picarum more verba non intellecta proferre. Qui autem contra hanc nostram ordinacionem ad predicta officia propria temeritate et ambicione se ingesserit, pene gravioris culpe cum perpetua privacione dictorum officiorum ipso facto subiacebit.

Item. Ordinamus et districte precipiendo mandamus omnibus et singulis nostri ordinis fratribus in virtute sancte obediencie ac sub pena excommunicacionis late sentencie, quam in hiis scriptis ferimus, una pro trina canonica monicione premissa, quam contrafacientes ipso facto incurrant, quatenus si quis de pecuniis aut bonis, cuiuscumque generis fuerint, bone memorie magistri fratris Ioachimi (1), olim magistri ordinis, aut magistri fratris Francisci (2), olim procuratoris ordinis, aliquid habuerit vel habeat vel donaverit aut quovis modo post mortem eorum distraxerit, eciam si ipsi, dum viverent, sic ordinassent, aut aliquid horum quempiam fecisse sciverit, infra triduum a noticia presencium, si presens in Urbe est, infra vero duos menses, si absens est, restituat vel revelet magistro reverendissimo ordinis aut eius socio; reservantes absolucionem ab hac sentencia reverendissimo magistro.

Item. Ordinamus, quod nullus valeat edificare aut edificari facere conventum nisi interveniente consensu reverendissimi magistri generalis, et si quid secus factum fuerit, cassum ac nullum et irritum sit.

Iste sunt declaraciones.

8) preditus] peritus P. — 11) sedi apostolice] a sede apostolica R. — 16) ignorat] alios *add.* R. — erudire] audire R. — picarum more *om.* R. — 25) fratris *om.* R. — 26) fratris *om.* R. — 27) vel habeat *om.* R.

(1) De fr. Ioachimo Turriano cf. MOPH. VIII, 422.

(2) De fr. Francisco Mei cf. Masetti *Monumenta et Antiquitates* etc. I, 471.

Declaramus, quod conversi, qui transeunt ad habitum clericorum, non habent vocem in capitulo nisi post quinque annos ab assumpcione habitus albi et nisi fuerint in sacris, non habent locum supra illos, qui prius habitum clericorum assumpserunt.

Item. Declaramus, quod mortuo vel amoto priore officium sui vicarii totaliter expirat, et in tali casu supprior, cum per legem vices prioris plenarie gerat, potest vicarium instituere, qui in eius absencia, si electio prioris fuerit celebranda, scrutinium tenebit.

Item. Declaramus, quod quando plures priores simul esse contigerit, ille debeat dicere : « Fidelium » et dare benedictionem, qui aliis precedit loco.

Item. Declaramus, quod electio diffinitoris capituli generalis et electorum magistri non debet committi priori provinciali et diffinitoribus capituli provincialis, sed secundum formam in constitucionibus expressam debet celebrari.

Item. Declaramus, quod nullus potest fieri predicator generalis sine consensu prioris provincialis, et nisi sit maturus, discretus et sufficientis litterature, qui sciat bene et congrue proponere verbum dei et sit ydoneus ad negocia ordinis pertractanda, ita tamen, quod numerum conventuum sue provincie non excedant; absolventes omnes, qui a tribus annis et citra facti sunt.

Item. Declaramus in capitulo de suffragiis, quod triginta misse, quas quilibet sacerdos, et viginti, quas quilibet conventus in communi celebrare tenetur, debent esse de Requiem, si commode dici possunt ; ubi autem propter multitudinem festivitatum aut alias obligaciones hoc commode fieri non possit, sufficit, quod quomodocumque dicantur et quod fratres numerum missarum predictarum non omittant.

Item. Declaramus, quod si contigerit, procuratorem ordinis extra curiam pro aliquo negocio se invenire, locum ubique habeat post priorem provincialem illius provincie, in qua reperitur.

Item. Declaramus apostatas ad ordinem restitutos non debere neque esse restitutos ad gradus suos, nisi post biennium bene conversati fuerint, et annos, quibus fuerint in apostasia, non debere computari eis quantum ad locum, eciamsi fuerint quacumque auctoritate restituti iuxta formam nostrarum constitucionum.

Item. Declaramus, quod nullus fiat iubilarius, nisi habeat viginti quinque annos a professione, cassantes omnes et singulas gracias.

Iste sunt assignaciones.

Conventui Parisiensi pro anno ·MDI· nacioni Francie debito ad le-

---

27) predictarum *om.* P. — 30) priorem *om.* P. — 34) fuerint] sint P. — 35) nostrarum *om.* P. — 36) item — vicarius congregacionis *ante* iste *om.* P.

gendum sentencias in magnis scholis assignamus fr. Iohannem Forre, cui substituimus fr. Petrum Carbolne. In parvis scholis fr. Maturinum Trecellim, cui substituimus fr. Antonium de Fossa. Ad legendum bibliam pro eodem anno nacioni Burgundie debito fr. Iohannem Cabardi, cui substituimus fr. Petrum de Gatinio.

Pro anno ·MDII· in magnis scholis extraneis debito fr. Alvarum Ossorium, cui substituimus fr. Georgium Amici. In parvis scholis fr. Lazarum de Iura. Ad legendum secundam bibliam nacioni Burgundie debitam fr. Petrum de Verti, cui substituimus fr. Iohannem Iolici.

Pro anno ·MDII· nacioni Campanie debito ad legendum sentencias in magnis scholis fr. Nicolaum Bochardi, cui substituimus fr. Iohannem Teruli. In parvis scholis fr. Petrum Martini (1), cui substituimus fr. Iohannem de Rosa. Ad legendum bibliam nacioni Picardie debitam assignamus fr. Nicolaum Cuturelli, cui substituimus fr. Iacobum Rotelli.

Pro anno ·MDIV· ad legendas sentencias in magnis scholis extraneis debitas fr. Alfonsum Ricerium, cui substituimus fr. Guillelmum de Marca Villa. In parvis scholis fr. Iohannem Gaspardi, cui substituimus fr. Iohannem de Broa. Ad legendum secundam bibliam nacioni Picardie debitam fr. Mattheum Mascera, cui substituimus fr. Petrum Paschasii.

In studentes generales fr. Olavum de Monte provincie Dacie, fr. Michaelem Ballete et fr. Honoratum Rochioni pro rata provincie Provincie, fr. Danielem Barra provincie Theutonie.

Conventui Tholosano provincie Tholosane ad legendum ordinarie bibliam pro primo anno assignamus fr. Antonium Thomasii Castrensem (2), cui substituimus fr. Iohannem de Ripaja. Pro secundo anno fr. Iohannem de Ripaja, cui substituimus fr. Guillelmum de Marcarilla. Pro tercio anno fr. Guillelmum de Marcarilla, cui substituimus fr. Thomam de Quirito. In magistrum studencium pro primo anno fr. Iohannem de Caberio, cui substituimus fr. Antonium Thome, cui substituimus fr. Iohannem de Riperia, cui substituimus fr. Guillelmum de Marcarilla. Pro quarto anno fr. Guillelmum de Marcarilla, cui substituimus fr. Thomam de Quirito. Ad legendum ordinarie sentencias in eisdem scholis pro primo anno fr. Petrum Germani (3), cui substituimus fr. Bernardum de Caberio. Pro secundo anno fr. Bernardum de Caberio, cui substituimus fr. Antonium Thome. Pro tercio anno fr. Antonium Thome, cui substituimus fr. Antonium de Riperia. Pro quarto anno fr. Antonium de Riperia, cui substituimus fr. Guillelmum de Marcarilla. Ad legendum

(1) De fr. Petro Martini cf. MOPH. VIII, 407.
(2) De fr. Antonio Thomasii cf. l. c. pag. 432.
(3) De fr. Petro Germani cf. l. c.

sentencias extraordinarie in scholis conventus et ordinarie ac extraordinarie in scholis sancti Saturnini pro predictis quatuor annis pater provincialis providebit. In studentem theologie fr. Claudium de Froncato pro rata provincie Provincie. In reliquis reverendus provincialis providebit.

Conventui Salmantino damus in regentem magistrum Petrum de Leon (1). In reliquis providebit reverendus vicarius generalis cogregacionis.

Conventui Valisoletano damus in regentem magistrum Antonium de Mena. In reliquis providebit reverendus vicarius congregacionis.

Iste sunt denunciaciones.

In primis denunciamus, reverendissimum patrem fratrem Vincencium Bandellum de Castronovo (2) s. theol. professorem fuisse in hoc capitulo generali Romano unanimiter et concorditer electum ab omnibus reverendis provincialibus et electoribus, qui ibidem interfuerunt, qui totis viribus ad ordinis erectionem ac studiorum restitucionem elaborare intendit. Quod ut efficacius assequi valeat, omnes patres et fratres eidem studeant in omnibus promptam et debitam obedienciam exhibere.

Item. Denunciamus, reverendum magistrum fratrem Thomam Caietanum (3) constitutum esse procuratorem ordinis in curia Romana, ad quem omnes fratres venientes ad curiam accedere habeant et causam sui adventus exponere ac eius licenciam in Urbe commorandi obtinere.

Item. Denunciamus, sanctissimum dominum nostrum ad instanciam reverendissimi domini protectoris dedisse indulgenciam plenariam omnibus, qui huic capitulo eleemosinas contulerunt.

Item. Denunciamus, fr. Raymundum Bartholomei et Bernardum Magum ad conventum Montis Albani provincie Tholosane propter eorum irreligiosam vitam nullo modo pertinere, cum in eo nullam professionem celebraverint, decernentes, quod quidquid de eorum conventualitate quoad predictum conventum per provincialem aut eius provincie capitulum factum vel approbatum fuerit, irritum atque nullius esse (!) momenti.

Item. Denunciamus, quod conventus Ausimus provincie sancti Dominici pertinet ad nacionem Marchie Anconitane dicte provincie secundum antiquam consuetudinem, non obstante divisione facta in capitulo generali Ferrarie ultimo celebrato.

Item. Denunciamus, fr. Vitalem de Mespleda provincie Tholosane conventus Lectorensis translatum ad conventum Burdegalensem eiusdem

---

15) eidem *om.* R. — 17) fratrem *om.* R. — 23) contulerunt] dederunt P. — 24) item — que per eum occurrere *om.* P.

---

(1) De fr. Petro de Leon cf. MOPH. VIII, 348.

(2) De fr. Vincentio de Castronovo cf. supra pag. 1.

(3) De fr. Thoma Caietano cf. MOPH. VIII, 404.

provincie, et fr. Iulianum Gilemen conventus Bituricensis provincie Francie translatum ad conventum sancti Emiliani provincie Tholosanae, et fr. Iacobum de Mantua de conventu Mantuano congregacionis Lombardie ad conventum Salernitanum provincie Regni et fr. Hieronimum de Ferraria de Parizatis ex conventu sancti Dominici de Ferraria provincie sancti Dominici ad conventum Angelorum eiusdem civitatis et provincie, et fr. Michaelem de Argentina provincie Theutonie ad conventum sancti Nicolai de Tarvis provincie sancti Dominici, et fr. Gregorium de Soncino de provincia Lombardie superioris ad conventum Fanensem provincie sancti Dominici, et fr. Hieronimum de Tridino de eadem provincia ad eundem conventum Fanensem, et fr. Florianum de Brixia esse filium conventus Montis Silici, et fr. Franciscum de Garra provincie Hungarie ad provinciam Dalmacie, et fr. Dominicum Rospicis Traguriensis de conventu sancte Crucis de Bua ad conventum sancti Dominici de Tragurio in provincia Dalmacie, et fr. Dominicum de Gesma baccalaureum ex provincia Dalmacie ad provinciam Grecie in filium conventus Candie, et fr. Petrum Tagliciferi (1) conventus Castrensis de provincia Tholosana ad conventum Brive et de consensu fratrum conventus Brive et vicarii congregacionis Francie, et fr. Iohannem Phelipeos de conventu Arelatensi ad conventum Blesensem et fr. Iohannem Balini de conv. Antisiodorensi ad conv. Parisiensem.

Item. Declaramus fr. Iohannem Matheum de Sibenico non esse filium conventus Sibenici propter scandala enormia, que per eum occurrere.

Et nolumus, quod alique translaciones de cetero fiant, nisi accedente consensu maioris partis patrum et fratrum nativorum illius conventus, ad quem aliquis est transferendus, convocato consilio, et attentata in contrarium sint irrita et inania. Nec predicte translaciones facte intelligantur nisi cum hac limitacione.

Iste sunt approbaciones.

Approbamus lecturas sentenciarum fr. Georgii de Ianua et fr. Martini Soro, fr. Petri Bonfilii, fr. Hermani de Hora (2), fr. Michaelis de Ianua, quos licenciamus ad magisterium.

Item. Approbamus magisteria fr. Dominici de Mortario (3), fr. Ludovici Fonches presentis capituli diffinitoris, fr. Garzie de Moros, fr. Michaelis Puchi, fr. Iacobi Suirmi, fr. Caroli Gregorii, fr. Thome Maglie, fr. Antonii Sabauti, fr. Petri Augusti, fr. Iohannis Cliverii, fr. Antonii Ruagnes,

16) Grecie] Francie PR. — 23) et nolumus] item denunciamus P. — cetero] non *add.* P. — 26) nec] hec P. — 29) approbamus — Liera *om.* P.

(1) De fr. Petro Tagliciferi (Taleferri) cf. l. c. pag. 402.

(2) De fr. Hermanno de Hora cf. l. c. pag. 431.

(3) De fr. Dominico de Mortario cf. l. c.

fr. Hieronimi Abril, fr. Iohannis Monge, fr. Iohannis Benedicti de Almas, fr. Antonii Trasini de Corona, fr. Hieronimi Fingi, fr. Prosperi de Roma (1), fr. Iohannis Nigri, fr. Henrici Venth de Saxonia, fr. Laurencii Nicolai de Dacia, fr. Pancracii Castinel, fr. Hugonis Proni, fr. Francisci Archieri, fr. Iohannis Dominici de Alexandria, fr. Dominici de Apulia, fr. Augustini de Ragusio, fr. Thome de Sardis de Florencia, fr. Iohannis de Belthorem, fr. Bernardini de Taurino, fr. Thome de Rocha, fr. Thome Clementis, fr. Adami Manenti, fr. Blasii Cotinelli, fr. Iohannis de Cruce Tholosani (2).

Item. Approbamus lecturam biblie fr. Antonii Liera.

Item. Approbamus officium visitacionis beatae virginis per reverendissimum magistrum ordinis compositum, et volumus ipsum celebrari per totum ordinem, declarantes, quod octave festivitatis huius eo modo celebrande sunt, quo octave nativitatis beate virginis.

Item. Approbamus reformacionem conventuum Antuerpiensis et Treverensis provincie Theutonie sub provinciali eiusdem provincie.

Item. Approbamus translaciones filiacionum fr. Antonii de Latia ex conventu s. Marie de Castello de Ianua provincie Lombardie superioris ad conventum s. Dominici eiusdem civitatis, et magistri Raphaelis de Flisco ex conventu Bononiensi provincie s. Dominici ad conventum s. Dominici de Ianua; et approbamus filiaciones fr. Iohannis de Rechanetto, fr. Theodori, fr. Iacobi de Mento et fr. Blasii de Scodero in conventu Veneto sanctorum Iohannis et Pauli; et approbamus translaciones magistri Gabrielis Gallines ex conventu Alchanisii ad conventum Caesaraugustae et fr. Gaulii ex conventu Sedisurgelli ad conventum Gerunde et fr. Thome Calnal ex conventu s. Matthei ad conventum Sanguesce, et fr. Petri Badenes et Bernardi Malenda ex conventu corporis Christi de Lucente ad conventum Sative.

Item. Approbamus hos predicatores generales: fr. Lucam de Leborem de provincia Portugallie, fr. Simonem Baltrephagen vicarium substitutum congregacionis Olandie pro rata conventus Rostocensis.

Item. Approbamus hos iubilarios: fr. Iohannem Carro de Maioricis, fr. Bernardum Gibert, fr. Petrum Marimon, fr. Petrum Soler, fr. Hieronimum Brum, fr. Guillelmum Iacobi, fr. Petrum Casadal, fr. Petrum de Arca veteri conventus Alesti et fr. Iohannem Ferreri conventus Buscie et fr. Petrum Paboni conventus Tollonii.

---

10) Liera *om.* PR. — 17) item — Tollonii *ante* iste *om.* P. — 25) Caesaraugustae — conventum *om.* PR. — 30) Rostocensis] Rosebensis PR.

---

(1) De fr. Prospero de Roma cf. l. c. pag. 402.
(2) De fr. Ioanne de Cruce cf. l. c. pag. 423.

Iste sunt acceptaciones.

In primis acceptamus locum Marra in patria Foroiulii provincie s. Dominici pro conventu, cui damus in priorem fr. Clementem de Ferraria; de predicatore vero et lectore et aliis fratribus committimus provisionem reverendo provinciali.

Item. Acceptamus locum s. Marie Graciarum in insula Bagni, Iadrensis dioecesis, in provincia Dalmacie pro loco et membro conventus Iadrensis eodem modo.

Item. Acceptamus locum Corgule sub titulo s. Nicolai in provincia Dalmacie pro conventu, et committimus reverendo provinciali eiusdem provincie provisionem de priore, lectore et aliis fratribus.

Item. Acceptamus locum Paulicie sub titulo s. Georgii pro loco ordinis in eadem provincia.

Item. Acceptamus locum Paptarie et locum Capranice et locum s. Marie de Foresta pro conventibus, quibus reverendus provincialis provincie Regni providebit de prioribus et lectoribus ac patribus.

Ista sunt suffragia pro vivis.

In primis pro sanctissimo domino nostro papa, qui indulgenciam plenariam dedit omnibus, qui contulerunt eleemosinas capitulo generali, quilibet sacerdos tres missas.

Pro reverendissimo protectore ordinis, qui multum afficitur ordini et plures labores pro eo sustinet, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro reverendissimis dominis cardinalibus Alexandrino, Portugalensi, s. Crucis, et Columnensi, qui pingues eleemosinas contulerunt capitulo, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro collegio reverendissimorum dominorum cardinalium quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro omnibus, qui contulerunt eleemosinas capitulo generali, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro illis, qui per litteras reverendissimi generalis recepti sunt ad beneficia ordinis, quilibet sacerdos unam missam.

Ista sunt suffragia pro defunctis.

In primis pro animabus reverendissimi olim magistri fratris Ioakini (1) generalis ordinis et magistri fratris Francisci (2) procuratoris ordinis quilibet sacerdos unam missam.

---

2) locum Marra] Marani P. — 3) cui — ac partibus *om.* P. — 33) fratris Ioakini *om.* R. — 34) ordinis — Francisci *om.* R. — ordinis *om.* R.

---

(1) De fr. Ioachimo Turriani cf. supra pag. 17.

(2) De fr. Francisco Mei cf. l. c.

Item. Pro anima domini Matthei de Ursinis (1), qui perpetuam eleemosinam reliquit capitulo generali, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro animabus defunctorum illorum, quorum consanguinei contulerunt eleemosinas capitulo generali, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro animabus eorum, qui recepti fuerant, donec viverent, ad beneficia ordinis per litteras reverendissimi generalis, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Recipimus ad beneficia ordinis reverendissimum dominum cardinalem s. Crucis, qui singularem gerit devocionem ad ordinem nostrum.

Item. Recipimus ad beneficia reverendum dominum magistrum Petrum Almuram, qui et ipse singulariter afficitur ordini et doctrine beati Thome.

Sentencias iudicum approbamus, et volumus in suo robore permanere et suum per omnia sortiri effectum, et volumus, eorum et provincialium ac diffinitorum auctoritatem durare usque ad diem dominicum.

Concedimus omnibus provincialibus et diffinitoribus presentis capituli, quod possint recipere duos apostatas et facere duos iubilarios.

Mandamus acta presentis capituli per priores provinciales et diffinitores ad suas provincias diligenter conscripta atque sigillo ordinis signata deferri.

Sequens capitulum generale, quod erit diffinitorum, assignamus Mediolani in conventu s. Eustorgii provincie Lombardie superioris anno domini millesimo quingentesimo quarto.

In nomine domini. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS MEDIOLANI IN CONVENTU SANCTI EUSTORGII IN FESTO PENTECOSTES ID EST ·XI· MAII ANNO DOMINI ·M°·D°·V°·

Sub reverendissimo patre fratre Vincencio Bandello de Castronovo (2) sacre theologie professore, magistro generali ordinis predicatorum presente in capitulo cum diffinitoribus provinciarum infrascriptis:

5) fuerant — viverent] sunt R. — 6) reverendissimi generalis] reverendissimorum generalium P. — 8) item — nostrum *om.* P. — 12) Almuram] Almusen P. — 14) et volumus — dominicum *om.* P. — 20) mandamus — deferri *om.* P. — 24) anno — quarto *om.* R.

(1) De fr. Matthaeo de Ursinis cf. MOPH. VIII, 437.

(2) De fr. Vincentio de Castronovo cf. supra pag. 20.

fr. Petrus Hispanus magister diffinitor provincie Hispanie,
fr. Raymundus de Ulna (1) magister diffinitor provincie Tholosane,
fr. Iohannes Cotelli magister diffinitor provincie Francie,
fr. Zacharias Ravennas bacallarius diffinitor provincie S. Dominici,
fr. Thomas Siculus magister diffinitor provincie Romane,
fr. Marcus de Verona diffinitor provincie Regni Sicilie,
fr. Magnus de Ulma diffinitor provincie Theutonie,
fr. Bernardus Bentivegna diffinitor provincie Trinacrie,
fr. Iohannes Ungarus diffinitor provincie Ungarie,
fr. Andreas Cracoviensis diffinitor provincie Polonie,
fr. Onuphrius de Parma diffinitor provincie Anglie,
fr. Iohannes Ludovicus de Monteregali (2) magister dif. provincie Grecie,
fr. Iohannes Naverdus magister diffinitor provincie Aragonie,
fr. Matheus magister diffinitor provincie Dacie,
fr. Antonius Raugerii magister diffinitor prov. Provincie,
fr. Benedictus de Multo bacallarius diffinitor provincie Terre sancte,
fr. Ambrosius de Ianua magister diffinitor provincie S. Petri,
fr. Henricus Sigel diffinitor provincie Boemie,
fr. Antonius Dalmata magister diffinitor provincie Dalmatie,
fr. Andreas Embricensis diffinitor provincie Saxonie,
fr. Thomas Durandi magister diffinitor provincie Portugalie,
fr. Sylvester de Prierio (3) magister diffinitor provincie Scocie.

Epistola reverendissimi generalis ad totum ordinem.

Universis et singulis fratribus ordinis predicatorum frater Vincencius Bandellus de Castronovo sacre theologie professor ac tocius ordinis prefati humilis generalis magister et servus salutem et spiritum obediencie salutaris.

Post generale capitulum immediate precedens Rome celebratum, in quo domino disponente universale nostri ordinis magisterium suscepi, ut pro virili parte meo officio satisfacerem, ut implerem eciam ardentissimum meum desiderium, quo colapsum ordinem cupiebam erigere ad regularem vitam, non parcens etati, quoniam sic Christi urgebat charitas, assumpsi longam et difficilem peregrinacionem, ut gregem mihi creditum

3) Cotelli] Castelli P. — 8) Bentivegna] Bentiqueur R. — 16) Multo] Milo P. — 20) Embricensis] Hemojensis R.

(1) De fr. Raymundo de Ulna (*al.* Ulmo) cf. MOPH. VIII, 401.
(2) De fr. Ioanne Ludovico de Monteregali cf. SSOP. II, 41.
(3) De fr. Silvestro de Prierio cf. MOPH. VIII, 431.

in diversis distinctum provinciis, ut diligens pastor inviserem et cernerem oculis, que religio, qui mores, quis zelus, quis fervor reperitur in ordine. Italie multas visitavi domos, universas pene Gallias perlustravi, inferiores Germanorum oras circuivi, demum ingressus sum et pertransivi lata Hispaniarum regna.

Reperi siquidem, quod aliquale conferret solacium, sed superanbundavit, quod affligeret et tristiciam ingereret.

Inveni enim proh dolor et flevi in plurimis deformatam pulcherrimam speciem religionis, corruptas neglectasque ac pene oblivioni traditas sacras ceremonias, extinctum zelum sanctarum patrum nostrorum institucionum.

Horrui videre adulteratum habitum, quem regina celi munus ex superna attulerat curia, tantam in verbis immodestiam, in actibus dissolucionem.

Erubui, fateor, scandala, que per ora hominum secularium volitabant improperancium et mihi et ordini.

Afflictus sum plurimum inspicere et experiri insolencias fratrum, indisciplinatorum abominacionem, ad communem vitam procacitatem et pudice vite corrupcionem.

Doctrine lumen, precipuum nostri ordinis decus pene extinctum miratus sum, nec ullum pene animarum zelum perspexi, sed questum et lucrum misere cupiditatis.

Quod nonnihil solacii attulit, fuit in nonnullis vera et stabilis reformacio, ardens zelus et prompta voluntas.

Letatus sum perspicere novellas plantas, que si dei munere et nostro studio coalescant, erigent, dilatabunt et illustrabunt sanctum nostrum predicatorum ordinem.

Tandem iuxta morem ordinis sanctam nostram et universalem sinodum congregavi, ut cum patribus diffinitoribus de rebus nostris ac nostra republica tractaremus et consuleremus. Et propicio celesti numine, semotis cunctis sinistris affectibus, acti solo religionis et divini cultus zelo, maturo consilio et gravi deliberacione acta presencia disposuimus et decrevimus ac in ipso generali capitulo promulgavimus.

Suscipite igitur, dilecti filii, hec sancta instituta et salutaria monita patrum vestrorum humili devocione mentis et sincera obediencia et votis omnibus adimplere satagite, non sicut servi, sed sicut liberi sub gracia constituti. In his enim reperietis vitam; nam quidquid paci conferre potest, quidquid serenitatem consciencie parere, quidquid religiosis moribus proficere, quidquid disciplinam docere, quidquid sapiencie lumine claros

4) circuivi] percircuivi P. — 19) vite] conversacionis R. — 30) propicio] primo P. — 32) presencia] precedencia P. — 38) quidquid serenitatem — proficere *om.* R.

reddere, quidquid animarum salutem promovere, quidquid denique et apud deum et apud homines gratos et honorabiles valet efficere, conati sumus exquirere, excogitare, inserere et per presentes omnium noticie propalare; mandantes, ut suscipiantur et omni studio observentur.

Oro vos, dilecti filii, et obsecro per viscera charitatis eius, qui ut forma fieret gregis, quem salvaret, suscepit obedienciam et docuit et precioso suo sanguine redemit, exurgite, induamini zelo legum maiorum vestrorum, ut filii lucis ambulate ac suscipite verbum exhortacionis nostre, quod salvabit animas vestras.

Bene valete in domino et me crebris ac sanctis vestris precibus in tot sollicitudinibus pro vobis et laboribus adiuvate. Deo gratias.

Iste sunt confirmaciones.

Confirmamus istam, quod festum beati Vincencii confessoris ordinis nostri utrasque vesperas habeat, non obstante quod festum s. Ambrosii concomitetur, de quo fiat tantum memoria in primis vesperis s. Vincencii. Et hec habet tria capitula generalia.

Item. Confirmamus hanc, quod iste quatuor octave solemnes fiant videlicet: octave ascensionis domini et octave assumpcionis beate virginis Marie et octave beati Dominici et octave omnium sanctorum ad instar octavarum nativitatis domini, excepto quod in octavis ascensionis domini dicuntur in matutinis tantum tres psalmi et alia sicut in tempore pascali; declarantes, quod si aliqua memoria vel aliquod festum simplex et supra in predictis octavis occurrerit, de eis fieri debet, sicut fit in octavis nativitatis domini et in missa cantari prefaciones et in hymnis cantus de illis octavis, non tamen debet Credo dici in missa, quia infra illas octavas non magis populus confluit ad ecclesiam quam aliis diebus ferialibus. Et si post illas octavas immediate venerit aliquod festum simplex, in secundis vesperis psalmi erunt de octavis, capitulum vero et hymnus et alia, que sequuntur, erunt de festo, et memoria fiat ad Magnificat de octavis. Et hec habet tria capitula generalia; non tamen debet dici officium beate virginis aut preces.

Item. Confirmamus hanc, quod in provincia Lombardie superioris in feria quinta, quando fuerit omnino vacans vel in ea occurrerit festum trium lectionum, quod possit infra octo dies transferri, fieri debeat de sancto Petro martire eo modo, quo fit feria tercia de sancto Dominico. Et in missa semper dicatur collecta de spiritu sancto. Et idem fiat in provincia Romana de beata Catharina, nisi in prima feria quinta post octavas Epiphanie, in qua secundum rubricam debet sicut in sabbato et tercia feria, quando fuerint omnino vacantes, fieri de feria. Et hec habet tria capitula generalia.

32) item — generalia *om.* P.

Iste sunt ordinaciones.

In primis incipientes a divino officio, quod omnibus aliis rebus preferendum est, volumus et ordinamus, quod omnes fratres audito primo signo divini officii postponant omnia et preparent se, ut, cum pulsaverit secundum signum, statim sine mora cum matura festinacione ad ecclesiam veniant, et inclinantes profunde ante altare vadant ad sedes suas et postea facto signo a prelato inclinent profunde vel flexis genibus prosternant se super formas pro tempore et dicto pater noster et eciam Credo in deum in matutinis et in prima. Et iterum facto signo a prelato surgant et hebdomadarius incipiat horam morose cum devocione et maturitate, in voce mediocri et eodem modo conventus respondeat. Totum autem officium tam diurnum quam nocturnum cantetur et dicatur in ecclesia distincte, cum debita pausa in medio versus et versiculorum, et non protrahatur vox in medio vel in fine versus, et non fiat pausa inter unum versum et alium, nec incipiatur secundus ante terminacionem primi; nec fratres stent appodiati in choro, sed stent compositi cum manibus sub scapulari, inclinando profunde vel usque ad genua vel prostraciones faciendo pro tempore, sicut in rubricis est ordinatum; et presertim ut servetur ordinacio precedentis capituli generalis Rome celebrati, quod quando in psalmo vel in graciarum actionibus dicitur: « sit nomen domini benedictum », fratres reverenter inclinent, et chorus, qui debet sedere ad prefatum psalmum: « Laudate », non sedeat, donec sit dictus ille versus. Ad « magnificat » eciam et ad « Ave maris stella » in ipsa inchoacione caput fratres discooperiant. Ad quod officium omnes fratres tam de die quam de nocte venire teneantur, qui racione infirmitatis vel lectionis vel predicacionis aut studii vel legitime occupacionis non fuerint dispensati. Et « salve regina » post horas et post missam, quando non sequitur hora, dicatur morose cum debitis pausis et devocione. Volentes eciam, ut inchoaciones horarum et epistole et evangelia et oraciones et lectiones in choro et in missa cantentur secundum notam ordinis. Mandantes prioribus, ut infra unum mensem a noticia presentis ordinacionis procurent, quod in epistolariis et evangelistariis et collectariis ac lectionariis suorum conventuum habeantur et notentur ea, secundum quem modum omnia et singula predicta sunt cantanda. Et faciant, quod in principio quadragesime ponatur cortina ante presbyterium secundum nostram rubricam, et quod in cena domini omnia fiant, que agenda sunt; et quod in parasceve in mane dicatur totum psalterium; et quod in die purificacionis benedicantur candele et postmodum ad offertorium offerantur, prout in rubrica est

---

6) ante — profunde *om.* R. — 30) missa] mensa R.

notatum. Quod si presidentes conventuum in predictis fuerint negligentes, in penam a suis officiis absolvantur. Volentes, quod in fine horarum beatissime virginis semper dicatur « Ave Maria » nisi post completorium, ad quod sequitur antiphona « Salve ». Que antiphona semper cantari debet post completorium, nisi in ferialibus extra quadragesimam, et nulla alia antiphona dicatur, nisi illa, que in revertendo ad chorum dici debet, et post completorium fratres stent in oracione per spacium septem psalmorum.

Item. Volumus et ordinamus, quod presidentes conventuum provideant, quod rubrica de celebracione missarum habeatur, et saltem semel in anno legatur coram sacerdotibus congregatis, et omnes apponant diligenciam, ut missas bene prevideant et eas uniformiter secundum ceremonias ordinis celebrent voce mediocri, ut circumstantes possint audire et verba intelligere; et celebrantes, si non possint quotidie, saltem semel in septimana confiteantur, ut illud candidissimum sacramentum digne possint cum pura mente suscipere, sub pena gravioris culpe. Et qui habent celebrare missas privatas, sacras vestes induant in sacristia et non ad altare; et similiter finita missa revertantur ad sacristiam, ut se sacris exuant vestibus.

Volentes eciam, quod per totum annum semper in missa maiori fratres habeant cappas, et similiter in vesperis et completorio a festo omnium sanctorum usque ad octavas pasche; ab octava autem pasche, que dicitur dominica in albis, usque ad festum omnium sanctorum in vesperis et completorio sint sine cappis. Ministri eciam, quando accedunt vel recedunt ab altari, semper inclinent, et dum cantatur magna missa, lumen sit semper super altare vel adherens altari.

Nolentes eciam, quod aliqui sint exempti ab hebdomadaria vel communibus officiis racione paternitatis vel alicuius officii preteriti infra provincialatum, nec eciam magistri sint exempti a missis et funeribus et processionibus, presertim a processione, quam semper volumus fieri post completorium in ecclesia laycorum salutando matrem dei cum accolythis; a qua, si quis in conventu existens defecerit, non legitime impeditus, volumus, quod in sequenti prandio indispensabiliter sit privatus pictancia. Processio autem sic fiat, ut postquam inchoata fuerit antiphona « Salve », fratres exeant bini et bini extra chorum cum debitis distanciis et, cum fuerint in medio ecclesie ultra accolithos, omnes bini et bini in eodem loco inclinent ante crucifixum vel crucem, que est in medio ecclesie in pariete, que dividit ecclesiam laycorum a choro, et facta inclinacione vadant ad loca sua.

---

9) conventuum] conventibus R.

Districte imponentes sacristis conventuum, ut curam et sollicitudinem adhibeant circa mundiciam sacrarum vestium, mapparum, corporalium et purificatoriorum et aliorum, que ad missarum solemnia sunt opportuna; et quod paramenta bene custodiantur et resarciantur, et quod ante sanctissimum sacramentum in ecclesia semper teneatur lampas accensa.

Qui autem ab officio et celebracione misse sine causa remanserint, teneantur in refectorio facere aliquam penitenciam; et qui deprehensus fuerit non dicere officium, privetur pane et vino, et si non correxerit, eiiciatur a conventu.

Item. Ordinem nostrum collapsum et totaliter difformatum erigere et reformare cupientes, districte mandamus universis et singulis prioribus provincialibus ac eorum vicariis ac eciam locorum presidentibus, quatenus omnes domos conventusque et fratres eis creditos efficaciter exemplo, verbo et opere reformare procurent secundum regulam et constituciones nostras tam in substancialibus votis quam in ceremonialibus, quantum condicio conventuum et regionum ac humana fragilitas permittit.

Et quia silencium est pulchra ceremonia et multum conferens reformacioni, paci et studio conventuum, volumus et ordinamus, quod in choro et in claustro defunctorum et in dormitorio et in cellis et in refectorio silencium servetur, presertim autem in mensa; ita quod, qui silencium fregerit in mensa, in refectorio teneatur in communi mensa in uno prandio aquam libere et unam disciplinam coram omnibus accipere. Declarantes, quod nullus prelatus in refectorio potest licenciam loquendi alicui dare.

Nullus eciam cellam alterius ingrediatur, nisi in casu necessitatis et nisi sint prelati vel preceptores, nec duo dormiant in eodem lecto vel eadem cella. Qui autem in hoc deliquerit, in uno prandio sedeat in terra in pane et aqua indispensabiliter vel eciam aliis penis secundum condicionem persone puniatur.

Nolentes eciam, quod alii fratres loquantur cum noviciis, nec eciam spacientur per ecclesiam, quando est aperta vel dicitur officium, nec moram trahant super ostium ecclesie vel in spacio, quod est ante ecclesiam, similiter quando fratres incedunt per civitatem vel sunt in processione. Imponentes penam gravis culpe omnibus et singulis fratribus, cuiuscumque gradus aut condicionis existant, qui iuraverint seculariter vel blasphemaverint vel aliquem maledixerint vel verba scurrilia aut turpia ex ioco dixerint vel alicui contumelias aut iniurias irrogaverint vel qui verba suscitancia discordias reportaverint vel qui improperaverint alicui

17) regionum] religionum P. *quod Echard vult corrigi in* religiosorum.

defectus, pro quibus satisfecit, vel qui mendacium de industria prelato in publico aut private dixerint. Et si prelati taliter delinquentes non coegerint predictam facere penitenciam, graviter a provincialibus vel eorum vicariis puniantur vel a suis officiis absolvantur.

De indumentis.

Item. Cum ordo noster in aliquibus provinciis sit valde difformatus in habitu, ad ipsum aliqualiter reformandum ordinamus, quod nullus frater, cuiuscumque condicionis vel gradus existat, deferat vestes preciosas aut pomposas nec cappas aut tunicas latas et longas terram tangentes et scopantes; sed tunica solum descendat usque ad coopertura m caville pedum, et cappa sit brevior tunica, desuper consuta infra capucium, et scapulare sit brevius cappa consutum cum capucio. Nolentes, quod sub tunica deferantur vestes aut calige alterius coloris quam albi. Nec fratres per civitatem in albis ullo pacto incedant, sed semper cum cappa, nec in choro aut per civitatem deferant birettum discoopertum, sed semper cum capucio coopertum, nec deferant scarcellas, sotulares aut corrigias aut cultellos curiosos nec tunicas apertas ante vel retro. Et qui in predictis offenderint, pena gravis culpe a suis prelatis puniantur.

Hortantes eciam omnes fratres, quantum possibile est, ut tunicellas laneas deferant, cum constituciones nostre prohibeant omnibus fratribus eciam infirmis non debere uti lineis ad carnem.

Et nullo modo dormiant sine camisia, sed cum camisia cincti.

Volentes eciam, quod in rasura servetur constitucio, ita quod capilli non descendant summitatem aurium, et inter tonsuram et rasuram desuper non plus quam tres digiti. Nolentes, quod accolithi vel alii, quando induunt superpellicea in ministerio altaris vel in processionibus vel quocumque alio modo sint sine capuciis albis, nec subdiaconi, diaconi et sacerdotes, quando induunt sacras vestes, ullo modo dimittant capucium vel scapulare.

De cibis et ieiuniis.

Item. Quia abstinencia a carnibus et ieiunia in ordine nostro sunt ad magnum decorem regularis vite et secularium edificacionem et multum conveniencia honestati et studio, ideo hortamur omnes fratres, ut induti virtute ex alto observent integre et ferventer sacra instituta de ieiuniis et abstinencia ciborum, mandantes omnibus et singulis fratribus, ut per totum adventum et per totam quadragesimam et in ieiuniis quatuor temporum et in ieiuniis de precepto et in omnibus sextis feriis per totum annum strictissimum servetur ieiunium, ita quod extra prandium

---

1) prelato — private *om.* P. — 37) et in ieiuniis *om.* P.

nec panis nec aliquis cibus alicui detur, nisi fructus in sero propter potum, et talibus diebus ante completorium facto signo congregentur fratres omnes in refectorio, et cum lectione mense bibant, qui volunt, et sic processionaliter vadant ad chorum. Mandantes presidentibus conventuum sub pena absolucionis a suis officiis, ut in diebus ieiunii taliter provideant fratribus in prandio de ferculis et pictanciis, quod possint ieiunare; prohibentes, ne secunda et quarta feria dispensetur quantum ad esum carnium, nisi in aliquo casu infirmitatis vel necessitatis. Et eciam in prefatis diebus in ieiunio sancte crucis non detur in sero alius cibus quam panis, exceptis itinerantibus, ne videamur tale ieiunium nostrarum constitucionum, secundum quas vivere tenemur, contemnere. In aliis autem diebus poterunt presidentes conventuum, secundum quod iudicaverint expedire, cum fratribus indigentibus dispensare, ita tamen, quod numquam dispensetur cum toto conventu, sed semper sint aliqui tenentes refectorium, in quo nullo umquam tempore comedantur carnes, nec ullo pacto in adventu dispensetur cum aliquo fratre in esu carnium, nisi sit infirmus.

Item. Ordinamus, quod omnes fratres tam priores quam magistri et alii, nisi sint infirmi, comedant simul in refectorio vel in aula vel in hospicio in prima vel secunda mensa, si in prima non poterunt interesse, et utantur omnes eisdem cibis, nec alicui fiant particularitates, nisi quando sunt hospites vel racione laboris aut alterius necessitatis. Prior tamen possit dare licenciam, ut aliqui extra predicta loca cum hospitibus adventantibus in loco honesto possint comedere, vel quando in quadragesima predicant vel pro aliqua necessitate et casu. Prohibentes strictissime sub pena gravis culpe, ne aliquis in camera sua mensam tenere vel comedere presumat. Et eandem penitenciam volumus incurrere procuratores et dispensatores, si fratribus extra predicta loca comedentibus panem, vinum, pictantiam vel alia cibaria dare presumpserint. Quod si aliqui moniti hunc modum vivendi in communi sequi contempserint, eos ex vi presentis ordinacionis voce activa et passiva in illo conventu privamus.

Item. Quoniam substancia religionis in tribus essencialibus votis consistit, inter que prima est obediencia, que magis deo accepta est, quam quodcumque aliud sacrificium, volumus et ordinamus, quod omnes fratres tam magistri quam alii suis prelatis obediant et eis debitam reverenciam exhibeant. Si autem aliquis frater deprehensus fuerit alicui precepto sui superioris scienter contrafecisse vel proterve cum eo contendisse vel verbis eum dehonestasse vel penitenciam sibi iniunctam facere recusasse aut a correctione vel preceptis maiorum appellasse vel sine licencia extra conventum per unum mensem stetisse, ipso facto sit pene

gravioris culpe subiectus; quam penam volumus eciam eos incurrere, qui per personas extra ordinem constitutas presumpserint procurare officium vel dignitatem aut assignacionem seu remocionem pro se vel pro alio in aliquo conventu vel qui defectus fratrum, unde possit ordini vel fratri infamia vel scandalum oriri, predictis personis revelaverit. Prohibentes sub pena excommunicacionis et gravioris culpe ac privacionis omnium bonorum, ne quis presumat bullas quascumque questuarias predicare aut cum questuariis et zarretanis huiusmodi indulgenciarum bullas predicantibus se in socios adiungere sine expressa licencia reverendissimi magistri ordinis. Nec eciam aliquis frater sub eisdem penis presumat in terminis aliorum conventuum nostri ordinis discurrere, vagari, predicare, questuare aut moram trahere absque licencia presidencium dictorum conventuum; quibus damus facultatem, ut huiusmodi fratres sic vagantes et discurrentes possint per censuras compellere ac eos, si eorum mandatis non paruerint, punire et carceri mancipare, invocato, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Possint tamen itinerantes, dum transeunt per aliquam villam, ibidem celebrare et predicare non questus, sed devocionis gracia aut ad fidelium preces, dummodo ibi moram non trahant, non obstantibus quibuscumque litteris aut quacumque alia licencia. Nec aliquis frater ordinis sub pena carceris, quam ipso facto incurrat, presumat accedere ad curiam Romanam sine expressa licencia sui prioris provincialis vel vicarii generalis sue congregacionis vel reverendissimi magistri ordinis. Nec in eadem curia moram trahat, nisi prius se presentet procuratori ordinis aut eius locum tenenti et ei causas et negocia, que habet tractare, fideliter exponat. Volentes, quod nullus frater exeat provinciam suam sub pena gravioris culpe sine licencia sui provincialis vel vicarii generalis seu congregacionis et sine litteris testimonialibus eorumdem. Mandantes omnibus et singulis prioribus provincialibus et conventualibus ac presidentibus conventuum in virtute spiritus sancti et sancte obediencie et sub pena suspensionis a suis officiis, quam ipso facto incurrant, ne fratres de vita regulari sine licencia sui vicarii generalis aut reverendissimi magistri ordinis recipere vel ultra duos dies retinere presumant. Mandantes eciam sub eisdem penis vicariis et presidentibus conventuum vite regularis, ne fratres de vita communi sine licencia sui prioris provincialis aut reverendissimi magistri ordinis recipere aut ultra predictum terminum duorum dierum retinere presumant. Nec volumus in locis, ubi sunt duo conventus nostri ordinis, quod presidens unius conventus possit sub pretextu cuiuscumque cause fratrem alterius conventus sine licencia sui prelati ullo modo recipere. Nec eciam

14) compellere] expellere P.

aliquis prior quemcumque fratrem sine litteris testimonialibus vagantem et discurrentem presumat ultra unum diem naturalem retinere, nisi forte contingeret illum infirmari, aut propter magnas pluvias non posset recedere, sub pena suspensionis ab officio suo per octo dies pro qualibet vice.

Item. Quia reverendissimus magister ordinis iam multos conventus reformavit et eciam alios conventus intendit reformare quoad substancialia et eciam quoad cerimonialia, idcirco conformantes nos litteris et privilegiis apostolicis precipimus in virtute spiritus sancti et sancte obediencie et sub pena excommunicacionis late sentencie, unica pro trina canonica monicione premissa, quam sedentes pro tribunali proferimus in his scriptis et quam contrafacientes ipso facto incurrant, quatenus nullus frater ordinis nostri, cuiuscumque gradus aut condicionis existat, sive de vita regulari sive de vita communi presumat conventus subiectos prioribus provincialibus tam reformatos quam reformandos, verbo, scripto vel opere, directe vel indirecte, per se vel per alios procurare, quod eximantur a cura et iurisdictione predictorum priorum provincialium, quibus secundum regularia instituta nostri ordinis subici debent, sine speciali licencia magistri ordinis; decernentes irritum et inane, si quid preter premissa per quemcumque contigerit attemptari, et quam excommunicacionem execucioni demandandam reverendis provincialibus committimus, a qua excommunicacione contrafacientes absolvi non possint nisi per magistrum ordinis.

Item. Cum decus sancte obediencie paterna monicione et expiacione culparum per penitencias in subditorum cordibus augeatur et, cum nostra religio merito et numero floruerit, quamdiu quotidiana capitula perduraverunt, idcirco mandamus prioribus seu presidentibus conventuum sub pena suspensionis a suis officiis, ut saltem de quindena in quindenam capitulum de culpis tenere debeant, quatenus et frequentibus admonicionibus et reprehensionibus pravi mores corrigantur et in melius reformentur. A quo nullus frater, cuiuscumque gradus aut condicionis existat, remanere presumat, nisi propter infirmitatem aut arduam causam de licencia prelati. Prohibentes sub pena gravioris culpe, ne quis presumat propter quodcumque dubium asserere, priorem sui conventus non esse priorem, aut ab eius obediencia se subtrahere, donec per superiores, si quod dubium est, fuerit declaratum. Et eandem penam volumus incurrere eos, qui arma invasiva in conventu super se portaverint vel aliquem fratrem percusserint graviter, aut qui ad liberacionem alicuius fratris incarcerati operam efficacem dederint. Mandantes prioribus pro-

6) item — id fieri prohiberent *om.* P.

vincialibus sub pena suspensionis a suis officiis, quatenus post capitulum generale celebrent suum capitulum provinciale, in quo diffinitor eligatur, nisi forte bella id fieri prohiberent.

De paupertate.

Item. Quia communitas omnium rerum maxime confert ad reformacionem conventuum, ideo, ut perfecte paupertatis votum servetur et vicium damnate proprietatis a fratribus excludatur, volumus et ordinamus ac sub pena gravioris culpe et privacionis omnium bonorum sibi concessorum districte prohibemus, quas penas quilibet contrafaciendo ipso facto incurrat, ne aliquis frater nostri ordinis, cuiuscumque gradus aut condicionis existat, aliqua bona temporalia nisi ad usum tantum de licencia suorum prelatorum habeat, nec ea vendere, donare, pignorare, commutare vel quovis modo alienare, nec pecunias aut alia bona apud mercatores aut campsores seu apud personas extra obedienciam nostri ordinis constitutas tenere aut mutuare, seu debitum aliquod contrahere sine licencia, aut tabernam vel macellum exercere, aut eciam negociaciones seu mercancias aut artem alchimie exercere aut animalia in societatem tenere aut de pecuniis ordinis possessiones sive proventus vel quecumque alia bona immobilia non nomine conventus, sed nomine suo vel parentum vel amicorum vel quorumcumque aliorum emere presumat; precipientes prioribus provincialibus et presidentibus conventuum, ut omnem diligenciam adhibeant, quod de eleemosinis tam in questibus quam in missis et officiis collectis et de omnibus aliis redditibus et proventibus conventus, ac eciam de aliis ad conventum venientibus seu pertinentibus taliter disponatur, quod fratres in communi vivant et quod nullus frater, cuiuscumque gradus existat, eciam si sit magister, extra refectorium aut hospicium excepta infirmitatis causa comedere aut mensam tenere presumat, sed pulsato cymbalo tam magistri quam alii fratres vadant ad abluendum manus et ad sedendum in loco deputato prope refectorium et facto signo a prelato cum campanula, fratres bini et bini intrent refectorium et inclinent ante crucem vel imaginem, que est supra mensam prioris et vadant ad sua loca, et postquam prelatus cessaverit pulsare campanulam, qui scriptus est ad responsoria horarum, dicat: « Benedicite », factaque benedictione in nota ordinis, omnes vadant ad sedendum secundum ordinem suum. Quando autem fuerint fratres in mensa, nullus incipiat comedere, quousque a lectore mense lectis duobis versibus, prelatus fecerit signum; quo facto cum silencio et lectione mense capiant cibum, nec comestionem multum protrahant, nec persone seculares de facili recipiantur ad comedendum in refectorio cum fratribus. Completa autem comestione fratres faciant gracias processionaliter procedendo ad ecclesiam. Mandantes omnibus et singulis fratribus nostri

ordinis, cuiuscumque gradus aut condicionis existant in virtute spiritus sancti et sancte obediencie ac sub pena excommunicacionis late sentencie, ac sub pena gravioris culpe, quatenus nullus eorum audeat de bonis ad communitatem conventus quovis modo pertinentibus sibi aliquid usurpare aut appropriare. Et si quis de predictis bonis aliquid habet, teneatur infra octo dies a noticia presencium totum illud restituere aut cum preside conventus terminum accipere. Nolentes eciam, quod aliquis frater possit tenere pecunias in deposito ad usus incertos, sed solum ad certos usus et de licencia suorum prelatorum, puta si habuisset ab aliqua persona ex predicacione vel confessione aliquas pecunias pro vestibus et libris emendis vel pro aliquā particulari causa, tales pecunias poterit tenere non apud se, sed in deposito, quod habet duas vel tres claves, quas tenebunt tres patres, qui in uno libro sigillatim scribent dictas pecunias, quando ponentur et quando extrahentur, quas non licebit in alios usus commutare, sed tantum ad usus illorum, qui eas depositaverunt pro eorum necessitatibus expendendas. Mandantes prioribus et presidentibus conventuum sub pena absolucionis a suis officiis, ut instituant fideles procuratores et dispensatores, qui discrete et fideliter habeant bona conventus conservare et dispensare, et teneantur singulis mensibus coram patribus raciocinium de introitibus et expensis conventus facere, omni excusacione semota. Precipientes eciam omnibus fratribus in virtute spiritus sancti et sancte obediencie et sub pena privacionis omnium graciarum ordinis, ut quilibet eorum teneatur saltem semel in anno de mense decembris omnia bona eis ad usum concessa ad pedes sui prelati realiter ponere vel saltem integraliter omnia in scriptis redigere et suis presidentibus tamquam se ipsos omnium rerum proprietate spoliantes presentare. Qui vero hoc facere neglexerint, sint omnibus graciis sibi concessis privati. Prohibentes strictissime sub pena privacionis vocis active et passive omnibus et singulis fratribus et sororibus nostri ordinis, cuiuscumque gradus aut condicionis existant, ne aliquis eorum presumat duas cameras aut duas habitaciones in diversis conventibus tenere, nisi sit actu regens in studio generali aut inquisitor heretice pravitatis; nec eciam de bonis sibi ad usum concessis per viam testamenti aut donacionis disponere; et qui in aliquo predictorum defecerit, ipso facto predictam penam incurrat, a quo non possit absolvi vel dispensari nisi per magistrum ordinis. Mandantes eciam prioribus provincialibus sub pena suspensionis a suis officiis, quam contrafaciendo ipso facto incurrant, ne aliquis eorum de cetero racione fratrum defunctorum presumat aliquid a conventibus exigere vel accipere, sed ipsis provincialibus

7) nolentes — expendendas *om.* P.

pro exepensis eorum alio modo provideatur. Volentes et ordinantes, quod in quolibet conventu sit una camera pro hospitibus deputata et una alia pro infirmis, et si talia loca non sint, edificentur et quod bene fulciantur de lectis et linteaminibus et mappis et omnibus utensiliis et aliis necessariis, et quod preficiantur eis unus hospitarius et unus infirmarius, qui omnia pertinencia ad suum officium recipiant sub inventario. Volentes, quod fratres hospites charitative recipiantur et humaniter pertractentur, et eciam infirmi et in camera infirmorum charitative recipiantur et cum pietate bene tractentur ac eis de servitoribus, medicis et medicinis et aliis necessariis secundum facultatem provideatur. Quod si presidentes conventuum fuerint in hoc negligentes per priorem provincialem vel eius vicarium graviter puniantur vel a suis officiis absolvantur.

Item cum Sixtus papa quartus dispensaverit cum toto ordine, ut possit possessiones, redditus, proventus et alia bona immobilia retinere, recipere et emere in communi et non aliter pro subsidio studencium et supportacione aliorum onerum fratribus et conventibus incumbencium, non obstantibus constitucionibus apostolicis et regularibus institutis dicti ordinis, secundum quas mendicantes appellamur et sine proprio ex incerta mendicitate vivere debemus, et cum iam totus ordo prefatum privilegium acceptaverit, prohibemus omnibus prelatis et fratribus nostri ordinis sub pena excommunicacionis late sentencie, quam in hiis scriptis ferimus, unica pro trina canonica monicione premissa, ne sine licencia capituli generalis vel reverendissimi magistri ordinis possessiones seu redditus aut proventus seu alia bona immobilia conventuum vel locorum vendere, aut alienare presumant; possint tamen illa de licencia priorum provincialium vel vicariorum generalium commutare, dummodo in evidentem utilitatem conventuum et locorum cedat; et idem dicimus de localibus et rebus mobilibus conventuum, quod non possint vendi vel alienari sine licencia priorum provincialium vel vicariorum generalium, nec eciam presumant prelati pecunias conventuum secularibus mutuare. Presidentes autem et fratres illorum conventuum, qui sine redditibus et absque magna sollicitudine et frequenti discursu ac distractione fratrum sufficienter ex eleemosinis et moderato questu sustentari possunt et competentem numerum fratrum et studencium cum continuacione lectionum et profectu religionis tenere, hortamur, ut sine redditibus pristinam ac moderatam mendicitatem observent et in bono proposito perseverent, regni celestis a domino mercedem et a nobis benedictionem recepturi (1).

---

13) item — recepturi *om.* P.

---

(1) Cf. Supra pag. 11 sq.

De voto castitatis.

Item. Quod nihil nos ita odibiles deo et abominabiles hominibus reddit, quam promisse castitatis votum depravare, districte imponimus presidentibus conventuum sub pena absolucionis ab officiis suis, quam ipso facto contrafaciendo incurrant, quatenus, si aliquem fratrem legitime deprehenderint in peccatum carnis cum quavis persona incurrisse vel lapsum fuisse aut post paternam admonicionem in presencia aliquorum patrum sibi factam ad loca suspecta accessisse aut cum personis suspectis conversacionem aut familiaritatem habuisse, preter penas in constitucionibus taxatas, ipsum eiiciant a conventu et privent omnibus bonis ab ordine sibi concessis, que volumus communitati fideliter applicari, declarantes huiusmodi criminosos incurrisse penam gravioris culpe et penam carceris, a qua non possunt absolvi nisi per magistrum ordinis vel diffinitores capituli generalis vel provincialis; quas eciam penas volumus subire eos, qui inventi fuerint ad taxillos vel cartas lusisse in conventu vel extra conventum aut falsum testimonium dixisse, aut pecunias ad usuram mutuasse aut aliquem fratrem vulnerasse vel graviter percussisse aut quamcumque mulierem vel mulieres sive honestas sive inhonestas, sive propinquas sive extraneas in cellas aut alias officinas conventus introduxisse, nisi essent forte alique magne domine, que bene associate de licencia prioris cum consilio patrum vellent conventum videre. Easdem eciam penas volumus incurrere eos, qui mutato vel occultato habitu aut larvati conventum exire aut quecumque monasteria monialium intrare aut extra conventum de nocte exire vel in villa seu civitate pernoctare, nisi forte pro infirmis custodiendis aut cum licencia prelati, presumpserint. Eandem eciam penam incurrant illi, qui in conventu permiserint coreas hominum et mulierum fieri vel qui in conventu vel extra conventum coreas duxerint. Si vero prelatus aliquid predictorum commiserit, ipso facto sit ab officio suo absolutus. Volentes, quod deputetur vir portarius prudens et honestus, et claves porte, quando fratres sunt in mensa et eciam de nocte stent apud prelatum vel apud personam securam. Imponentes presidentibus conventuum, ut diligenciam adhibeant circa clausuram conventus et dormitorii, quod de nocte semper claudatur ab infra et claves remaneant apud personam securam.

Item. Quoniam vagi et effrenati discursus fratrum scandali occasionem solent secularibus prestare, districte prohibemus omnibus et singulis fratribus, cuiuscumque gradus aut condicionis existant, sub pena gravis culpe, quam quilibet contrafaciendo ipso facto incurrat, quatenus nullus eorum exeat conventum, nisi raro et de licencia prelati cum socio

2) item — securam *ante* item *om.* P.

honesto, quem ipse dederit, et sine bottis ; et quando habent exire conventum, non vadant ad loca suspecta nec discurrant ad diversa loca vagando, sed negociis expeditis cito ad conventum revertantur. Et sub eadem pena nullus presumat in civitate in domibus secularium comedere, aut ad loquendum cum monialibus in quocumque loco accedere sine licencia prelati, aut litteras vel munuscula eis mittere vel ab eis accipere sine licencia prelati, quam non possit dare nisi ex causa honesta et necessaria, sub pena suspensionis ab officio suo, quam ipso facto contrafaciendo incurrat.

De studio.

Item. Quia gloria et profectus tocius ordinis est studium arcium et sacrarum litterarum, ideo volumus et ordinamus, quod in omnibus conventibus, in quibus est generale studium, iuxta ordinaciones multorum capitulorum generalium via et doctrina s. Thome legatur, teneatur et defendatur ; et si quis scienter presumpserit in aliquo eius doctrinam publice impugnare, sit ipso facto privatus loco et graciis ordinis ; precipientes sub pena carceris, quatenus nullus presumat sustentare conclusiones hereticas, vel eciam in populo scandalum generantes. Mandantes prioribus provincialibus, ut diligenciam adhibeant, quod studium grammatice in pluribus conventibus provincie ponatur, ad quod iuvenes illius provincie mittantur et erudiantur. Volentes, quod lectores continue et solicite legant et iuvenes et studentes lectores sine defectu visitent, et fiant quotidie circuli et conferencie vel examinaciones. Nec possint fratres in aliquo studio generali assignari, inde removeri ante completum tempus trium annorum nisi propter crimen vel totalem ineptitudinem ad litteras et de consensu regentium et officialium studii. Prohibentes sub pena gravioris culpe, quod nullus promoveatur ad baccalaureatum seu ad legendum sentencias pro forma et gradu magisterii, nisi in aliquo studio generali per tres annos in theologia studuerit, in disputacionum et circulorum frequencia exercitatus fuerit, et nisi tamquam idoneus et sufficiens per provinciales et diffinitores sue provincie capitulo generali vel magistro ordinis fuerit presentatus et acceptatus. Et postquam compleverit cursum suum quoad lecturam sentenciarum et actos scolasticos secundum morem illius universitatis, non possit ad gradum magisterii promoveri nisi per capitulum generale vel magistrum ordinis eius lectura fuerit approbata, et ipse ad suscipiendum magisterium per predictos fuerit licenciatus. Oppositum autem facientes secundum nostras constituciones sunt ipso facto excommunicati et omnibus graciis, officiis et exempcionibus perpetuo privati, sicut eciam patet ex constitucione Bonifacii IX., secundum quam eciam ex vi presentis ordinacionis declaramus esse privatos. Declarantes eciam, quod illi, qui per bullas aut brevia apostolica

sine licencia et favore reverendissimi magistri vel capitulorum generalium promoti sunt vel de cetero promovebuntur ad quoscumque gradus in theologia sive biblicatus sive baccalaureatus sive magisterii nullis libertatibus, exempcionibus, graciis, preeminenciis huiusmodi graduatis ab ordine concessis gaudere possunt, sed solum pro simplicibus conventualibus haberi debent. Mandantes presidentibus conventuum et omnibus fratribus nostri ordinis, sub pena gravioris culpe, ne tales sic per saltum et furtive graduatos pro graduatis habeant aut eos graduatos nominare presumant. Et volumus, quod in qualibet provincia, si fieri potest, tres vel saltem duo conventus de magis idoneis eligantur, in quibus ponantur studia particularia et per priores provinciales mittantur iuvenes illius provincie apti, idonei et morigerati et non insolentes atque criminosi, quibus de sufficientibus lectoribus provideatur. Ubi autem paucitas vel ineptitudo conventuum predicta studia in diversis conventibus poni non permiserit, poterit in eodem conventu simul poni studium philosophie et theologie. Et ut studentes ad studium missi comoditatem habeant studendi, mandamus omnibus presidentibus conventuum, ut suis fratribus ad studium missis teneantur singulis annis dare duos ducatos aureos, ut possint sibi de libris et vestibus providere. Mandantes omnibus et singulis fratribus nostri ordinis sub pena excommunicacionis, quam contrafaciendo quilibet eorum incurrat, quatenus nullus eorum in locis, ubi est studium, presumat manere extra conventum sine speciali licencia magistri ordinis, dantes facultatem presidentibus nostrorum conventuum, ut tales fratres extra conventum sine predicta licencia manentes possint capere et incarcerare ac eos punire, invocato, si opus fuerit, brachio auxilii secularis. Et idem dicimus de his, qui manent extra conventum in locis, ubi conventum habemus.

Item. Mandamus omnibus fratribus nostri ordinis sub pena gravioris culpe, quam ipso facto contrafaciendo incurrant, quatenus nullus eorum presumat imprimi facere libros ordinis aut a fratribus ordinis editos sine licencia speciali magistri ordinis et nisi prius fuerint bene correcti et examinati. Et sub eadem pena nullus fiat lector principalis in aliquo conventu vel predicator generalis, nisi sit maturus, discretus et sufficientis litterature et qui per tres annos ad minus theologiam audierit et sciat competenter proponere verbum dei et sit idoneus ad negocia ordinis pertractanda. Absolventes omnes, qui a septem annis citra aliter facti sunt. Sub eadem pena prohibentes omnibus predicatoribus, ne predicent scandalosa, nec detrahant prelatis ecclesie nec aliis religiosis, sed predicent doctrinam evangelicam et sanam ad honorem dei et sanctorum et ad edificacionem populi. Nullus eciam exponatur ad confessiones audiendas, nisi sit idoneus, maturus, vita et moribus approbatus et de casibus tam

sedi apostolice quam diocesanis reservatis ac de aliis, que ad animarum salutem pertinent, competenter instructus.

Item. Volumus et ordinamus, quod omnes priores habeant regulam et constituciones correctas, que sunt noviter impresse, et regulam semel in hebdomada et constituciones semel in anno ac ordinaciones presentes ter in anno legi faciant coram fratribus simul in mensa congregatis.

Item. Ordinaciones precedentis capituli tamquam utiles et racionabiles ac eciam declaraciones diversorum capitulorum generalium collectas per reverendissimum magistrum ordinis et diversis passibus constitucionum applicatas approbamus et volumus in suo robore permanere et quandoque in mensa legi.

Item. Pro serenitate et consolacione consciencie omnium fratrum cupientes, ut pocius corpora paciantur penas, quam anime damnentur, removemus omnes censuras et precepta omnium precedencium capitulorum generalium et illa commutamus in penam gravioris culpe, exceptis dumtaxat censuris et preceptis, que in presentibus ordinacionibus continentur; hortamurque priores provinciales et conventuales, ne sint faciles ad censuras et precepta fulminanda. Mandantes procuratoribus provincialibus, ne ultra tempus visitacionum solemnium, quod quidem non est multum protrahendum, non gravetur conventus trahendo ibi moram, quam si traxerint, teneantur sibi et famulis atque equis de suis contribucionibus expensas facere; nec eciam in ipsa visitacione magnas expensas in cibis delicatis et exquisitis faciant, sed post secundam diem sint contenti cibariis refectorii; et idem dicimus de vicariis generalibus. Nolentes, quod vicarii nacionum instituti per procuratores provinciales habeant aliquam iurisdictionem in conventu, in quo sunt assignati.

Item. Ut removeantur lites, que inter conventus solent oriri propter limitacionem terminorum, imponimus prioribus provincialibus, ut assumptis secum aliquibus patribus discretis illorum conventuum, inter quos est disceptacio, taliter limitent et dividant terminos, attenta maiori vel minori paupertate conventuum, quod pax inter ipsos servetur.

Iste sunt declaraciones.

Declaramus, quod ad consilia vocandi sunt fratres, qui sunt magistri in theologia vel fuerunt priores in illo conventu, ubi deputantur consiliarii, vel lectores principales vel vicarii nacionum vel in studio generali sentencias legerint vel qui sunt actualiter suppriores vel qui per magistrum ordinis vel priorem provincialem instituti fuerint, nisi propter aliquod crimen meruerint privari, sicut eciam alias declaratum fuit.

---

9) passibus] partibus R. — 29) inter — conventuum *om.* R. — 33) declaramus — declaratum fuit *om.* P.

Item. Declaramus, quod fratres in ordine nostro debent tenere loca in choro, refectorio, capitulo, processionibus et in aliis locis secundum ordinem sue professionis, ita quod illi, qui post professionem suam tacitam vel expressam diucius habitum nostre religionis portaverunt, debent precedere eos, qui non tanto tempore prefatum habitum detulerunt, exceptis magistris in theologia, qui habent locum immediate post illum priorem, in cuius conventu fuerint, et exceptis baccalaureis, qui in aliquo conventu, ubi est generale studium, sentencias legunt vel legerint, qui locum debent habere immediate post suppriorem vel post seniores patres conventus secundum consuetudinem patrie. Magistri vero et alii graduati locum inter se habebunt secundum ordinem et tempus sue promocionis. Illi vero, qui in seculo aliquem gradum habuerunt, priusquam recepti fuerint in ordine, tenebunt locum sue vocacionis, nisi per magistrum ordinis vel priorem provincialem cum diffinitoribus fuerit sponte sibi locus datus. Studentes autem in actibus scolasticis locum habeant secundum ordinem sue recepcionis, nisi sint studentes honoris, qui omnes alios debent precedere. Magistri vero studencium ubique locum habeant supra omnes studentes; biblici vero locum habeant super magistrum studencium. Patres vero de consilio, nisi fuerint graduati, locum sue professionis ubique teneant.

Item. Declaramus, quod si per inferiores prelatos ob delicta vel demerita fratres aliqui minus (1), quam culpe eorum exigant, puniantur, nihilominus per prelatos superiores possunt et debent secundum constituciones ordinis gravius castigari, sicut fuerit declaratum Veneciis anno 1437.

Item. Declaramus, quod inter festivitates beatissime virginis solum festum assumpcionis eius habet octavas solemnes; festum autem nativitatis eius et visitacionis eius habent octavas simplices, et in festo visitacionis debet cantari et legi officium editum per s. theologie professorem fr. Vincencium de Castronovo (2) magistrum ordinis ad instar octavarum nativitatis eiusdem, revocantes illam rubricam factam de celebracione huius festi, antequam octave corporis Christi essent solemnes, in qua dicitur, quod fiant ad instar octavarum corporis Christi. Festum autem purificacionis et annunciacionis et sanctificacionis eiusdem non habent octavas.

Item. Declaramus, quod si post octavas solemnes immediate non occurrerit festum simplex vel supra, in ipsa die octava debet dici officium

---

14) sponte *om.* P.

---

(1) MOPH. VIII, 242 l. 23 falso legitur « cicius » pro « minus ».

(2) De fr. Vincentio de Castronovo cf. supra pag. 25.

defunctorum, ne anime, que sunt in purgatorio, debitis suffragiis fraudentur.

Item. Declaramus, quod in vigilia s. Laurencii, que venit infra octavas beati Dominici, debet cantari Kyrie et sanctus et agnus dei de simplici, et gloria in excelsis et alleluia sicut quando venit in dominica.

Item. Declaramus, quod infra octavas sancti Michaelis debet dici ad benedictus et ad magnificat antiphona de die et cantus hymni ad laudes cantari debeat ad instar hymni trium lectionum unius confessoris, sicut fit in octavis sancti Martini. Declarantes eciam, quod in dominica infra octavas corporis Christi debet dici missa de dominica et per totas octavas tam in matutinis quam in vesperis fieri debeat memoria de sanctissima trinitate; similiter dominica infra octavas visitacionis debet dici missa de dominica.

Item. Declaramus, quod in festo ordinacionis beati Ambrosii, cum illa die non migraverit, debet cantari hymnus: Iste confessor, eo modo quo cantatur in festo sancti Remigii; eodem die in missa debet fieri memoria de sancto Andrea.

Item. Declaramus, quod, quia quando prima dies mensis novembris venerit in dominica, non possunt dici tria ultima responsoria historie dominicalis, nisi fiat de feria in uno sabbato, sicut quando festum beati Egidii venit in dominica, ideo in dominica infra octavas beati Martini, quando littera dominicalis fuerit in *D*, debet fieri de feria, ne sit opus omittere officium in sabbato de beata virgine Maria.

Item. Declaramus, quod in die animarum post lectiones in matutinis fiende sunt inclinaciones inter pulpitum et gradus altaris ab eo, qui lectiones legit. Similiter ad « fidelium », quod dicitur post graciarum actiones in sabbatis quadragesime, debent fratres tantum inclinaciones et non prostraciones facere, cum in vesperis immediate precedentibus prostraciones ad ipsas vesperas et ad ipsum « fidelium » facte non fuerint.

Item. Declaramus, quod quando nullo prelato existente in dextro choro, prior aliquis fuerit in sinistro choro non habens aliquem magistrum vel alium supra se, tunc post cantores thurificandus est prior, qui est in sinistro choro; si vero habuerit aliquem magistrum vel alium supra se, tunc post cantores thurificandus est chorus dexter et postea sinister.

Item. Declaramus, quod, quando ante nativitatem domini cantantur antiphone *O*, debent accendi due candele in vesperis; similiter post processionem, que fit in ramis palmarum, debet crux reponi super altare et ibi stare usque ad completorium inclusive.

---

14) item — Andrea *om.* P. — 18) item — Maria *om.* P.

Item. Declaramus, quod ille memorie, que habent perpetuum impedimentum, de quibus numquam potest fieri in proprio die, de eis non debent fieri tres lectiones, nec festum trium lectionum ultra octo dies potest transferri.

Item. Declaramus, quod in tempore paschali debet cantari cantus hymni: « Ad cenam agni providi », in hymnis eiusdem metri, nisi in festis totis duplicibus, sive habeant specialem cantum sive non.

Item. Declaramus, quod cantus hymnorum de semiduplici debet cantari ad hymnos in duplicibus et totis duplicibus, nisi in festis apostolorum et evangelistarum extra tempus paschale.

Item. Declaramus, quod fratres beneficiati vel qui stant extra ordinem ad officiandum capellis vel ad serviendum in aliis officiis, quamdiu sic extra ordinem steterint vel officiaverint vel beneficia tenuerint, nec cellam nec vocem activam vel passivam in conventibus ordinis habere possint, nec conventus eis teneatur nisi ad suffragia in morte, sicut fuit ordinatum in capitulo Perusino anno 1478, et ibi fuit acceptatum breve Sixti pape quarti, quod predicta continet (1).

Item. Declaramus, quod priores in conventu suo et in eorum absencia suppriores et eorum vicarii omnes fratres nostri ordinis hospites ad eorum conventus declinantes ab omnibus peccatis et censuris tam a iure quam ab homine generaliter prolatis, sedi apostolice non reservatis, possunt absolvere, dummodo in fraudem hac intencione ad eos non accedant, ac eciam eis sacramentum eucharistie et extreme unctionis ministrare, non tamen possunt a sentencia lata a iudice nostri ordinis absolvere, nisi iudex ille esset eis inferior.

Item. Declaramus, quod bona fratrum moriencium apud monasteria monialium ad suos conventus nativos pertinere debeant; declarantes eciam, quod ingredientes monasteria nostri ordinis absque licencia reverendissimi magistri, nisi in casibus in earum constitucionibus expressis, sunt excommunicati per constitucionem Bonifacii IX., a qua non possunt absolvi nisi per magistrum ordinis vel fratres, quibus ipse commiserit.

Item. Declaramus, quod cum cura monasteriorum dicti ordinis sit per sedem apostolicam commissa reverendissimo magistro ordinis et provincialibus, ne mortuis vel amotis prioribus provincialibus predicta monasteria remaneant sine regimine et cura, idem reverendissimus magister de consilio et consensu nostro ex nunc prout ex tunc, et ex tunc prout ex nunc dat illam auctoritatem et iurisdictionem vicariis provinciarum super predicta monasteria, mortuis vel amotis predictis provincialibus, quam secundum ordinem et privilegia apostolica ipsi provinciales habebant.

(1) Cf. MOPH. VIII, 342 l. 5 sqq. et BO. III, 561 n. 103.

Denunciamus sanctissimum dominum nostrum Iulium divina providencia papa secundum in presenti capitulo misisse infrascripta brevia pro augmento religionis et pace tocius ordinis conservanda, quorum primum est sequentis tenoris : Iulius papa II. Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. A fide dignis nuper accepimus, quod multi tui ordinis fratres reformacionem per te salubriter institutam libencius avidiusque amplecterentur, ni dubitarent a conventibus suis post huiusmodi reformacionem expelli. Quapropter nos pro dei laude et religionis honore reformatorum numerum huiusmodi augere desiderantes omnemque dubitacionem fratribus illam subire volentibus adimere cupientes, universis et singulis antedicti ordinis fratribus de observancia nuncupatis sub excommunicacionis late sentencie pena districtius inhibemus, ne conventus per te reformatos et reformandos directe vel indirecte a regimine priorum provincialium, quibus iuxta constituciones dicti ordinis subiici debent, distrahere aut eximere curent sine tui speciali licencia. Decernentes nihilominus quascumque litteras super exempcione regiminis antedicti, in posterum eciam per sedem apostolicam faciendas nullius roboris vel momenti fore, nisi in illis specialis mencio de tua licencia fiat. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Rome apud s. Petrum sub annulo piscatoris die ·xviii· marcii 1505 pontificatus nostri anno ·ii·

Sigismundus. *A tergo:* Dilecto filio generali magistro fratrum ordinis predicatorum.

Item. Aliud breve.

Iulius papa secundus. Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. A fide dignis accepimus, quod nonnulli fratres ordinis tui et nonnulle moniales ordinis Augustini sub habitu et cura fratrum tue cure subiectorum degentes, ut debitam correctionem et absoluciones a suis officiis subterfugiant ad cancellariam Avenionensem et alias curias seculares vel ecclesiasticas a tuis et aliorum prelatorum ordinacionibus et mandatis appellare non erubescunt ; quocirca huiusmodi subterfugiis obviare, quantum cum deo possumus, cupientes fratribus et monialibus antedictis, ne appellaciones hactenus interpositas prosequi aut in posterum a mandatis huiusmodi appellare, iudicibus vero quarumcumque curiarum, ne appellaciones huiusmodi recipere aut illas cognoscere quoquo modo presumant, sub excommunicacionis pena districtius inhibemus, irritum quoque et inane decernimus, quidquid secus a quopiam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari ; constitucionibus et ordinacionibus apostolicis ac dicti ordinis statutis ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

1) denunciamus — predicatorum *ante* approbamus *om.* P.

Datum Rome apud s. Petrum sub annulo piscatoris die 18 marcii 1505 pontificatus nostri anno secundo.

Sigismundus. *A tergo:* Dilecto filio generali magistro fratrum ordinis predicatorum.

Approbamus correctionem nostrarum constitucionum et regule factam per reverendissimum magistrum ordinis, que Mediolani fuerunt impresse, ac eciam declaraciones per eundem collectas et diversis passibus et clausulis applicatas.

Item. Approbamus magisteria infracitatorum fratrum videlicet: fr. Thome de Hispania Durant, fr. Augustini de Vercellis, fr. Antonii de Dalmacia.

Item. Approbamus magisteria et lecturas fratrum infrascriptorum videlicet: Reverendi patris fr. Eustachii de Bononia (1) provincialis Terre sancte et fr. Petri Covarrubias Hispani (2) presentis capituli diffinitoris; fr. Iohannis Magni de Ungaria (3) presentis capituli diffinitoris Ungarie, fr. Thome de Sicilia (4) similiter diffinitoris Sicilie, fr. Antonii Reugerii (5) provincie Provincie similiter diffinitoris Provincie, fr. Iohannis Naverdi (6) similiter diffinitoris Aragonie, fr. Antonii Hostrcheriis (7) similiter diffinitoris Dalmacie, fr. Thome Durandi (8) diffinitoris Portugalie, fr. Gregorii Pardo Hispani, fr. Mathie de Pace Hispani (9), fr. Raymundi de Fabro provincie Tholosane, fr. Antonii Fusxusvens provincie Tholosane, fr. Maturini Teyreclin (10) provincie Francie, fr. Antonii provincie Ungarie, fr. Rodulphi provincie Polonie, fr. Hieronimi de Chiero, fr. Thome de Garresio, fr. Gregorii Leti Iadrensis, fr. Martini Soro (11), fr. Georgii de Ianua (12), fr. Theobaldi de Alba, fr. Bernardi de Saluciis, fr. Iohannis

---

6) que — applicatas] cum recollectionibus diversorum capitulorum generalium applicatorum diversis passibus et clausulis constitucionum P. — *Quae sequuntur ad* iste sunt absoluciones *om.* P. — 14) Covarrubias] Cavasruvies R.

---

(1) De fr. Eustachio de Bononia cf. MOPH. VIII, 431.

(2) De fr. Petro Covarrubias cf. supra pag. 25, SSOP. II, 81.

(3) De fr. Ioanne Magni cf. l. c.

(4) De fr. Thoma de Sicilia cf. l. c., ubi falso dicitur diffinitor provinciae Romanae; cuius provinciae diffinitor fuisse arbitror fr. Marcus de Verona, de quo l. c.

(5) De fr. Antonio Reugerii (Raugerii) cf. l. c.

(6) De fr. Ioanne Navardi cf. l. c.

(7) De fr. Antonio cf. l. c.

(8) De fr. Thoma Durandi cf. l. c.

(9) De fr. Matthia de Pace cf. SSOP. II, 38.

(10) De fr. Maturino Teyreclin (*al.* Trecellim) cf. supra pag. 19.

(11) De fr. Martino Soro cf. l. c. pag. 21.

(12) De fr. Georgio de Ianua cf. l. c.

de Septembri Hispani, fr. Ferdinandi Chinensis Hispani, fr. Petri de Capite Laude provincie Tholosane, fr. Petri Taliaferri (1) provincie Tholosane, fr. Petri Sameone provincie Francie, fr. Guilelmi Fossi provincie Francie, fr. Alberti provincie Polonie, fr. Iohannis provincie Polonie, fr. Augustini de Vercellis, fr. Iohannis Sangreci Siculi, fr. Raphaelis Moner, fr. Iohannis Millonis, fr. Michaelis de Ianua (2), fr. Thome de Conate Alexandrini, fr. Iohannis Petri Siculi (3).

Et lecturas infrascriptorum fratrum et licenciamus eos ad magisteria in primis: fr. Zacharie de Ravenna (4) presentis capituli diffinitoris, fr. Alvari Osorio (5), fr. Alphonsi Bussilio, fr. Luce de Ianua, fr. Hieronimi de Thervisio, fr. Iohannis Buxtaldo, fr. Ladislai de Quinque ecclesiis Ungari (6), fr. Iacobi de Victoria, fr. Antonii de Miranda, fr. Gabrielis Perchii prioris Barchinonensis, fr. Iohannis Tenes provincie Aragonie.

Item. Approbamus studium generale positum in conventu Insulensi provincie Dacie.

Item. Approbamus studium generale positum per reverendissimum magistrum ordinis in conventu Bituricensi provincie Francie cum privilegiis et exempcionibus et immunitatibus, que habentur in aliis studiis generalibus nostri ordinis.

Item. Approbamus studium in conventu Olmucensi provincie Bohemie.

Item. Approbamus reformaciones infrascriptorum conventuum videlicet: Frisacensis, Antwerpiensis provincie Theutonie, Brageriacii provincie Tholosane subiicientes eosdem reverendis provincialibus cum monasterio sororum Vallis gracie, cum acceptacione novi conventus fratrum Marie Meuce (7).

Iste sunt translaciones.

Transferimus fr. Albertum de Cherio de provincia sancti Petri martiris ad provinciam Hispanie.

Transferimus fr. Antonium Baute provincie Tholosane ad provinciam Hispanie et fr. Iohannem de Borcano provincie Tholosane et conventus Anicii ad conventum Marciani eiusdem provincie.

Item. Approbamus translacionem fr. Frederici Principis provincie Francie de conv. Cathalanensi ad conv. Remensem eiusdem provincie.

(1) De fr. Petro Taliaferri cf. l. c.

(2) De fr. Michaele de Ianua cf. MOPH. VIII, 402.

(3) De fr. Ioanne Petro Siculo cf. l. c. pag. 404.

(4) De fr. Zacharia de Ravenna cf. supra pag. 25.

(5) De fr. Alvaro Osorio cf. l. c. pag. 19.

(6) De fr. Ladislao de Quinque ecclesiis cf. MOPH. VIII, 132.

(7) Probabiliter agitur hic de conventu S. Mariae Caucen. (Coca), de quo cf. BO. IV, 185 n. 123.

Item. Transferimus fr. Dominicum de Motono de provincia Grecie ad provinciam Terre sancte et ad conventum Nichosie.

Item. Approbamus translacionem magistri Thome de Reate (1), ad conventum sancte Marie Novelle de Florencia.

Item. Approbamus translacionem magistri Petri Boneti (2) de conventu Annunciate s. Marie super Minervam provincie Romane ad conventum Buxi.

Item. Approbamus translacionem magistri Angeli de Saviliano (3) de conventu Saluciarum ad conventum Albensem provincie b. Petri martiris.

Item. Fr. Iohannis de Terdona (4) de conventu s. spiritus de Senis ad conventum Viguerie noviter erectum provincie s. Petri martiris.

Item. Transferimus fr. Iohannem Mamer conventus Posvalcensis provincie Polonie ad conventum Lucembergensem provincie Theutonie.

Item. Approbamus translacionem magistri Alberti de conventu Plocensi ad conventum Cracoviensem.

Item. Fr. Iohannis Nigri (5) de provincia Theutonie ad provinciam Polonie in conventu Siradicensi.

Item. Approbamus translacionem factam de fr. Clemente de la Sala de provincia Hispanie ad provinciam Aragonie ad conventum Perpiniani.

Item. Fr. Antonii Rupe de provincia Hispanie ad provinciam Aragonie ad conventum Perpiniani.

Item. Approbamus translacionem reverendi magistri Martini de Ianua de conventu s. Marie de Castello ad conventum s. Dominici de Ianua.

Item. Fr. Cypriani de Brixia de provincia s. Petri martiris ad provinciam s. Dominici ad conventum Cingulanum.

Item. Fr. Sebastiani de Suessa de provincia Regni ad provinciam s. Dominici ad conventum s. Viti.

Item. Fr. Petri de Castello de conventu s. Dominici de Veneciis ad conventum Racanatensem.

Item. Transferimus fr. Georgium Bendi et fr. Nicolaum Iuliani de conventu Bitericensi ad conventum Montispessulani.

Item. Fr. Symphorianum Camaleri conventus Aniciensis et fr. Petrum Gibardi et fr. Petrum Sibelli conventus Chamberiaci ad conventum Montispessulani, et fr. Petrum Geusini de Buolis ad eundem conventum Montispessulani.

---

(1) De fr. Thoma de Reate cf. l. c. pag. 402.
(2) De fr. Petro Boneti cf. l. c. pag. 433.
(3) De fr. Angelo de Saviliano cf. SSOP. II, 47.
(4) De fr. Ioanne de Terdona cf. MOPH. VIII, 367.
(5) De fr. Ioanne Nigri cf. supra pag. 22.

Iste sunt assignaciones.

Conventui Parisiensi pro primo anno videlicet 1505 pro intraneis debito assignamus ad legendum sentencias in magnis scolis fr. Gulielmum Galli; in parvis scolis fr. Iohannem de Rosa (1). In secundo anno 1506 extraneis debito in magnis scolis fr. Paulum Legionensem (2), cui substituimus fr. Iacobum Blomcali; in parvis scolis fr. Herveum Claudi. In tercio anno 1507 intraneis debito in magnis scolis fr. Petrum de Brucellis; in parvis fr. Gulielmum Babilon, cui substituimus fr. Iohannem Anglici. In quarto anno 1508 extraneis debito in magnis scolis fr. Deodatum Iostrini, cui substituimus fr. Raphaelem de Ragusio; in parvis scolis reverendissimus magister ordinis de eo, quem pecierint prior, regens et officiales studii, providebit. In studentem theologie fr. Raymundum de s. Martino pro rata provincie Tholosane; pro rata provincie s. Petri martiris fr. Gabrielem de Vercellis.

Conventui Bononiensi in regentem fr. Eustachium de Bononia (3) magistrum pro primo et secundo anno assignamus; pro baccalaureo fr. Hieronimum de Viglo; pro tercio anno pro baccalaureo fr. Thomam de Calvisano (4), in magistrum studencium pro primo anno fr. Donatum de Brixia (5), pro secundo fr. Hieronimum de Laude, pro tercio fr. Leonardum de Mediolano, cui substituimus fr. Chrisostomum de Casali (6). In studentes assignamus pro rata provincie Polonie fr. Dominicum de Polonia, pro rata Sicilie fr. Iohannem de Giesio, pro rata provincie Dalmacie fr. Vincencium de Catharo, pro rata provincie Hispanie fr. Petrum de Zarathe, pro rata provincie Trinacrie fr. Nicolaum de Panormo, pro congregacione Lombardie fr. Damascenum de Laude et fr. Antonium de Parma, pro rata provincie Aragonie fr. Garziam Marchisi, pro rata provincie Bohemie fr. Iohannem Psarkircher et fr. Gregorium Doren.

Conventui Perusino in regentem pro primo et secundo anno assignamus fr. Iohannem Petrum Siculum (7) magistrum, in baccalaureum pro primo anno reverendissimus magister ordinis providebit. In biblicum pro primo anno fr. Petrum de Narnia, in magistrum studencium fr. Nicolaum Perusinum; baccalaureum pro secundo anno fr. Petrum de Narnia, in biblicum fr. Nicolaum Perusinum, in magistrum studencium reverendissimus magister ordinis providebit. In regentem pro tercio anno fr. Gre-

(1) De fr. Ioanne de Rosa cf. supra pag. 19.
(2) De fr. Paulo Legionen. cf. SSOP. II, 76.
(3) De fr. Eustachio de Bononia cf. supra pag. 46.
(4) De fr. Thoma de Calvisano cf. MOPH. VIII, 431.
(5) De fr. Donato de Brixia cf. SSOP. II, 333.
(6) De fr. Chrysostomo de Casali cf. l. c. pag. 104.
(7) De fr. Ioanne Petro Siculo cf. supra pag. 47.

gorium de Iadra magistrum, in baccalaureum fr. Nicolaum Perusinum, in magistrum studencium fr. Raphaelem de Florencia. In studentes theologie fr. Petrum Siculum, fr. Gabrielem de Mediolano, fr. Thomam de Bohemia, fr. Simonem de Viterbio, fr. Andronicum de Saxonia, fr. Petrum Hiroch, fr. Gerardum de Rotovilla, fr. Mariotum de Fulgineo; in studentem arcium fr. Thomam de Trevisio.

Conventui Florentino pro primo et secundo anno assignamus in regentem fr. Thomam de Reate (1) magistrum, in baccalaureum fr. Thomam de Liniaco pro primo et secundo anno. In biblicum pro primo anno fr. Franciscum Iohannis de Aragonia; in magistrum studencium fr. Benedictum de Floriano. In biblicum pro secundo anno fr. Benedictum de Floriano, in magistrum studencium fr. Bartholomeum de Crestis de Florencia. In regentem pro tercio anno fr. Iacobum de Michaelis Venetum, magistrum; in baccalaureum fr. Franciscum Iohannis de Aragonia; in biblicum fr. Benedictum de Florencia; in magistrum studencium fr. Bartholomeum de Crestis. In studentes theologie fr. Dominicum de Sicilia et fr. Baptistam de Fulgineo; in studentem honoris pro primo anno fr. Bartholomeum de Chrestis.

Conventui Senensi assignamus in regentem pro primo et secundo anno fr. Bartholomeum de Sicilia, in baccalaureum pro primo anno fr. Iordanum de Utino, in biblicum fr. Benedictum de Saviliano, in magistrum studencium fr. Ludovicum de Hispania. In baccalaureum pro secundo anno fr. Benedictum de Saviliano, in biblicum fr. Ludovicum de Hispania, in magistrum studencium reverendissimus magister ordinis providebit. In regentem pro tercio anno fr. Iohannem Baptistam de s. Miniate, in baccalaureum fr. Reginaldum de s. Severino, in biblicum fr. Paulum Siculum. In studentes theologie fr. Mathiam de Viterbio et fr. Dominicum de Apulia (2).

Conventui Romano assignamus in regentem pro primo et secundo anno fr. Bernardum de Saluciis (3) magistrum, et pro tercio fr. Augustinum de Vercellis (4) magistrum; in baccalaureum fr. Hegardum Messoris de Saxonia; de aliis autem officialibus reverendissimus magister ordinis providebit. In studentem fr. Iacobum de Saxonia.

Conventui Veneto in regentem pro tribus primis annis reverendum magistrum Martinum de Ianua (5), in magistrum studencium pro primo anno fr. Iohannem de Augusta Alemanum, in biblicum fr. Aloisium Ve-

(1) De fr. Thoma de Reate cf. l. c. pag. 48.
(2) De fr. Dominico de Apulia cf. l. c. pag. 22.
(3) De fr. Bernardo de Salutiis cf. l. c. pag. 46.
(4) De fr. Augustino de Vercellis cf. l. c. pag. 47.
(5) De fr. Martino de Ianua cf. l. c. pag. 48.

netum, in baccalaureum fr. Franciscum de Graciis Venetum; pro secundo anno in magistrum studencium fr. Iohannem Franciscum de Veneciis, in biblicum fr. Iohannem de Augusta Alemanum, in baccalaureum fr. Aloysium de Veneciis; pro tercio anno in magistrum studencium fr. Dominicum de Ancona, in biblicum fr. Iohannem Franciscum de Veneciis, in baccalaureum fr. Iohannem de Augusta Alemanum. In studentes honoris pro primo anno fr. Antonium de Veneciis, fr. Iohannem Franciscum Venetum; in studentes theologie fr. Nicolaum Venetum, fr. Vincencium Gerardini Venetum, fr. Albertum de Iadra provincie Dalmacie; omnes alii reassignentur, etsi non stetissent, fr. Iohannem de Este, fr. Antonium de Veneciis in biblicum extraordinarium pro secundo et tercio anno.

Conventui Patavino in regentem pro primo anno fr. Lucam de Ianua (1) magistrandum, in magistrum studencium pro primo anno fr. Alexandrum de Padua, in biblicum fr. Iohannem Baptistam de s. Miniate, in baccalaureum fr. Andream Tridentinum; pro secundo et tercio anno in regentem fr. Augustinum de Padua (2) magistrum, in magistrum studencium fr. Bernardum de Sicilia, in biblicum fr. Alexandrum de Padua, in baccalaureum fr. Iohannem Baptistam de s. Miniate, in baccalaureum extraordinarium fr. Andream de Tridento; pro tercio anno in magistrum studencium fr. Maurum de Bitonto, in biblicum fr. Bernardum de Sicilia, in baccalaureum fr. Alexandrum de Padua. In studentes honoris pro primo anno fr. Bernardum de Sicilia, pro secundo et tercio fr. Zanetum de Trevisio; in studentes theologie fr. Isydorum de Padua, fr. Thomam Iuniorem Venetum et pro rata provincie Regni fr. Antonium de Cordona, fr. Dominicum de Ferre, fr. Franciscum de Cherio, fr. Emericum de Regno; pro rata provincie Regni reassignentur in studio Patavino pro tribus annis fr. Maurus eiusdem provincie, pro duobus primis annis fr. Michael de Augusta provincie Theutonie, fr. Iohannes Baptista civitatis Theatine (3) pro rata provincie Terre sancte; pro rata provincie Trinacrie in studentem theologie pro primo anno fr. Paulum Siculum, pro secundo et tercio in studentem honoris; in baccalaureum extraordinarium fr. Stephanum Ravonelli.

Conventui Cracoviensi provincie Polonie in regentem pro tribus annis fr. Albertum de Polonia (4), in baccalaureum pro primo anno fr. Andream de Polonia, pro secundo anno fr. Nicolaum eiusdem conventus inquisitorem, pro tercio anno in baccalaureum fr. Mathiam de Polonia, in biblicum pro tercio anno fr. Albertum Laurini.

(1) De fr. Luca de Ianua cf. supra pag. 47.

(2) De fr. Augustino de Padua cf. MOPH. VIII, 365.

(3) De fr. Ioanne Baptista Theatino cf. SSOP. II, 43.

(4) De fr. Alberto de Polonia cf. supra pag. 48.

Conventui Wratislaviensi eiusdem provincie in baccalaureum ad legendum sentencias fr. Iacobum Iohannis, pro primo anno in biblicum fr. Tiburcium, pro secundo anno fr. Michaelem Narlnel, pro tercio anno in biblicum fr. Iohannem Nicolai.

Conventui Coloniensi provincie Theutonie in regentem pro primo anno fr. Iacobum Hoocstratensem (1), magistrum, pro secundo anno fr. Hieronimum Raynerii (2) magistrum, pro tercio fr. Iohannem Heier s. theol. licenciatum. In magistrum studencium pro primo et anno secundo fr. Bernardum de Lucemburgo (3), baccalaureum formatum theologie, pro tercio anno fr. Claudium de Lugduno; (pro primo anno) ad legendum sentencias pro primo anno fr. Claudium de Lugduno, de aliis annis honorandus pater provincialis Theutonie et conventus Coloniensis providebunt. In studentes generales fr. Menerium de Sutfania, fr. Iohannem de Susaco, fr. Iohannem de Fruningen, fr. Georgium de Mirceburga, fr. Mathiam Herchen, fr. Iohannem Dorstensen, fr. Iodocum Harlem, fr. Iohannem Osnaburgensem, Wolfgangum de Egra, fr. Nicolaum Huppe de Dacia, fr. Iohannem de Wessalia, fr. Thomam de Prussia, fr. Bernardum de Wessalia, fr. Iohannem de Tremonia, fr. Nicolaum de Zirchsee, fr. Henricum Loe, fr. Petrum Alberti de Polonia, fr. Umbertum de Wilna, fr. Nicolaum de Ungaria.

Congregacio Francie presentat istos ad legendum ordinarie in conventu Tholosano pro primo anno in biblicum, pro secundo in magistrum studencium, pro tercio ad legendum sentencias fr. Iohannem Creonis conventus Bituricensis, pro secundo anno in biblicum fr. Bartholomeum Gallici conventus Claremontensis, pro tercio anno in biblicum fr. Bertrandum de Buxia conventus Castrensis.

In aliis universitatibus provincie Tholosane prior provincialis cum diffinitoribus capituli provincialis providebit et diffinitores capituli generalis.

Conventui Budensi reverendissimus magister ordinis providebit.

Conventui Viennensi provincie Theutonie in regentem pro tribus annis fr. Iohannem Werd (4), ad legendum sentencias pro primo anno

13) Sutfania] Suefama R. — 14) Fruningen] Frunegen R. — 17) Wessalia] Weresalia R. — 18) Wessalia] Weresalia R.

(1) De fr. Iacobo de Hocstraten cf. SSOP. II, 67, Paulus N., *Kölner Dominikanerschriftsteller aus dem 16. Jahrhundert* in Katholik 1897, II, pag. 160 sqq.

(2) De fr. Hieronymo Raynerii cf. MOPH. VIII, 402 *var.*

(3) De fr. Bernardo de Lucemburgo cf. SSOP. II, 93, 824; Paulus loc. cit. pag. 166 sqq.

(4) De fr. Ioanne Werd cf. MOPH. VIII, 402.

fr. Martinum Huppaur (1), pro secundo fr. Iohannem Dandl (2), ad legendum bibliam pro primo anno fr. Rupertum Hasel (3); in studentes fr. Albertum Polonum, fr. Iohannem Iunck (4), fr. Venceslaum.

Conventui Heidelbergensi provincie Theutonie in regentem pro tribus annis Everardum de Clivis (5), magistrum, in magistrum studencium fr. Corradum Kollin (6) theologie baccalaureum; ad legendum sentencias fr. Corradum Kollin et fr. Andream de Transilvania, ambo pro tribus annis. In studentes generales fr. Philippum de Pettovia, fr. Dominicum Dieminger, fr. Iohannem Hennemberger, fr. Hieronimum Saltimonam, fr. Iohannem Lapicide, fr. Bernardum Sengerlin.

Conventui Montispessulani in lectorem principalem fr. Henricum Sercherii magistrum, ad legendum sentencias fr. Bernardum de Arbore. In regentem pro tercio anno reverendissimus magister ordinis providebit. Ad legendum sentencias pro eodem anno fr. Gulielmum Rocheti, in magistrum studencium pro primo anno fr. Iohannem Gameri, in biblicum fr. Andream Bruneti, pro primo anno in magistrum naturalium fr. Gulielmum Rocheti, cui substituimus fr. Michaelem Paschalis; de aliis officialibus reverendissimus magister ordinis providebit. In studentes theologie fr. Iohannem Fabri, Symphorianum Cavaleri, Laurencium Martini, Matheum Fari, Gregorium Benedicti, Iohannem Egidii, Petrum Monerii, Petrum Gibaudi, Marcellinum Drome, Ambrosium Ramoneti; in studentes philosophie fratres Petrum Goardi, Bernardum de Bosco, Antonium Laurenti, Nicolaum Subsanis, Laurencium Grosoliti, Antonium Gilberti, Bartholomeum Maximini, Iohannem Gulielmini.

Conventui Ferrariensi in regentem pro primis duobus annis fr. Augustinum de Ferraria (7), magistrum, pro tercio fr. Georgium de Ianua (8) magistrum; in magistrum studencium pro primo anno fr. Iohannem de Ravenna, pro secundo fr. Leonardum de Veneciis, pro tercio fr. Dominicum de Ferraria (9), in biblicum fr. Iohannem Mariam de Portiolo pro primo anno, pro secundo anno fr. Iordanem de Ravenna, pro tercio fr. Leonardum de Veneciis, in baccalaureum ordinarium pro primo anno

(1) De fr. Martino Huppaur cf. BRUNNER S. *Der Predigerorden in Wien und Osterreich* pag. 31, 35.

(2) De fr. Ioanne Dandel cf. l. c.

(3) De fr. Ruperto Hasel cf. l. c. pag. 4.

(4) De fr. Ioanne Iunck cf. l. c. pag. 35.

(5) De fr. Eberhardo de Clivis cf. l. c. pag. 31, 35.

(6) De fr. Conrado Kollin cf. SSOP. II, 10; PAULUS N., *Conrad Koelin, ein Theologe des 16. Jahrhunderts* in Zeitschrift für Kath. Theologie. 1896, pag. 47 sqq.

(7) De fr. Augustino de Ferraria cf. MOPH. VIII, 404.

(8) De fr. Georgio de Ianua cf. supra pag. 46.

(9) De fr. Dominico de Ferraria cf. MOPH. VIII, 346.

fr. Thomam de Ragusio, pro secundo fr. Iohannem Mariam de Portiolo, pro tercio fr. Iordanem de Ravenna. In studentes honoris fr. Petrum Bassanum et fr. Marcum de Parma; in studentes theologie fr. Leonardum de Veneciis, fr. Iohannem Baptistam de Foligno, fr. Bernardinum de Liniaco, fr. Iacobum de Ravenna, fr. Iohannem de Utino; in biblicum extraordinarium pro tercio anno fr. Iohannem Baptistam de Foligno, pro secundo fr. Iacobum de Ravenna; pro tercio in baccalaureum extraordinarium eundem fr. Iacobum de Ravenna.

Conventui Lovaniensi in regentem fr. Iohannem Veltovensem, ad legendum sentencias pro primo anno fr. Gregorium Aurici pro forma et gradu magisterii; de aliis provincialis Theutonie cum diffinitoribus providebit.

Conventui Salamantino in regentem pro primo anno fr. Petrum Legionensem (1), magistrum, pro secundo fr. Iohannem de Septembri (2) magistrum, pro tercio fr. Thomam Durandi (3) magistrum.

Conventui Valisolitano in regentem pro duobus annis fr. Petrum de Covarrubias (4) magistrum; pro tercio fr. Ferdinandum Crurasen, magistrum.

Conventui Hispalensi in regentem pro tribus annis fr. Gregorium Pardo (5) magistrum; in collegio s. Gregorii in regentem pro tribus annis fr. Mathiam de Pace (6); de aliis vero ad studium pertinentibus providebit provincialis.

Conventui Treverensi ad legendum et disputandum fr. Mathiam Franchel, magistrum; ad respondendum pro secunda forma fr. Iohannem de Andernaco.

Conventui Argentinensi in lectorem fr. Vitum Hagen ad legendum et disputandum, in magistrum studencium fr. Iohannem Fredlin, in cursorem fr. Thomam Bluem.

Conventui Friburgensi ad legendum et disputandum fr. Iohannem Vinchel.

Conventui Bituricensi provincie Francie assignamus in baccalaureos pro primo anno fr. Matheum de Massere (7), et fr. Petrum de Lavinio (8), pro secundo anno fr. Petrum Mallerii, fr. Gulielmum Pollati, fr. Petrum

(1) De fr. Petro Legionen. cf. supra pag. 20.
(2) De fr. Ioanne de Septembri cf. l. c. pag. 47.
(3) De fr. Thoma Durandi cf. l. c. pag. 46.
(4) De fr. Petro Covarrubias cf. l. c.
(5) De fr. Gregorio Pardo cf. l. c.
(6) De fr. Matthia de Pace cf. l. c.
(7) De fr. Matthaeo de Massere (Mascera) cf. l. c. pag. 19.
(8) De fr. Petro de Lavinio cf. SSOP. II, 23, 336, 824.

de Fortis, de gracia speciali reverendissimi magistri extraordinarie pro tercio anno fr. Vincencium de Simonis, fr. Dominicum Davideti. (1) In aliis conventibus eiusdem provincie, ubi est universitas, reverendus prior provincialis providebit de baccalaureis et aliis officialibus necessariis.

Conventui Papiensi pro tribus annis in regentem fr. Damianum de Rippolis (2), magistrum, pro primo anno in baccalaureum fr. Andream de Voragine, in biblicum fr. Sebastianum de Ast, magistrum studencium fr. Ioachimum de Papia, in biblicum fr. Iohannem de Cherio (3), in magistrum studencium fr. Petrum martirem de Papia, cui substituimus fr. Leonardum de Mediolano (4), in baccalaureum fr. Sebastianum de Ast pro secundo anno. In studentes in dicto conventu fr. Petrum Franciscum de Florencia, fr. Franciscum de Saluciis, fr. Michaelem de Ast, fr. Iohannem de Montepoliciano, fr. Augustinum de Alexandria, fr. Petrum Andream de Papia, fr. Baptistam de Ianua, fr. Baptistam de Ast; pro primo anno fr. Dominicum Novariensem, fr. Matheum Astorsi pro rata provincie Saxonie, per triennium fr. Bernardum de Mediolano.

Conventui Taurinensi in regentem reverendum magistrum Antonium de Taurino, pro primo anno in baccalaureum fr. Iohannem Mariam de Alexandria, in biblicum fr. Thomam de Voragine, in magistrum studencium fr. Sebastianum de Clarasco (5), pro tercio anno in baccalaureum fr. Thomam de Voragine, in biblicum fr. Sebastianum de Clarasco, in biblicum fr. Baptistam de Ast, in magistrum studencium fr. Franciscum de Cherio.

Conventui Mediolanensi, in quo reverendissimus magister ordinis posuit studium, assignamus in lectorem arcium et theologie fr. Theobaldum de Alba (6) magistrum; in studentes arcium fr. Dominicum et fr. Angelum de Ast, et fr. Hieronimum de Pinarolio, ad legendum grammaticam et rethoricam fr. Vincencium de Francavilla.

Conventui Perpiniani provincie Aragonie assignamus in regentem pro primo anno fr. Petrum Poltina, magistrum et provincialem dicte provincie; ad legendum ibidem sentencias pro primo anno fr. Augustinum Stanyol, pro secundo fr. Felicem Barbir, pro tercio fr. Michaelem Alfonsi; in biblicum pro primo anno fr. Clementem della Sala (7), pro secundo fr. Iohannem Manudila, pro tercio remittitur reverendo provinciali.

---

(1) De fr. Dominico Davideti cf. l. c. pag. 103.
(2) De fr. Damiano de Ripolis cf. MOPH. VIII, 405.
(3) De fr. Ioanne de Cherio cf. l. c. pag. 381.
(4) De fr. Leonardo de Mediolano cf. supra pag. 49.
(5) De fr. Sebastiano de Clarasco cf. MOPH. VIII, 348.
(6) De fr. Theobaldo de Alba cf. supra pag. 46.
(7) De fr. Clemente della Sala cf. l. c. pag. 48.

Conventui Barchinonensi noviter instituto a reverendissimo magistro ordinis in regentem pro primo anno fr. Iohannem Navardum (1), magistrum et diffinitorem, pro secundo fr. Petrum Iohannis Saul, pro tercio fr. Gabrielem Pug presentatum, in magistrum studencium fr. Iohannem Sarial; in studentem honoris fr. Michaelem Punsar; in studentes theologie fratres Iohannem Mannilla, Franciscum Pugiolla; de aliis legentibus committitur reverendo provinciali.

Conventui Oscensi in regentem fr. Iohannem de Campo (2), ad legendum sentencias pro primo anno fr. Michaelem Alber, pro secundo fr. Iohannem Sarriar, pro tercio fr. Iohannem Caldor.

Conventui Avinionensi provincie Provincie in regentem pro primo anno fr. Iohannem Raymundi, magistrum, in baccalaureum pro secundo anno reverendus provincialis providebit; pro tercio fr. Ludovicum Pandrani magistrum; de baccalaureis reverendus provincialis providebit.

Conventui Aquensi provincie Provincie assignamus in regentem pro primo anno fr. Pancracium Gunstinerii, magistrum, pro secundo anno fr. Mononum Bauderia, magistrum, pro tercio fr. Honoratum Landin, magistrum; de baccalaureis ordinariis reverendus provincialis providebit.

Conventui Olomucensi provincie Bohemie de regente et studentibus reverendo provinciali committimus providendum, volentes, quod fratres iuvenes ad studium habiles ibidem assignentur et deputentur.

Iste sunt acceptaciones.

In primis acceptamus reverendissimum dominum Oliverium, episcopum Ostiensem, cardinalem Neapolitanum nuncupatum, dignissimum protectorem (nostrum) tocius ordinis nostri et omnes fratres ac nepotes eius tam vivos quam defunctos ad beneficia et suffragia nostri ordinis.

Item. Acceptamus locum Viguerie videlicet s. Marie de Pietate provincie Lombardie superioris sub cura vicarii scilicet congregacionis Lombardie, cui damus in priorem fr. Bernardum de Occimiano et in lectorem fr. Petrum de Averaria.

Item. Acceptamus in provincia Hispanie conventum s. Dictini in Astorga et conventum s. Thome de Carboneras. Primo damus in priorem fr. Hieronimum de Madrid, secundo fr. Bartholomeum de Torris.

Item. In provincia Aragonie acceptamus domum s. Iacobi Falari (?) sub invocacione beate virginis de rosario, cui damus in priorem fr. Io-

---

4) Pug] Pux R. — 32) Dictini] Lualgini R.

---

(1) De fr. Ioanne Navardo cf. l. c. pag. 46.

(2) Videtur esse idem ac Ioannes Campos, de quo MOPH. VIII, 404.

hannem Sasset, magistrum, et sub obediencia reverendi provincialis eiusdem provincie eam ponimus.

Item. Acceptamus locum s. Michaelis de Guano extra civitatem Lucensem, cui damus in priorem fr. Nicolaum de Luca.

Item. Acceptamus in provincia Ungarie locum S. Crucis Vocrtes (?)

Item. Acceptamus locum s. spiritus in civitate Perona, terre Livonie, provincie Saxonie.

Item. Quia sanctissimus dominus noster Iulius papa secundus mandat in virtute sancte obediencie et spiritus sancti reverendissimo generali nostro, ut conventus s. Dominici de Sarzana provincie Romane transferatur ad provinciam Lombardie superioris, nos racionabilibus causis moti volentes obedire sue sanctitati prefatum conventum s. Dominici de Sarzana eximimus et separamus a provincia Tuscie seu Romana et transferimus ad prefatam provinciam Lombardie superioris atque eidem provincie de cetero incorporamus. Volentes de cetero, quod per fratres Riparie Ianuen. statui (!) magnificis officialibus s. Georgii non suspectos gubernetur (1).

Item. Acceptamus translacionem congregacionis Hispanie de vicariatu in provincialatum factam per sanctissimum dominum nostrum Iulium secundum papam et ut (super) Didacus Madaleno mutato nomine vicarii prior provincialis appelletur; mandantes omnibus et singulis fratribus atque prioribus dicte provincie, ut ei tamqnam vero et indubitato provinciali pareant et obediant.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus priorem provincialem provincie Tholosane fr. Antonium de Cleda (2) magistrum.

Absolvimus priorem provincialem provincie Romane fr. Ludovicum de Viterbio (3).

Absolvimus priorem provincie Regni Sicilie fr. Stephanum de Gaeta (4) magistrum.

Absolvimus priorem provincie Dacie fr. Gudurundum et facimus eum vicarium provincie.

Absolvimus priorem provincie Provincie fr. Arnaldum Arnaldi (5) magi-

10) Sarzana] Seretana R. — 13) Sarzana] Seretana R. — 33) Arnaldum Arnaldi] Amandum Arnodi R.

(1) Cf. BO. IV, 220 n. 12.
(2) De fr. Antonio de Cleda cf. supra pag. 1.
(3) De fr. Ludovico de Viterbio cf. l. c.
(4) De fr. Stephano de Gaeta cf. l. c.
(5) De fr. Arnaldo Arnaldi cf. MOPH. VIII, 348.

strum et facimus vicarium fr. Antonium Gilberti, magistrum, priorem Montispessulani.

Absolvimus priorem provincie Dalmacie fr. Iohannem de Corona et facimus eum vicarium provincie.

Absolvimus priorem provincie Saxonie fr. Danielem de Egra (1) et facimus eum vicarium provincie.

Iste sunt penitencie.

Imponimus fr. Nicolao de Casanova Ciprio penitenciam gravioris culpe et volumus, quod expellatur de provincia Terre sancte ob nefanda, que ibi gessit; similiter et fr. Antonius de Sicilia ab eadem provincia expellatur.

Item. Imponimus penitenciam gravioris culpe omnibus et singulis fratribus propter sua delicta relegatis, eiectis et expulsis a conventu s. Maximini per reverendissimum magistrum ordinis, qui postea contra prohibicionem eiusdem magistri ad eundem conventum reverti presumpserunt.

Item. Condemnamus ad carceres perpetuos omnes et singulos fratres, qui dederunt auxilium, consilium vel favorem ad perpetrandum furtum et sacrilegium commissum in ecclesia s. Maximini circa iocalia et reliquias b. Marie Magdalene, a quo non possint liberari nisi per magistrum ordinis.

Iste sunt commissiones.

In primis committimus reverendissimo magistro ordinis auctoritatem nostram et facultatem immutandi, addendi et diminuendi ea, que in istis actis ordinata sunt, prout sua reverendissima paternitas iudicaverit expedire, approbantes omnes et singulas ordinaciones ac litteras, quibus volumus, ut plena fides adhibeatur, ac si presentibus essent inserte.

Item. Committimus et imponimus prioribus provincialibus ac vicariis congregacionum, ut fratres eis subiectos, qui non attigerint quadragesimum annum, de biennio in biennio aut saltem de triennio in triennium mutent aut ad alios conventus assignent, nisi fuerint studentes, ita tamen quod fratres reformatos non assignent nisi in conventibus reformatis.

Item. Imponimus omnibus et singulis prioribus conventualibus ac presidentibus conventuum, ut fratres iuvenes, qui exeunt gremium noviciorum, ponant eos sub magistro iuvenum, sub cuius disciplina maneant usque ad sacerdocium.

---

10) gessit] fecit P. — similiter — presumpserunt *om.* P.

---

(1) De fr. Daniele de Egra cf. l. c. 422.

Item. Prohibemus omnibus et singulis prelatis ordinis, ne aliquis eorum presumat facere aliquam ordinacionem in conventibus contra privilegia ordinis, et si in preterito aliqua talis ordinacio sic facta sit, illam penitus infringimus, irritamus, abolemus et totaliter annullamus. Mandantes fratribus in virtute spiritus sancti eis imponentes, ne ullo pacto huiusmodi ordinaciones observent.

Item. Imponimus quibuscumque vicariis congregacionum, exemptis a iurisdictione provincialium, reformatis sive non reformatis, sub pena absolucionis a suis officiis, quam contrafaciendo ipso facto incurrant, quatenus contribuciones prioribus provincialibus, qui fuerint requisiti, ac expensas factas pro capitulo generali solvere teneantur, quemadmodum facit congregacio Lombardie, que super omnes alias doctrina et morum viteque sanctimonia ac conventuum multitudine preeminet. Et ne fiat questio de quota, volumus sub eadem pena pro predictis contribucionibus et expensis, quod quilibet conventus sub predictis vicariis existens de cetero solvat medietatem eius taxe, quam solvebat, quando erat sub provinciali; de preterito autem solvant de tribus partibus secundas, non derogando tamen per hoc composicioni tam diu servate inter congregacionem Lombardie et provinciales.

Ista sunt suffragia pro vivis.

In primis pro sanctissimo domino nostro, qui indulgenciam plenariam dedit omnibus, qui contulerunt eleemosinas capitulo in tribus festis pentecostes, quilibet sacerdos tres missas.

Item. Pro reverendissimo domino protectore, qui multum afficitur ordini et multos labores pro eo continue sustinet, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro christianissimo rege nostro et regina Francie, qui ordinaverunt pinguem eleemosinam dari pro capitulo, quilibet sacerdos duas missas.

Item. Pro omnibus illis, qui contulerunt eleemosinas pro generali capitulo, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro illis, qui per litteras reverendissimi generalis accepti sunt ad beneficia ordinis, quilibet sacerdos unam missam.

Ista sunt suffragia pro defunctis.

In primis pro anima quondam domini Matthei de Ursinis (1), qui perpetuam eleemosinam reliquit generali capitulo, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro animabus eorum, qui, dum viverent, recepti fuerunt ad

---

1) item — provinciales *ante* ista *om.* P. — 34) pro defunctis] mortuorum P.

---

(1) De fr. Matthaeo de Ursinis cf. supra pag. 24.

beneficia ordinis per litteras reverendissimorum generalium, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro animabus quondam illustrissimi domini domini Herculis, ducis Ferrarie, et illustrissimi domini domini Ludovici, marchionis Saluciarum, et pro animabus quondam reverendissimi episcopi Chiensis et aliorum prelatorum assumptorum ex ordine nostro, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro animabus omnium fratrum et sororum ordinis nostri, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Recipimus ad beneficia ordinis reverendissimum dominum cardinalem s. Crucis, qui singularem devocionem gerit ad ordinem nostrum.

Item. Recipimus ad beneficia reverendissimum dominum magistrum Petrum Almuzan, qui et ipse singulariter afficitur ordini et beati Thome doctrine.

Sentencias iudicum approbamus et volumus in suo robore permanere et suum per omnia sortiri effectum; et volumus eorum et provincialium ac diffinitorum auctoritatem durare usque ad diem dominicum.

Concedimus omnibus provincialibus et diffinitoribus presentis capituli, quod possint recipere duos apostatas et facere duo iubilarios.

Mandamus acta presentis capituli per priores provinciales et diffinitores ad suas provincias diligenter conscripta atque sigillo ordinis sigillata deferri.

Sequens capitulum generale, quod erit diffinitorum, assignamus Pataviis in conventu s. Augustini provincie s. Dominici.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS PAPIAE CELEBRATI IN CONVENTU S. THOMAE ORDINIS PRAEDICATORUM ANNO DOMINI M° · D° · VII°. DIE SEXTO IUNII

In quo electus est sancte et canonice et consentientibus omnibus in magistrum ordinis reverendissimus in Christo pater et sacrae theologiae professor fr. Iohannes Cleree (1) ex provincia Franciae, confessor christianissimi regis Franciae, vicarius ordinis per sedem apostolicam institutus,

14) Almuzan] Almusen P. — 17) et volumus — dominicum *om.* P.

(1) De fr. Ioanne Cleree cf. SSOP. II, 11.

defuncto piae memoriae magistro Vincentio Bandello (1), quod capitulum fuit priorum provincialium; in quo et fueruntdiffinitores infrascripti:

Provincialis Hispaniae fr. Didacus Madaleno (2).
Provincialis Tholosanae magister Adam Manentus (3).
Provincialis Franciae magister Tristanus Dolo.
Provincialis s. Dominici magister Benedictus de Utino.
Provincialis Romanus magister Vincentius de Narnia (4).
Provincialis Regni fr. Nicolaus de Petra (5).
Provincialis Trinacriae fr. Iohannes de Oddo.
Provincialis Graeciae magister Sigismundus Venetus.
Provincialis Aragoniae fr. Iohannes Pauli.
Provincialis provinciae Provinciae magister Antonius Gilberti (6).
Provincialis Terrae sanctae magister Eustachius de Bononia (7).
Provincialis s. Petri martiris magister Benedictus de Alexandria (8).
Provincialis Dalmaciae fr. Mathaeus Pharensis (9).
Diffinitor provinciae Hispaniae fr. Gondisalvus Hispanus.
Diffinitor provinciae Tholosanae fr. Arnaldus Tholosanus.
Diffinitor provinciae Franciae fr. Iohannes de Genas (10).
Diffinitor provinciae s. Dominici fr. Iohannes de Liniaco.
Diffinitor Romanus fr. Nicolaus de Perusio (11).
Diffinitor Trinacriae fr. Stephanus de Sicilia.
Diffinitor Bohemiae fr. Balthasar Bohemus.
Diffinitor Dalmaciae fr. Albertus Dalmata.
Diffinitor s. Petri martiris fr. Iohannes Antonius de Cremona (12).
Diffinitor Aragoniae fr. Gabriel Pug magister (13).
Diffinitor Ungariae fr. Osvaldus de Ungaria magister (14).

---

(1) De fr. Vincentio Bandello cf. supra pag. 42.
(2) De fr. Didaco Madaleno cf. l. c. pag. 57.
(3) De fr. Adamo Manento cf. l. c. pag. 22.
(4) De fr. Vincentio de Narnia cf. Masetti l. c. pag. 27 sqq.
(5) De fr. Nicolao de Petra cf. MOPH. VIII, 381.
(6) De fr. Antonio Gilberti cf. supra pag. 58.
(7) De fr. Eustachio de Bononia cf. l. c. pag. 49.
(8) De fr. Benedicto de Alexandria cf. MOPH. VIII, 366.
(9) De fr. Matthaeo Pharen. (Fari) cf. supra pag. 53.
(10) De fr. Ioanne de Genas cf. MOPH. VIII, 401.
(11) De fr. Nicolao de Perusio cf. supra pag. 49, 50.
(12) De fr. de Ioanne Antonio de Cremona cf. MOPH. VIII, 366.
(13) De fr. Gabriele Pug (Pux) cf. supra pag. 56.
(14) De fr. Oswaldo de Quinque ecclesiis cf. MOPH. VIII, 433.

Diffinitor Poloniae fr. Mathias Polonus (1).
Diffinitor Daciae fr. Laurencius de Dacia.
Diffinitor Portugalliae fr. Franciscus de Portugallia.
Diffinitor Angliae fr. Gulielmus de Anglia magister.

Epistola reverendissimi magistri ordinis, magistri Iohannis Cleree.

In dei filio sibi charissimis prioribus provincialibus et conventualibus, magistris, patribus et fratribus universis ac sororibus ordinis praedicatorum salutem et transformari de claritate in claritatem.

Divina permissione ad universale ordinis magisterium delectus coepi mecum pertractare et supputare, quotus sim in numero eorum, qui beatissimo patre nostro Dominico in hoc onere successere, et invenio me octavum et trigesimum locum attigisse; qui numerus est misericordissimae curationis illius evangelici paralitici, non habentis deferentem se ad piscinam salutiferam, et ideo tot annis languentis, quem supremo anno aegritudinis suae benignissimi Iesu aventus brevi compendio verbi salutaris restituit sanitati.

O si etiam nunc spirituali paralisi laboranti ordini nostro salutifera ipsius clementissimi Iesu visitatio, velox curationis remedium adhiberet, ne forte incurabilis fiat. Illo enim tanto amplius indigere cognoscitur, quanto morborum maior est diversitas, multitudo et diuturnitas. Oportet autem, si tam inveteratae plagae medicinalis manus salutem afferat, unumquemque vestrum pro virili suo operam dare, ut medici consilia, et salutaria non negligat documenta. Et quidem quantum ad me attinet cum tremore considerans, quale onus humeros meos premat, quod scilicet districtissimo iudici non de una, aut duabus, sed de tot mille animabus rationem redditurus sum: studebo pro viribus meis divina suffragante gratia, ea, quae officium meum decent exequi et quidquid in me est virtutis, quidquid scientiae, totum superimpendere ordini instaurando, et lucris animarum, laborandoque omnibus omnia fieri, ut omnes lucri faciam; sed necesse est, ut, si non esse debeat inanis labor noster et sollicitudo, ut mihi in salute vestra cooperemini, omnique desiderio ac devotione patris vestri disciplinam suscipiatis, ad quod totis praecordiis hortor vos et per viscera misericordiae dei obsecro, sit unusquisque salutis et professionis suae memor, et studeat digne deo ambulare, vocatione qua vocatus est, laboretque pro viribus secundum gradum suum cooperari, ut collapsus ordo in decorem pristinum resurgat ac reformetur.

Qui praesunt zelum divini cultus induant in sollicitudine, circa com-

(1) De fr. Matthia Polono cf. supra pag. 51.

missum gregem vigiles omnia sic prudenter, et discrete moderantes, ut et fortes cupiant, et infirmi non refugiant. Corripiant inquietos, consolentur pusillanimes, suscipiant infirmos, patientes sint ad omnes.

Qui vero subsunt cum omni humilitate, ac promptitudine, et hilaritate obedientiam praestent, sic reverentia et amore eos, qui praesunt prosequentes, ac si parentes et a Deo missi sint.

Ante omnia vero charitatem fraternam continuam inter vos habeatis, omnes idipsum sapientes in domino, et non sint in vobis schismata, et dissensiones, sed Dei timor, zelus sanctarum institutionum, et dilectio mutua, ut supernae illius civitatis, cuius cives decreti estis, regnum et gloriam consequi valeatis.

Istae sunt ordinationes.

In primis cupientes a multitudine ordinationum et conscientiarum laqueis fratres liberos reddere, cum sacra regula nostra et constitutiones satis unicuique sint ad bene beateque vivendum, revocamus et irritamus omnià praecepta et censuras usque in hodiernum diem in capitulis generalibus factas, praeter eas, quae in regula et sacris constitutionibus inseruntur; remittentes omnes et singulos ad regulam et constitutiones, monentes et hortantes, ut iuxta votum professionis suae secundum eam religiose Deo serviant, transgressoresque secundum illarum instituta puniantur; si quae tamen sunt patrum nostrorum ordinationes sanctae et religiosae, non contemnantur. Ut autem paucula ex constitutionibus rememoremus: Et primo circa indebitas promotiones, quibus ordo confunditur et despicitur, ordinamus conformiter ad nostras sacras constitutiones, ut nullo pacto aliquis de cetero assignetur ad legendum sententias, nisi per tres annos ad minus in theologia in aliqua universitate studuerit, et per capitulum provinciale, vel per capitulum suae congregationis capitulo generali expositus fuerit. Nec aliquis magistretur in theologia, nisi prius actus exercuerit pro forma et gradu praedicti magisterii per quatuor annos ad minus in aliqua universitate, vel per tot annos alibi theologiam legerit ordinarie.

Item. Volumus, quod in quolibet conventu sit unus lector principalis, qui quotidie vel saltem quatuor vicibus in septimana de aliqua utili materia legat, legitimo impedimento cessante, alias omnibus gratiis lectorum sint ipso facto privati; districte imponentes prioribus provincialibus, ut in suis provinciis faciant hoc inviolabiliter observari, et priores conventuales cogant fratres ad lectiones audiendas.

Item. Ordinamus, quod postquam aliquis sententias legerit, et actus bachalaureatus pro forma et gradu magisterii fecerit, non poterit habilitari ad gradum magisterii, nec magisterium suscipere, nisi lecturam eius et actus scholasticos, quos per quatuor annos fecit, generale capitulum,

vel magister ordinis approbaverit ; oppositum autem faciens eo ipso est excommunicatus, atque gratiis, officiis ordinis, et omnibus exemptionibus est perpetuo privatus, nec secum dispensari valeat nisi per capitulum generale, non obstantibus privilegiis, gratiis, et constitutionibus apostolicis in genere, vel in specie, quibusvis fratribus, provinciis seu locis concessis, aut concedendis sub quavis forma, vel expressione verborum, ut dicit dominus Bonifacius IX. in bulla, et sicut ordinatum fuit in multis capitulis generalibus.

Item. Conformiter ad nostras sacras constitutiones, quae appellationes in nostro ordine sub interminatione anathematis fieri inhibent, prohibemus sub poena gravioris culpae, et carceris, ne aliquis frater, aut soror nostri ordinis, cuiuscumque gradus aut conditionis existat, a correctione iuxta ordinis disciplinam, videlicet secundum regulam et constitutiones, et consuetudines ordinis approbatas, aut ab absolutione a suo officio appellare praesumat, alias eos ipso facto praedictas poenas incurrisse, et a suis officiis absolutos esse declaramus per praesentes. Praecipientes omnibus, et singulis fratribus, aut sororibus praesentibus, et futuris, quatenus nulli praedictorum obedire presumant, vel audeant quoquo modo ; declarantes praelaturas nostri ordinis sive fratrum, sive sororum esse simplicia officia et onera gravia, et nullo pacto beneficia, quaeque ad voluntatem superiorum possunt semper disponi.

Item. Ad tollendas rebelliones, dissensiones et conspirationes, quas aliqui sine causa rationabili recurrentes ad curiam, vel alios superiores, faciunt, ordinamus ne quis sine licentia prioris sui ad provincialem recurrat, nec sine licentia provincialis ad curiam, vel alium superiorem accedat contra praelatos suos, nisi si viderit aliquid in praelato corrigendum et habeat commissionem a maiori parte patrum conventus, si sit prior conventualis corrigendus ; si vero sit prior provincialis, non possit frater ad superiores mitti, nisi de commissione maioris partis priorum illius provinciae ; inhibentes etiam, ne quis audeat pro huiusmodi alios invitare vel litteras mendicare, vel quoquo modo malitiose alios inducere. Inhibentes etiam, ne quis pro huiusmodi audeat ad personas extra ordinem constitutas recurrere, declarantes, quod, qui contra aliquid praedictorum fecerit, ipso facto sit poena gravioris culpe subiectus secundum nostras sacras constitutiones.

Item. Ut omnes in obedientia et humilitate ordinis, sicut professi sunt, perseverent, ordinamus et volumus iuxta nostrarum seriem constitutionum et apostolica indulta, ne quis beneficiatus in ordine nostro dignitatem, officium, praelaturam, vocem activam, vel passivam, cameram, expensas, habitationemve in conventu habeat, quibus omnibus ipso facto privamus, et privatos volumus, et declaramus, nisi infra quindecim

dies ab harum notitia omnibus beneficiis resignaverint; quod si infra praefixum tempus non fecerint, mandamus praelatis conventuum sub poena absolutionis ab officiis suis, quam ipso facto incurrant, si contrafecerint, ut praesentem ordinationem executioni demandent; revocamus omnes licentias, quas ab ordine habuissent; eas vero, quas a sede apostolica impetrarunt non acceptantes, quod facere possumus ex indulto bullae aureae.

Item. Quia dedecus ordinis est fratres extra ordinem commorari, quod etiam in perditionem eorum vergit, ordinamus ne quis extra ordinem commorari audeat pro quacumque ratione, vel negotio, exceptis confessoribus principum, et his qui de licentia ordinis sequuntur curias principum; et omnes praedictos requirimus, quatenus infra mensem ab harum notitia ad ordinem redeant; quod si contraierint, privamus omnibus gratiis ordinis, mandantes praelatis conventuum, ut tales praeceptis et censuris, et etiam detentione cogant vel ad ordinem, vel habitu exuant, nisi tales sint, qui rectores ecclesiarum sint instituti.

Item. Ut occurratur levitati fugitivorum, ordinamus, quod si quis frater sine testimonio quod licentiam a praelato habuerit, ad conventum aliquem declinaverit, praelatus conventus talem pro quanto sibi videbitur, disciplinet et si opus est, incarceret et ad conventum redire cogat.

Item. Ordinamus ultra praedictam poenam, ne quis prior conventualis, aut provincialis audeat aliquem de vita regulari fugitivum ultra tres dies retinere, sed supradicto modo puniant, et expellant sub poena suspensionis ab officiis suis, quam ipso facto incurrant si contrafecerint, nisi ratione infirmitatis, vel alterius legitimi impedimenti per plures dies sustineant. Nec patres reformati recipiant fugitivos ex vita communi, quando fugiunt disciplinam; sed si debent recipi, habeant licentiam vel testimonium, quod veniunt ut vivant regulariter, vel quod petierunt licentiam.

Item. Ordinamus sub poena carceris et gravioris culpae, quam quilibet contrafaciens ipso facto incurrat, quatenus nullus audeat artem medicinalem exercere et discurrere ad curandos infirmos.

Item. Sub eisdem poenis inhibemus omnibus fratribus nostri ordinis qui sub praetextu studii, vel alterius negotii morantur Ulisbone extra conventum, quatenus infra quindecim dies ab harum notitia ad propria redeant.

Istae sunt declarationes.

Declaramus in primis reverendissimum in Christo patrem fr. Iohannem Cleree (1) votis omnium nostrum in magistrum generalem electum fuisse, cui omnes obedientiam et reverentiam exhibere debent.

(1) De fr. Ioanne Cleree cf. supra pag. 62.

Item. Declaramus, quod cum a sanctissimo domino nostro Iulio divina providentia papa II. edita fuerit bulla limitans temporalitatem officiorum ordinis, cumque per sequens breve suum magistro et capitulo generali fuerit commissa libertas eam acceptandi, vel non acceptandi, unanimiter attendentes multarum provinciarum et conventuum inopiam in praelatis et suppositis, visum est nobis, quod comode in ordine nostro observari nequeat, sicque diffinimus in modo et ordine nostrarum constitutionum circa huiusmodi permanere. Non infringentes tamen privilegia et provisiones apostolicas provinciis aliquibus et congregationibus ante bullam praefatam concessas et consuetudines ac statuta inter se ordinata et observata (1).

Item. Declaramus, omnes fratres ordinis nostri, qui usque in hanc horam absque licentia ordinis contra constitutionem Bonifacii et statuta ordinis nostri magisterium suscipere, et ab ordine non sunt accepti et approbati, magisterio, loco, et gratiis omnibus magisterio debitis esse privatos, et de facto omnes tales privamus et poenae gravioris culpae subiicimus. Inter quos privamus et poenitentiae praefatae subiicimus fr. Gabrielem de Florentia conventus s. Mariae Novellae, qui ordinem, et praelatos multum turbavit pro huiusmodi indebita promotione. Eos etiam, qui facti sunt per ordinem, et sunt notabiliter ignorantes, provinciales vel vicarii congregationum secundum conscientiam privent.

Item. Declaramus, quod omnes praedicatores generales, qui sunt facti praedicatores generales contra modum constitutionis, sive quoad insufficientiam, sive quoad numerum, sive quoad aetatem, tali officio ac dignitate esse privatos et de facto privamus; imponentes provincialibus, ut ad debitum numerum secundum constitutiones taxatum reducant, sufficientiores dimittendo, et alios repellendo. Declarantes et mandantes tam provincialibus, quam vicariis congregationum, ne numerus praedicatorum generalium excedat numerum conventuum sibi subditorum. Cassantes quidquid usque modo in contrarium factum est.

Item. Declaramus omnes praedicatores bullarum et indulgentiarum, qui vel falsas et suspectas indulgentias vel bullas sine licentia praelatorum ordinis praedicaverunt, vel de parte quaestuum pro huiusmodi bullis componunt et accipiunt, a capitulo generali Mediolani celebrato 1505. incurrisse poenas illas, quae in actis illius capituli sunt positae (2); et si quis deinceps talia praedicaverit, poenae carceris condemnamus; mandantes praelatis conventuum, ut si quos tales possunt deprehendere, carceri mancipent, etiam si opus fuerit invocato auxilio brachii secularis.

(1) Cf. BO. IV, 230 n. 31.
(2) Cf. supra pag. 33 l. 5 sqq.

Item. Declaramus magistrum Guilielmum Parvi (1) esse inquisitorem generalem Franciae.

Istae sunt approbationes.

Cum reverendissimus magister ordinis adhuc vicarius multis laboribus et impensis insudaverit auctoritate apostolica et ordinis circa reformationem monasterii sororum de Pissiaco ex iussu christianissimi Francorum regis fundatoris eiusdem, multasque perpessus fuerit ab aliquibus sororibus contumelias, contradictiones, oppositiones et appellationes, per quas ad curiam laycam tractus fuit, maxime dum absolvisset sororem Ioannam de Stouteville ab officio prioratus, utpote inutilem et reformationi contrariam, et rite instituisset sororem Praegentam de Melun, foeminam magnarum virtutum ; idcirco ne in caeteris monasteriis sororum talis temeritas rebellionis amplius contingat, approbamus reformationem dicti monasterii, et omnia inibi per reverendissimum facta, et volumus ea suum sortiri effectum. Declarantes dictam sororem Ioannam de Stouteville rite et legitime fuisse absolutam, eamque et omnes ei adhaerentes propter frivolam appellationem et contumelias in praelatum suum prolatas, poenas incurrisse gravioris culpae et alias contra appellantes in nostris constitutionibus sancitas. Quarum poenarum executionem committimus eidem reverendissimo magistro ordinis. Praecipientes in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae et sub poena gravioris culpae dictae sorori Ioannae de Stouteville, ne se pro priorissa gerat, et omnibus sororibus sub eadem poena ne eam pro priorissa teneant, aut ei ut priorissae obediant. Sed omnes suam veram et legitime institutam priorissam recognoscant praefatam sororem Praegentam de Melun, et ei humiliter ac devote obediant in omnibus.

Declaramus etiam, quod vicarius ordinis mortuo vel amoto magistro plenam habet auctoritatem super monasteria monialium ordini subiecta.

Approbamus magisteria infrascriptorum: venerabilis patris fr. Alvari de Osorio (2) provinciae Hispaniae, fr. Didaci de Victoria (3) provinciae Hispaniae, fr. Petri de Victoria provinciae Hispaniae.

Approbamus lecturas et bachalariatus fr. Bernardi de Nuremberga, et fr. Osvaldi de Frichenausen, fr. Ioannis de Fricxenhausen conventus Rupinensis, fr. Gasparis Eberhardi conventus Erphordiensis, fr. Eigardi

---

10) Stouteville] Routeville P. *in marg. e cod. Insulen.* — 16) Stouteville] Routeville P. *in marg. e cod. Insulen.* — 34) Rupinensis] Lipicensis PR. — Eigardi] Ogardi PS.

---

(1) De fr. Guilelmo Parvi cf. SSOP. II, 100.
(2) De fr. Alvaro Osorio cf. supra pag. 47.
(3) De fr. Didaco de Victoria cf. SSOP. II, 107.

Meyer conventus Libicensis, lecturas fr. Gaspari Testani, et fr. Angeli Stauyol.

Approbamus lecturam fr. Laurentii Petri de Dacia, et ad magisterium licentiamus.

Licentiamus ad bachalariatum fr. Vincentium de Catharo (1), et fr. Wolfgangum de Bohemia ad legendas sententias.

Approbamus bachalariatum fr. Alberti de s. Angelo (2) conventus Papiae, et fr. Mathaei de Saviliano.

Approbamus magisteria fr. Ioannis Martini (3), et Melchioris et Honorati Lanteri, et Iacobi de Grangis, fr. Cornelii de Ragusio magistri, fr. Gabrielis Pug (4) praesentis capituli diffinitoris, fr. Ioannis Attenes (5).

Promovemus ad legendum sententias, quando et ubi provincialis Hyspaniae cum patribus provinciae decreverit, fr. Ioannem de Victoria (6), fr. Didacum Viztaxuo, fr. Bernardum de Mesa, fr. Alphonsum Natinenum; fr. Ioannem de Salamanca; lecturas fr. Augustini de Fungis, et fr. Antonii Creado, et fr. Martini de Sanctis.

Magisteria fr. Stephani de Scutifero conventus Hortesiensis provinciae Tholosanae; fr. Guilielmi de Marcavilla (7) conventus Baionensis; fr. Thomae de Abban conventus s. Severi, fr. Petri Ruffi conventus Lemoniacensis, fr. Alani Rayerii conventus s. Emiliani. Praesentaturam fr. Ioannis de Guilamota (8) conventus s. Severi.

Approbamus acceptationem factam de conventu s. Mariae Incoronatae de Anchona per bonae memoriae reverendissimum magistrum Vincentium Bandellum (9).

Lecturam fr. Ioannis de Augusta (10) provinciae Theutoniae, quem ad magisterium licentiamus.

Approbamus studium Budense ad instar studii Bononiensis, dantes regenti et priori auctoritatem lectiones philosophiae et logicae committendi ad disponendum de horis, ad legendum, et quod conventus Budensis teneatur vestire officiales studii. Lecturas fr. Valentini Leonini praesentati Parisiensis, Iacobi Uberti, Alphonsi Rizii (11), Guilielmi

(1) De fr. Vincentio de Catharo cf. supra pag. 49.
(2) De fr. Alberto de s. Angelo cf. MOPH. VIII, 431.
(3) De fr. Ioanne Martini cf. l. c. pag. 434.
(4) De fr. Gabriele Pug cf. supra pag. 61.
(5) De fr. Ioanne Attenes (Thenes) cf. l. c. pag. 47.
(6) De fr. Ioanne de Victoria cf. SSOP. II, 51.
(7) De fr. Guilelmo de Marcavilla cf. supra pag. 12.
(8) Videtur idem ac Ioannes de Gunlemoto, de quo MOPH. VIII, 345.
(9) De fr. Vincentio Bandello de Castronovo cf. supra pag. 61.
(10) De fr. Ioanne de Augusta cf. l. c. pag. 51; SSOP. II, 80.
(11) De fr. Alphonso Rizii cf. SSOP. II, 26.

Galli (1), Ioannis Iolici (2), Ioannis de Rosa (3), Angeli Scaymoil, et Hervei Claudi (4).

Approbamus acceptationem conventus Vilnensis, ut sit sub cura provincialis Poloniae, et absolvimus vicarium illius conventus.

Istae sunt acceptationes.

Acceptamus locum s. Mariae Burgi Lavezarii, et declaramus esse membrum conventus Novariensis.

Acceptamus locum s. Petri Martiris apud Ciglanum, et declaramus esse membrum conventus Vercellensis, et locum s. Mariae de Supergia pro oratorio ordinis in provincia s. Petri martiris.

Istae sunt poenitentiae.

In primis eos fratres de provincia Provinciae, qui appellaverunt et qui causam prosecuti sunt, et impetraverunt litteras apostolicas vel impetratis usi sunt contra absolutionem magistri Arnaldi de Arnaldis (5) a provincialatu provinciae Provinciae, factam per diffinitores capituli generalis Mediolani celebrati, omnes supponimus poenae gravioris culpae et poenae carceris, eo quod litteras obtinuerunt, quibus ad iudices extra ordinem in Avinione magister ordinis cum diffinitoribus citaretur. Absolventes omnes tales in poenam ab omnibus officiis et magisterio et quocumque alio gradu, dignitate aut gratiis ordinis, iniungentes priori provinciali praefatae provinciae, sub poena absolutionis ab officio suo, quam ipso facto incurrat, si contrafecerit, quatenus infra duos menses hec executioni demandet.

Fr. Petrus Szelie conventus Lubecensis provinciae Saxoniae privatur promotione lectoratus, nec possit ad aliam promoveri sine scitu et consensu fratrum sui conventus et suae provinciae.

Istae sunt assignationes.

Provisionem pro studio Parisiensi, Bituricensi, Tholosano, et aliorum studiorum provinciae Franciae committimus reverendissimo magistro ordinis.

Conventui [et] studio Bononiensi assignamus in regentem pro tribus annis reverendum magistrum Eustachium de Bononia (6). Baccalaurium pro primo et secundo anno fr. Thomam de Calvisano (7). Pro tertio et

---

24) Szelie] Szelle RS.

---

(1) De fr. Guilelmo Galli cf. supra pag. 49.
(2) De fr. Ioanne Iolici cf. l. c. pag. 19.
(3) De fr. Ioanne de Rosa cf. l. c. pag. 49.
(4) De fr. Hervaeo Claudi cf. l. c.
(5) De fr. Arnaldo de Arnaldis cf. l. c. pag. 57.
(6) De fr. Eustachio de Bononia cf. supra pag. 61.
(7) De fr. Thoma de Calvisano cf. l. c. pag. 49.

quarto fr. Vincentium de Vicentia (1). Pro primo anno magistrum studentium fr. Chrysostomum de Casali (2); pro secundo fr. Franciscum de Ferraria. Pro tertio fr. Ludovicum de Landriano, cui substituimus fr. Hieronymum de Papia, seu fr. Gregorium de Faventia secundum eorum professionis ordinem. Studentes assignamus pro rata provinciae Romanae fr. Hieronymum de Perusio. Pro rata provinciae Trinacriae fr. Petrum de Landulina, et fr. Dominicum de Sadano. Pro rata provinciae Hispaniae fr. Vincentium de Macenedo Hispanum. Pro rata provinciae Aragoniae fr. Ioannem Al. Pro rata provinciae Poloniae fr. Felicem de Cracovia, et fr. Thomam de Varterburg. Pro rata provinciae Saxoniae fr. Ludg[e]rum Snache. Pro rata provinciae Regni fr. Nicolaum de Viliterno. Pro rata provinciae Provinciae fr. Michaelem Paschalem et fr. Dominicum Bondoni. Pro rata provinciae Ungariae fr. Michaelem de Ungaria.

Conventui Perusino de regente reverendissimus magister providebit. In magistrum studentium pro primo anno fr. Gabrielem de Vercellis (3). In biblicum ordinarium fr. Gabrielem de Mediolano (4), extraordinarium fr. Felicem de Hyspania. In baccalaurium ordinarium fr. Garziam de Aragonia, extraordinarium fr. Petrum de Narnia (5). In magistrum studentium pro secundo anno fr. Nicolaum de Sicilia. In biblicum fr. Gabrielem de Vercellis. In baccalaurium ordinarium fr. Gabrielem de Mediolano, extraordinarium fr. Garziam de Aragonia. In magistrum studentium pro tertio anno fr. Georgium de Reate. In biblicum fr. Nicolaum de Sicilia ordinarium, extraordinarium fr. Marcum de Floriano. In baccalaurium ordinarium fr. Nicolaum de Murellis Siculum, extraordinarium fr. Garziam de Aragonia. In studentem honoris fr. Nicolaum de Sicilia. In studentes theologiae fr. Thomam de Ferraria, fr. Bartholomaeum de Ungaria, fr. Georgium de Reate, fr. Leonardum de Terracina, fr. Iacobum de Utino, fr. Vincentium de Sicilia, fr. Dominicum de Sicilia, fr. Marianum de Andria, fr. Bartholomaeum de Ferraria, fr. Marcum de Floriano, fr. Augustinum de Sinigalia, fr. Theodorum de Saxonia, fr. Simonem de Viterbio, fr. Dominicum de Calabria, fr. Thomam de Varterburg provinciae Poloniae.

Conventui Minervae regentem magistrum Antonium de Caramanico (6), baccalaurium fr. Engandum de Saxonia, et casu quo ad alium locum pertineret, ipse sit extraordinarius, magistrum studentium N. In stu-

(1) De fr. Vincentio de Vicentia cf. SSOP. II, 58.
(2) De fr. Chrysostomo de Casali cf. pag 49.
(3) De fr. Gabriele de Vercellis cf. l. c.
(4) De fr. Gabriele de Mediolano cf. l. c. pag. 50.
(5) De fr. Petro de Narnia cf. l. c. pag. 49.
(6) De fr. Antonio Caramanico cf. SSOP. II, 13.

dentes theologiae fr. Ardonicum de Saxonia, Reginaldum de Tholosa, Hieronymum de Ragusio.

Conventui Panormitano regentem damus magistrum Ioannem Iamgrecum, baccalaurium fr. Ioannem Baptistam de Sicilia. Studentes fr. Thomam de Sicilia, fr. Franciscum de Viviano, fr. Petrum de Tauramina, fr. Ludovicum de Sicilia.

Conventui Senensi in regentem magistrum Ioannem Baptistam de s. Miniate (1); in baccalaurium pro primo anno fr. Reginaldum de s. Severino (2), in biblicum fr. Paulum Siculum (3). Magistrum studentium fr. Petrum Siculum (4), pro secundo anno baccalaurium fr. Paulum de Sicilia. Biblicum fr. Mathiam de Viterbio (5). Magistrum studentium fr. Raphaelem de Florentia (6), pro tertio anno in baccalaurium fr. Mathiam de Viterbio, biblicum ordinarium fr. Raphaelem de Florentia, extraordinarium fr. Petrum Siculum. Magistrum studentium fr. Ludovicum Senensem. Studentes theologiae fr. Hieronymum Siculum, fr. Ludovicum de Senis, fr. Laurentium de Senis, fr. Nicolaum de Ungaria, fr. Enricum Theutonicum, fr. Ioannem Theutonicum, fr. Raphaelem de Florentia. Studentes artium fr. Theophilum de Senis, fr. Constantinum de Senis.

Conventui s. Dominici de Neapoli damus in regentem pro primo anno magistrum Vincentium de Suessa (7); pro secundo et tertio magistrum Iacobum de Mantua (8). Baccalaurium pro primo et secundo anno fr. Thomam de Sessano; pro tertio fr. Antonium de Caieta. Magistrum studentium pro primo anno fr. Antonium de Caieta; pro secundo fr. Vincentium de Fundis; pro tertio fr. Bartholomaeum de Neapoli. In biblicum pro primo anno fr. Angelum de Matera; pro secundo fr. Antonium de Caieta; pro tertio fr. Vincentium de Fundis. Studentes in theologia: fr. Hieronymum de Montepolitiano, fr. Bartholomaeum de Neapoli, fr. Dominicum de Catharo, fr. Sebastianum de Montellis, fr. Bartholomaeum de Caieta, fr. Vitum de Monte Murro, fr. Ioannem Nicolaum de Monte Murro, fr. Dominicum de Cosentia, fr. Onofrium de Salerno, fr. Ioannem de Valentia, fr. Angelum de Cerito de Sicilia, fr. Hieronymum de Cassano, fr. Sebastianum de Sicilia, fr. Angelum de Matera.

Conventui Salamantino provinciae Hispaniae pro primo anno magi-

---

(1) De fr. Ioanne Baptista de s. Miniate cf. supra pag. 50, 51.
(2) De fr. Reginaldo de s. Severino cf. l. c. pag. 50.
(3) De fr. Paulo Siculo cf. l. c.
(4) De fr. Petro Siculo cf. l. c.
(5) De fr. Matthia de Viterbio cf. l. c.
(6) De fr. Raphaele de Florentia cf. l. c.
(7) De fr. Vincentio de Suessa cf. SSOP. II, 106.
(8) De fr. Iacobo de Mantua cf. supra pag. 21.

strum Alvarum Osorium (1) pro secundo magistrum Alphonsum de Rupe fideli cathedraticum; pro tertio magistrum Petrum Legionensem (2) cathedraticum.

Pro conventu Vallis Oletanae pro primo anno magistrum Mathiam (3), pro secundo magistrum Gregorium Pardo (4), pro tertio provincialis providebit de aliquo magistro universitatis.

Pro conventu s. Thomae Abulensis pro duobus primis annis magistrum Didacum de Victoria (5); pro tertio magistrum Petrum de Victoria (6).

Pro conventu Hispalensi pro duobus primis annis magistrum Thomam Durant (7); pro tertio magistrum Alexium.

Conventui Montispesulani in regentem damus pro primo anno magistrum Ioannem Martini (8), pro secundo anno magistrum Albertum Villareti, pro tertio magistrum Franciscum Arceri (9); ad legendum sententias fr. Guilielmum Rocheti (10), pro primo anno in magistrum studentium fr. Ludovicum Gandini, pro secundo fr. Ioannem Fabri (11), de studentibus prior provincialis providebit.

Conventui Aquensi damus in regentem magistrum Honoratum Lauterii (12).

Conventui Coloniensi provinciae Theutoniae damus in regentem pro primo et tertio anno magistrum Hieronymum Raynerii (13), pro secundo magistrum Iacobum Hocstraten (14). Magistrum studentium pro primo anno fr. Ioannem Oleschlegher, baccalaurium formatum; de baccalauriis provincialis provideat. Studentes fr. Mathiam Berchem (15), fr. Ioannem

---

8) pro tertio magistrum Petrum de Victoria *om.* P.

---

(1) De fr. Alvaro Osorio cf. supra pag. 67.
(2) De fr. Petro Legionen. cf. l. c. pag. 54.
(3) De fr. Matthia de Pace cf. l. c.
(4) De fr. Gregorio Pardo cf. l. c.
(5) De fr. Didaco de Victoria cf. l. c. pag. 67.
(6) De fr. Petro de Victoria cf. l. c.
(7) De fr. Thoma Durandi cf. l. c. pag. 54.
(8) De fr. Ioanne Martini cf. l. c. pag. 68.
(9) De fr. Francisco Arceri (Archieri) cf. supra pag. 22.
(10) De fr. Guilelmo Rocheti cf. l. c. pag. 53.
(11) De fr. Ioanne Fabri cf. l. c.
(12) Videtur esse idem ac Honoratus Landin, de quo l. c. pag. 56.
(13) De fr. Hieronymo Raynerii cf. l. c. pag. 52.
(14) De fr. Iacobo Hocstraten cf. l. c.
(15) De fr. Matthia Berchem (*al.* Herchen) cf. l. c.

Dorstheim (1), fr. Bernardum de Vessalia (2), fr. Ioannem de Tremonia (3), fr. Andream de Vratislavia, fr. Enricum Barll, fr. Gerardum Bie, fr. Ottonem de Busco, fr. Nicolaum de Tremonia, fr. Nicolaum Spruit, fr. Ioannem Gerton, fr. Vincentium de Lancent, fr. Bartholomaeum de Lovanio, fr. Gregorium de Bohemia, fr. Thomam de Nova Ecclesia, fr. Clementem Amersfordium, fr. Ioannem de Nuremberga, fr. Enricum Sulter, fr. Andream de Cranissa, fr. Ioannem de Francfordia, fr. Martinum de Vratislavia, fr. Iacobum de Bruxella, fr. Andream de Frozem, fr. Christianum de Dacia, fr. Fredericum de Ratisbona, fr. Clementem de Metis, fr. Iacobum de Ungaria, fr. Rodulfum de Lovanio, fr. Paulum de Bohemia.

Conventui Viennensi provinciae Theutoniae in regentem magistrum Ioannem de Merdea, ad sententias fr. Baldasar Mendel (4).

Conventui Lovaniensi provinciae Theutoniae in regentem pro primo anno fr. Bernardum de Lutzeburgo (5), s. theologiae licentiatum, pro secundo et tertio fr. Ioannem Heier (6) eiusdem facultatis licentiatum. Magistrum studentium fr. Georgium Amici (7), baccalaurium formatum. Studentes fr. Eustachium de Zichenis (8), fr. Rodulfum de Busco, fr. Adrianum de Bruxella, fr. Petrum Mellis, fr. Cornelium Verstoch, fr. Iacobum Losier, fr. Ioannem Ubant.

Conventui Argentinensi provinciae Theutoniae regentem fr. Vitum Agen (9) s. theol. licentiatum.

Conventui Treverensi provinciae Theutoniae magistrum Claudium de Rota (10) in regentem damus.

Conventui Friburgensi magistrum Ioannem Vinchel (11).

Conventui Heidelbergensi provinciae Theutoniae in regentem damus magistrum Everardum de Clivis (12); ad legendum sententias pro primo

---

27) Clivis] Erlinis P.

---

(1) De fr. Ioanne Dorstheim (Dorsthen.) cf. l. c.
(2) De fr. Bernardo de Wessalia cf. l. c.
(3) De fr. Ioanne de Tremonia cf. l. c.
(4) De fr. Balthasare Mendel cf. SSOP. II, 60.
(5) De fr. Bernardo de Lucemburgo cf. supra pag. 52.
(6) De fr. Ioanne Heier cf. l. c.
(7) De fr. Georgio Amici cf. l. c. pag. 19.
(8) De fr. Eustachio de Zichenis cf. SSOP. II, 106.
(9) De fr. Vito Agen (Hagen) cf. supra pag. 54.
(10) De fr. Claudio de Rota cf. SSOP. II, 94.
(11) De fr. Ioanne Vinchel cf. supra pag. 54.
(12) De fr. Everardo de Clivis cf. l. c. pag. 53; SSOP. II, 58.

anno fr. Chorardum Chilin (1); ad legendum bibliam pro primo anno et sententias pro secundo fr. Dionysium Grieb. Studentes fr. Hieronymum Salezman, fr. Bernardum Semgerlim (2), fr. Michaelem Vee (3), fr. Dominicum Spagman, fr. Petrum Franchel, fr. Georgium Sellatoris, fr. Ioannem Enschman, fr. Vitum Vicelmi.

Conventui s. Thomae de Papia damus in regentem pro primo et secundo anno magistrum Damianum de Rispolis (4), pro tertio magistrum Vincentium Dodum de Papia (5); pro primo anno in magistrum studentium fr. Petrum martyrem de Papia (6), cui substituimus fr. Bernardinum de Mediolano. In biblicum fr. Ioannem de Cherio (7), in baccalaurium fr. Ioachimum de Papia (8); pro secundo anno in magistrum studentium fr. Petrum Franciscum de Florentia (9); in biblicum fr. Petrum Martirem de Papia. Baccalaurium fr. Ioachimum de Papia. Pro tertio anno in magistrum studentium fr. Bernardinum de Mediolano, in biblicum fr. Petrum Franciscum de Florentia; in baccalaurium fr. Ioannem de Cherio. In studentes theologiae fratres Secundum de Thaurino, Petrum Martyrem de Terdona, Michaelem de Ast (10), et Ioannem Baptistam de Ianua.

In studio Thaurini assignamus in regentem reverendum magistrum Hieronymum de Cherio (11) pro tribus annis. In magistrum studentium pro primo anno N. Pro secundo anno fr. Petrum Bassanum de Liniaco (12). Pro tertio anno fr. Lucam de Hyporegia. In biblicum pro primo anno fr. Baptistam de Ast (13). Pro secundo anno fr. N. Pro tertio anno fr. Petrum Bassanum de Liniaco. In baccalaurium pro primo anno fr. Sebastianum de Clarasco (14). Pro secundo anno fr. Baptistam de Ast. Pro tertio anno fr. N.

Conventui Patavino de regente committitur reverendo patri pro-

---

(1) De fr. Conrado Chilin (Kollin) cf. supra pag. 53.
(2) De fr. Bernardo Semgerlim (Sengerlin) cf. l. c.
(3) De fr. Michaele Vee (Vehe) cf. SSOP. II, 95; PAULUS N. *Michael Vehe, der Herausgeber des ersten deutchen Gesangbuches*, in Historisch politische Blätter Bd. 110 (1892) p. 469 sqq.
(4) De fr. Damiano de Ripolis cf. l. c. pag. 55.
(5) De fr. Vincentio Dodo de Papia cf. SSOP. II, 338.
(6) De fr. Petro M. de Papia cf. supra pag. 55.
(7) De fr. Ioanne de Cherio cf. l. c.
(8) De fr. Ioachimo de Papia cf. l. c.
(9) De fr. Petro Francisco de Florentia cf. l. c.
(10) De fr. Michaele de Ast cf. SSOP. II, 182.
(11) De fr. Hieronymo de Cherio cf. supra pag. 46.
(12) De fr. Petro Bassano de Liniaco cf. l. c. pag. 54.
(13) De fr. Baptista de Ast cf. l. c. pag. 55.
(14) De fr. Sebastiano de Clarasco cf. l. c.

vinciali. Assignamus in magistrum studentium pro primo anno fr. Maurum de Betonto (1). In biblicum fr. Ioannem de Tarvisio. In baccalaurium fr. Alexandrum de Padua (2). In baccalaurium extraordinarium fr. Bernardum de Sicilia (3). In magistrum studentium pro secundo anno fr. Vincentium de Asaro de Sicilia. In biblicum fr. Maurum de Betonto. In baccalaurium fr. Ioannem de Tarvisio. In baccalaurium extraordinarium fr. Bernardum de Sicilia. In magistrum studentium pro tertio anno fr. Albertum de Utino. In biblicum fr. Vincentium Siculum. In baccalaurium fr. Maurum de Betonto. In baccalaurium extraordinarium fr. Matthaeum de Saxonia. In studentes honoris pro primo et secundo anno fr. Nicolaum de Padua, et fr. Matthaeum de Saxonia. In studentes fr. Thomam de Venetiis, fr. Ignatium de Padua, fr. Isidorum de Padua, fr. Antonium de Cortona, fr. Ioannem de Ast, fr. Franciscum de Cherio, fr. Marcum Antonium de Venetiis, fr. Emericum de Regno pro rata provinciae Regni, fr. Michaelem de Augusta, fr. Ioannem Baptistam de Fulgineo pro rata provinciae Romanae, fr. Dominicum de Novaria pro rata provinciae s. Petri Martiris, fr. Ioannem Baptistam de Salerno pro rata provinciae Regni.

Conventui Ferrariensi assignamus in regentem pro tribus annis reverendum magistrum Bernardum de Bergadanis de Salutiis (4). In magistrum studentium pro primo anno fr. Dominicum de Ferraria (5). In biblicum fr. Leonardum de Venetiis (6). In baccalaurium fr. Iordanem de Ravena (7). In baccalaurium extraordinarium fr. Ioannem Siculum. In magistrum studentium pro secundo anno fr. Ioannem de Utino (8). In biblicum fr. Dominicum de Ferraria. In baccalaurium fr. Leonardum de Venetiis. In magistrum studentium pro tertio anno fr. Nicolaum de Padua. In biblicum fr. Ioannem de Utino. In baccalaurium fr. Dominicum de Ferraria. In baccalaurium extraordinarium fr. Leonardum de Venetiis. In studentes theologiae fr. Gerardum de Nicia, et fr. Ioannem de Regno, fr. Iacobum de Placentia, fr. Vincentium de Liniaco, fr. Ioachimum de Ferraria. In studentem artium fr. Sebastianum de Monte Silice et omnes alios assignatos et non amotos.

---

31) Silice *om.* P.

---

(1) De fr. Mauro de Betonto cf. l. c. pag. 51.
(2) De fr. Alexandro de Padua cf. l. c.
(3) De fr. Bernardo de Sicilia cf. l. c.
(4) De fr. Bernardo de Salutiis cf. l. c. pag 50.
(5) De fr. Dominico de Ferraria cf. l. c. pag. 53.
(6) De fr. Leonardo de Venetiis cf. l. c. et pag. 54.
(7) De fr. Iordane de Ravenna cf. l. c.
(8) De fr. Ioanne de Utino cf. l. c. pag. 54.

Conventui Veneto assignamus in regentem fr. Augustinum de Ragusio (1) magistrum. In magistrum studentium pro primo anno fr. Dominicum de Ancona (2). In biblicum fr. Ioannem Franciscum de Venetiis (3). In baccalaurium fr. Marcum Antonium Lucianum de Venetiis. In magistrum studentium pro secundo anno fr. Matthaeum Siculum. In biblicum fr. Dominicum de Ancona. In baccalaurium fr. Ioannem Franciscum de Venetiis. In magistrum studentium pro tertio anno fr. Michaelem de Augusta. In biblicum fr. Matthaeum Siculum. In baccalaurium fr. Dominicum de Ancona. In biblicum extraordinarium fr. Franciscum de Franciscis Venetum. In studentem honoris fr. Franciscum de Cararia pro primo et secundo anno. In studentes theologiae fr. Innocentium de Cherio, fr. Matthaeum Siculum, fr. Franciscum de Franciscis, fr. Emilium de Esculo, fr. Ioannem Baptistam Theatinum pro rata provinciae Regni.

Conventui Mediolani damus in regentem pro primo anno magistrum Ioannem Dominicum de Alexandria (4), pro secundo et tertio magistrum Georgium de Ianua, priorem dicti conventus, cui assignamus fr. Thomam de Liniaco baccalaurium in lectorem. In studentes fratres Petrum Bassanum de Liniaco, Hieronymum et Lucam de Hiporegia, Hieronymum de Voragine, Ioannem Baptistam de Albinghana, Dominicum et Baptistam de Ianua, Antonium Gilberti et Antonium Laurentii de provincia Provinciae; in reliquis committimus reverendo provinciali.

Conventui Cracoviensi provinciae Poloniae in regentem magistrum Ioannem de Spira. Ad legendum sententias pro primo anno fr. Nicolaum de Ferna; pro secundo fr. Matthaeum de Costen, pro tertio fr. Andream Franstolai. Ad legendum bibliam pro primo anno fr. Albertum Laurini (5); pro secundo fr. Abraam, pro lectore fr. Dominicum, studentem Bononiensem, qui tamen non recedat a Bononia, donec sui substituti veniant.

Conventui s. Mariae Novellae de Florentia in regentem pro primo et secundo anno magistrum Iordanem de Utino (6); pro tertio magistrum Iacobum Venetum. In baccalaurium pro primo et secundo anno fr. Benedictum de Floriano (7); extraordinarium pro primo et secundo anno fr. Ioannem de Panormo; pro tertio anno ordinarium fr. Ioannem de Panormo, in biblicum pro primo anno fr. Bartholomaeum de Florentia, pro secundo fr. Dominicum de Licio, pro tertio fr. Fredericum de Civi-

(1) De fr. Augustino de Ragusio cf. l. c. pag. 22.
(2) De fr. Dominico de Ancona cf. l. c. pag. 51.
(3) De fr. Ioanne Francisco de Venetiis cf. l. c.
(4) De fr. Ioanne Dom. de Alexandria cf. l. c. pag. 22.
(5) De fr. Alberto Laurini cf. supra pag. 51.
(6) De fr. Iordane de Utino cf. supra pag. 50.
(7) De fr. Benedicto de Floriano cf. l. c.

tate vetula. In magistrum studentium pro primo anno fr. Dominicum de Licio, pro secundo fr. Fredericum, pro tertio fr. Franciscum Iustinopolitanum. Studentes pro rata provinciae s. Dominici fr. Ioannem Antonium de Venetiis, fr. Fredericum de civitate Vetula, fr. Gerardum de Alemania, fr. Thomam Bohemum, fr. Petrum Coch, fr. Vincentium Luciani de Florentia.

Conventui Barchinone provinciae Aragoniae pro primo anno in regentem magistrum Baldasarem Sorio (1); pro secundo magistrum Raphaelem Moner (2). In biblicum pro primo anno fr. Ioannem Martines.

Conventui Perpiniani provinciae Aragoniae in regentem pro primo anno magistrum Michaelem Puz, pro secundo fr. Ioannem a Thenes (3) magistrum ; pro tertio eundem magistrum Michaelem Puz ; in biblicum pro primo anno fr. Dominicum de Monteferrato, pro secundo fr. Clementem de la Sala (4) ; pro tertio committimus reverendo provinciali. Ad legendum sententias pro primo anno fr. Petrum Romei ; pro secundo fr. Garziam (5) vel fr. Ioannem Abella, pro tertio fr. Georgium de Atheca.

Conventui Oschae eiusdem provinciae pro tribus annis magistrum Ioannem Campum (6) in regentem.

Conventui Ilerdae eiusdem provinciae in regentem damus pro primo et secundo anno magistrum Ioannem Melans ; pro tertio magistrum Ioannem Ghybere. Ad legendum sententias pro primo anno fr. Ioannem Blasco, pro secundo fr. Bartholomaeum Grau.

Istae sunt translationes.

Transferimus fr. Olavum Nicolai priorem Stocholmiensem a conventu Insulensi ad conventum Stocholmiensem.

Fr. Petrum Magni lectorem Strengenensem ad conventum Stocholmiensem.

Fr. Hermanum Pictorem Tremoniensem ad conventum Strengenensem.

Fr. Bernardum de Bergadanis (7) magistrum a conventu Salutiarum ad conventum s. Dominici de Ferraria.

Fr. Vincentium de Camerino de provincia Regni ad conventum s. Dominici de Camerino.

Fr. Ioannem Baptistam de Mediolano de provincia s. Petri martiris ad locum Castribaldi.

(1) De fr. Balthasare Sorio cf. SSOP. II, 159.
(2) De fr. Raphaele Moner cf. supra pag. 47.
(3) De fr. Ioanne a Thenes cf. l. c. pag. 68.
(4) De fr. Clemente de la Sala cf. l. c. pag. 55.
(5) De fr. Garzia Marchisi cf. l. c. pag. 49.
(6) De fr. Ioanne de Campo cf. l. c. pag. 56.
(7) De fr. Bernardo de Bergadanis de Salutiis cf. l. c. pag. 75.

Fr. Simonem de Est ad conventum Suapii.

Fr. Vincentium de Brixia ad conventum Suapii.

Item. Fr. Alexandrum de Tarvisio transferimus, facimus et declaramus filium conventus Iustinopolitani.

Fr. Paulum Legionensem (1) a conventu Salmanticensi ad conventum Legionensem.

Fr. Dominicum de Victoria priorem a conventu Vallisoletano ad conventum Victoriensem, salvo tamen iure haereditario de usque nunc acquisitis primis conventibus.

Fr. Sebastianum Rauleti conventus Claramontis ad conventum Martiaci provinciae Tholosanae.

Fr. Guilielmum de Furno a conventum Malibicini ad conventum Lectorensem provinciae Tholosanae.

Fr. Bodogenestam magistrum a conventu Albiensi provinciae Tholosanae ad conventum Reole eiusdem provinciae.

Fr. Theodoricum Rost a conventu Sozatensi ad conventum Tremoniensem provinciae Saxoniae cum omnibus bonis ac rebus suis, mobilibus et immobilibus.

Fr. Ioannem Giliberti a conventu Albiensi provinciae Tholosanae ad conventum Reole eiusdem provinciae.

Fr. Raymundum de Perterreno magistrum a conventu Tholosano ad conventum Bracheriaci eiusdem provinciae Tholosanae.

Magistrum Chimer conventus Augustensis provinciae Theutoniae ad conventum Rotwilensem eiusdem provinciae.

Fr. Berticerdum de Brixia a conventu Constantiensi ad conventum Rotwilensem provinciae Theutoniae.

Fr. Ioannem Vercenti a conventu Tarragonae provinciae Aragoniae ad conventum Hortesii provinciae Tholosanae.

Fr. Bodum de Leuca a conventu Malibicini ad conventum Marciaci provinciae Tholosanae.

Fr. Ewaldum sacerdotem conventus Oslaronensis provinciae Daciae et fr. Theodoricum conversum Revaliensem ad conventum Lubecensem.

Venerabilem patrem fr. Dominicum de Cremona predicatorem egregium a conventu Bergomensi ad conventum Cremonensem congregationis Lombardiae.

---

13) Lectorensem] Lacente P; Lachere R. — Tholosanae] Theutoniae PR. — 14) Albiensi] Aquensi R. — 15) Tholosanae] Theutoniae R. — Reole] Ierle — 15) Albiensi] Aquensi R. — Tholosanae] Theutoniae R. — 20) Reole] Ierle R. — 24) Rotwilensem] Kerchennensem R. — 25) Constantiensi] Costiensi R. — 26) Rotwilensem] Ruchensem R. — 28) Tolosanae] Theutoniae PR. — 32) Revaliensem] Reyliensem S.

---

(1) De fr. Paulo Legionen. cf. supra pag. 49.

Patrem fr. Dominicum de Trivilio a conventu s. Marci Florentiae ad conventum s. Mariae ab Angelis congregationis Lombardiae.

Fr. Laurentium de Pisauro a conventu s. Mariae Angelorum ad conventum Pisaurensem.

Fr. Albertum de Scotis de Placentia a conventu s. Apollinaris Papiae ad conventum s. Ioannis Placentiae congregationis Lombardiae.

Fr. Hieronymum de Vercellis a conventu Vercellensi ad conventum s. Mariae Gratiarum Mediolani congregationis Lombardiae; et hoc de consensu reverendi prioris Mediolanensis et patrum eiusdem conventus.

Fr. Pacium de Bergomo conversum a conventu s. Marci Florientiae ad illum conventum congregationis Lombardiae, cui reverendus vicarius generalis eiusdem congregationis et maior pars vocalium conventus consenserit.

Fr. Vincentium de Viqueria conversum a conventu Forliviensi ad conventum s. Mariae de Pietate Viqueriae congregationis Lombardiae.

Fr. Ioannem Baptistam de Viqueria sacerdotem a conventu Savonensi ad conventum s. Mariae Pietatis Viqueriae congregationis Lombardiae.

Fr. Ioannem Cumasugla a conventu Leontini ad conventum Syracusarum provinciae Trinacriae, et hoc de consensu praefati conventus Syracusarum.

Fr. Gregorium de Vogonia socium reverendi vicarii generalis congregationis Lombardiae, qui in aetate debita existens post annum et menses in novitiatu professionem fecit, transferimus ad locum sibi debitum, ac si suo tempore professionem fecisset, cum omnibus causis satisfecerit, propter quas professionem suo tempore non fecit.

Approbamus translationem fr. Ioannis Vincentii de Salutiis ad conventum Rippolarum, fr. Nicolai Pederana ad conventum Alexandriae, magistri Georgii de Ianua ad conventum s. Eustorgii de Mediolano, magistri Laurentii de s. Agata ad conventum Hyporegie, fr. Pauli de Villanova de conventu Tridini ad conventum Vercellarum, fr. Gasparis Cumacio de conventu Politiensi ad conventum s. Benedicti de Missana, fr. Ioannis de Soncino ad locum s. Mariae de Mutiliana provinciae s. Dominici.

Istae sunt absolutiones.

Absolvimus ad cautelam magistrum Michaelem de Albaregali a provincialatu Unghariae.

Item. Absolvimus fr. Americum de Quinque ecclesiis assertum provincialem Unghariae et praedictum fr. Americum instituimus vicarium provinciae Unghariae et electionis provincialis. Dantes auctoritatem magistro Michaeli de Albaregali, si fuerit praesens in capitulo provinciali, vel si ille non fuerit, antiquiori diffinitori illius capituli confirmandi provincialem electum; et quod faciant capitulum infra tempus s. Martini.

Istae sunt commissiones.

Committimus reverendissimo patri magistro ordinis omnem auctoritatem nostram et facultatem immutandi, addendi, diminuendi, dispensandi ea, quae in istis actis vel in quibuscumque aliis ordinata sunt, prout sua reverendissima paternitas iudicaverit expedire.

Istae sunt acceptationes ad beneficia.

Acceptamus ad beneficia ordinis christianissimos regem et reginam [Franciae] cum prole sua.

Item. Dominum Rotomagensem, Albiensem, Auxensem, Vivariensem, episcopum Parisiensem, Senonensem, Massiliensem, Redonensem ex ordine nostro assumptum, qui ex praecepto superiorum acceptavit episcopatum, quem volumus gaudere gratiis et privilegiis ordinis.

Item. Duces illustrissimos dominos de Borbonio, de Alenconio, de Dunes, de Calabria, de Vandomo.

Suffragia pro vivis.

In primis pro sanctissimo domino nostro, qui dedit capitulo indulgentiam plenariam, unam missam.

Pro reverendissimo domino protectore unam missam.

Pro christianissimo rege Franciae et regina, a quibus habuimus pingues eleemosinas, et pro nobilissima eorum prole unam missam.

Pro reverendissimo domino cardinali Rothomagensi, Albiensi, Auxensi, Baiocensi, Vivariensi, et domino Parisiensi, Senonensi, Massiliensi unam missam, qui dederunt eleemosinas pingues, et pro toto collegio cardinalium.

Pro dominis, qui dederunt eleemosinas unam missam scilicet domino de Borbonio, domino de Alenconio, de Dunes, de Calabria, de Vandomo et aliis.

Item. Pro omnibus, qui dederunt eleemosinas pro capitulo generali, unam missam.

Item. Pro illis, qui per litteras reverendissimi sunt recepti ad beneficia ordinis, unam missam.

Suffragia pro defunctis.

In primis pro anima domini Matthaei de Ursinis (1) cardinalis ex ordine nostro, qui cuilibet capitulo generali dimisit eleemosinam, unam missam.

Item. Pro anima quondam bonae memoriae magistri Vincentii Bandelli (2), magistri ordinis, unam missam.

26) Alenconio] Laconio PR.

(1) De fr. Matthaeo de Ursinis cf. supra pag. 59.
(2) De fr. Vincentio Bandello cf. l. c. pag. 68.

Item. Pro animabus eorum, qui, dum viverent, fuerunt recepti per generalem ad beneficia ordinis, unam missam.

Item. Pro animabus omnium fratrum et sororum ordinis nostri unam missam.

Sententias iudicum approbamus et iubemus in suo robore permanere et suum sortiri effectum.

Item. Volumus auctoritatem provincialium et diffinitorum durare usque ad diem dominicum sequentem.

Mandamus acta capituli per priores provinciales et diffinitores ad suas provincias diligenter conscripta atque sigillo ordinis signata deferri.

Sequens capitulum generale, quod erit diffinitorum, assignamus Lugduni in provincia Franciae post triennium in pentecostes scilicet 1510.

Conceditur omnibus fratribus et sororibus licentia pro una vice, ut possint confiteri et absolvi ab omnibus commissis usque in istam horam, sicut posset generalis absolvere.

Datum Papiae die ·xi· Iunii 1507.

Actis addita sunt duo brevia Iulii II.

I. Sub religionis iugo..... Dat. Romae M.D.IV. sexto Kal. Aug. a. I.; cf. BO. tom. IV pag. 221 n. 14.

II. Apostolica sedes divinam imitata providentiam.... Dat. Romae die 22 Augusti 1503 a. II.; cf. BO. l. c. pag. 230, n. 31.

In nomine domini. Amen.

HAEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS ROMAE CELEBRATI ANNO DOMINI MILLESIMO QUINGENTESIMO OCTAVO UNDECIMA IUNII

In Conventu s. Mariae supra Minervam sub reverendissimo patre fratre magistro Thoma de Vio Caietano sacrae Theologiae professore, tunc noviter electo in magistrum generalem Ordinis Praedicatorum diffinientibus reverendis provincialibus una cum diffinitoribus provinciarum:

Provinciali Franciae magistro Tristano Dolo (1).
Provinciali s. Dominici magistro Benedicto de Utino (2).
Provinciali Romano magistro Vincentio de Narnia (3).

1) item — missam *om.* P. — 29) tunc — pro me orate *om.* PR.

(1) De fr. Tristano Dolo cf. supra pag. 61.
(2) De fr. Benedicto de Utino cf. l. c.
(3) De fr. Vincentio de Narnia cf. l. c.

Provinciali Regni fr. Nicolao de Petra (1).
Provinciali Graeciae magistro Sigismundo Veneto (2).
Provinciali Aragoniae magistro Iohanne Pauli (3).
Provinciali Provinciae magistro Antonio Gilberti (4).
Provinciali Terrae Sanctae magistro Nicolao de Alemania.
Provinciali Lombardiae magistro Benedicto de Alexandria (5).
Provinciali Dalmatiae fr. Matthaeo Farensi (6).
Provinciali Trinacriae fr. Thoma de s. Salvatore.
Diffinitore Hispaniae magistro Alphonso Bustillo (7).
Diffinitore Tolosano magistro Iohanne de Fenario.
Diffinitore Franciae magistro Eustachio de Simoneli (8).
Diffinitore s. Dominici magistro Iohanne de Rhegio (9).
Diffinitore Romano magistro Valentino de Camerino (10).
Diffinitore Regni Siciliae magistro Iacobo de Mantua (11).
Diffinitore Theutoniae magistro Vigando de Francofordia (12).
Diffinitore Hungariae fr. Nicolao Hungaro (13).
Diffinitore Aragoniae magistro Iohanne de Campo (14).
Diffinitore Daciae fr. Laurentio de Dacia (15).
Diffinitore Provinciae fr. Contio Tebaldi.
Diffinitore Lombardiae superioris magistro Blasio de Hasta.
Diffinitore Dalmatiae magistro Blasio Iohanne de Sebenico.
Diffinitore Trinacriae magistro Iohanne Petro.

Littera reverendissimi magistri ordinis.

In dei filio sibi charissimis prioribus provincialibus et conventualibus, magistris, patribus et fratribus ac sororibus ordinis fratrum praedicatorum fr. Thomas de Vio Caietanus (16), sacrae theologiae professor

(1) De fr. Nicolao de Petra cf. l. c.
(2) De fr. Sigismundo Veneto cf. l. c.
(3) De fr. Ioanne Pauli cf. l. c.
(4) De fr. Antonio Gilberti cf. l. c.
(5) De fr. Benedicto de Alexandria cf. l. c.
(6) De fr. Matthaeo Farensi cf. l. c.
(7) Videtur esse idem ac Alphonsus Bussilio, de quo supra pag. 47.
(8) De fr. Eustachio Simoneli cf. MOPH. VIII, 410.
(9) De fr. Iohanne de Rhegio cf. l. c. pag. 384.
(10) De fr. Valentino de Camerino cf. l. c.
(11) De fr. Iacobo de Mantua cf. supra pag. 71.
(12) De fr. Wigando Wirt cf. SSOP. II, 13.
(13) De fr. Nicolao de Ungaria cf. MOPH. VIII, 384.
(14) De fr. Ioanne de Campo cf. supra pag. 77.
(15) De fr. Laurentio de Dacia cf. l. c. pag. 62.
(16) De fr. Thoma de Vio de Gaeta cf. l. c. pag. 20.

ac totius dicti ordinis humilis generalis magister et servus, salutem et spiritus sancti consolationem.

Divina permissione ad universalem ordinis famulatum assumptus, considerans quale ac quantum onus humeris adiectum sit, cum de tam multis districte sim iudici rationem redditurus; cum vero charitates vestras cogito mecum, ita enim speramus, hoc onus levaturas, meliori animo ac viribus ad perficienda omnia iam accingor, praesertim si paupertati ac litterarum studiis omnes simul insisterimus. Velitis itaque, patres optimi ac fratres charissimi, ita nostris institutis et sanctionibus inhaerere, ut rebus bene ex sententia peractis, omnes denique coelum pariter ascendamus.

Bene valete et deum pro me orate.

Istae sunt inchoationes.

Inchoamus hanc, quod inchoationes, quae fiunt in capitulis generalibus, non mandentur executioni usquequo approbatae fuerint per alia duo capitula et factae sint constitutiones, nisi forte eadem inchoatio fiat per modum ordinationis.

Item. Inchoamus hanc, quod nec magister ordinis nec aliquis prior provincialis, aut quovis modo praesidens in nostro ordine directe vel indirecte aliquid accipiat etiam sponte oblatum a quacumque persona sive praelata sive subdita praetextu litterarum, sigilli, registri, licentiae, confirmationis, et universim cuiuscumque gratiae aut iustitiae concessae aut concedendae, sed quilibet sit contentus contributionibus et visitationibus. Priores autem provinciales et alii inferiores contrafacientes in poenam absolvantur ab officiis suis indispensabiliter. Magister autem ordinis, si in hoc excesserit, a diffinitoribus generalis capituli corrigatur, et si obstinate restiterit, deponatur. Et quoniam reverendissimus magister sua spontanea voluntate statim post electionem suam declaravit, se hoc velle omnino a se et a suis observari, ordinamus, ut ex nunc a reliquis observetur sub poenis supradictis.

Item. Inchoamus hanc, quod tam in constitutionibus quam extra, quicquid non secundum se mortale mandatur sub quacumque poena nisi excommunicationis, ad solam poenam obliget, non obstante quod in capitulo de graviori culpa dicatur, ut qui membrum diaboli culpam perpetrando non erubuit fieri; et hoc ex nunc volumus sic intelligi extra constitutiones.

Istae sunt ordinationes.

In primis revocamus, cassamus, et annullamus omnem vim praecepti et censurae ecclesiasticae ab omnibus actis, literis et mandatis ca-

32) mandatur] est mandatum PR.

pitulorum, magistrorum ordinis, priorum provincialium ac conventualium et quarumcumque congregationum ac nationum vicariorum aut praesidentium in communi hactenus factis, transferentes eam in poenas gravioris culpae, et restituimus totum ordinem tam fratrum quam sororum omnium quoad hoc solis constitutionibus et regulae.

Item. Ordinamus, quod praelati non faciant praecepta, nec adiudicent ad poenam gravioris culpae aut carceris nisi in scriptis, et hoc raro et pro rebus magni momenti; nullusque praesumat mandare sub poena, quod non possit absolvi a peccatis suis, cassantes omnes hactenus factas huiusmodi ordinationes; nec sint faciles praelati sub poenis gravibus aut privationis vocis pro communibus et levibus mandare.

Item. Ordinamus, quod in conventibus vitae regularis, ubi providetur in communi de necessariis tam sanis quam infirmis, nullus praeter inquisitores, etiamsi sit prior conventualis, teneat pecunias nisi in communi deposito et de licentia superiorum. Revocantes omnes gratias in oppositum cuicumque hactenus concessas. Volentes depositum pluribus clavibus clausum inviolabiliter custodiri. Prohibentes, ne praelati aut subditi recipiant deposita extraneorum nisi in communi deposito conventus.

Item. Ordinamus, quod fratres existentes extra ordinem revocentur ad ordinem per priores provinciales, in quorum terminis sunt; volentes quod nullus prior provincialis de cetero det alicui existenti extra ordinem licentiam morandi extra illum, nisi pro societate praelatorum assumptorum ex ordine, aut pro confessoribus principum; quodque morantes extra ordinem praeter confessores et socios praedictos, quibus vox tantum passiva relinquitur, vocem activam vel passivam non habeant, non solum quamdiu sunt extra, sed etiam post reversionem ad ordinem per annum continuum, et nihilominus quamdiu sunt extra, cameram in conventu non habebunt, et contribuent semel singulis annis unum aureum priori provinciali illius provinciae, de quo teneantur rationem reddere sicut de contributionibus seu collectis. Volentes quod fratres huiusmodi extra ordinem morantes ad distinctionem aliorum non cum cappa, sed cum pallio incedant.

Item. Pro communi pace ordinamus, quod contributiones consuetae exigi per provinciales a conventibus subditis congregationibus de cetero exigantur a vicariis generalibus illarum congregationum, qui eas collectas infra duos menses post elapsum debitum solutionis tempus in uno aliquo certo conventu simul depositas significent provincialibus.

Item. Admonemus omnes fratres vitae regularis, ut reverenter recipiant priores provinciales suarum provinciarum, iuraque hospitalitatis religiose exhibeant, providentes generose de omnibus opportunis. Vo-

lentes, quod omnes fratres ad loca ubi sunt conventus, venientes infra viginti quatuor horas praesentent se cum litteris testimonialibus praelato conventus, cui secundum constitutiones, quamdiu sunt ibi, sunt subditi.

Item. Mandamus districte universis praesidentibus provinciarum, congregationum ac conventuum, ut nullum sine licentia reverendissimi magistri aut sui provincialis vel vicarii recipiant; volentes quod fratres aliarum provinciarum, nisi per triennium fuerint, aut alias notorie idonei habeantur, non praeficiantur conventibus aut locis, nec fiant magistri novitiorum aut sacristae, aut similes administrationes habentes.

Item. Aggravamus conscientias praesidentium circa promovendos sacerdotes, exponendosque praedicatores ac confessores. Volentes potius paucos et sufficientes, quam tot fratres in illis officiis, unde cultus divinus despiciatur, excaecataeque animae ad mortem potius ducantur quam ad vitam.

Item. Ordinamus, quod serventur constitutiones de ingressu in monasteria monialium, declarantes solum magistrum reverendissimum ordinis posse dare licentiam ingrediendi monasteria ordinis nostri. Revocantes omnes gratias et facultates concessas quibuscumque capellanis, confessoribus, prioribus vicariisque monasteriorum nostrorum concessas in oppositum. Et similiter omnes gratias concessas, quod moniales possint monasteria exire; declarantes omnes sorores exire praesumentes esse excommunicatas; volentes quod, quando visitantur huiusmodi monasteria, audiantur relationes sororum ad crates ferreas extra monasterium, repellentes omnem contrarium abusum.

Item. Ordinamus, quod si contingat aliquas personas ad ordinem quomodolibet spectantes raptum aut extasim pati aut aliquid huiusmodi, nullus praesumat divulgare saecularibus sub poena gravioris culpae, quam ipso facto incurrant.

Istae sunt declarationes.

Item. Declaramus et volumus inter festivitates extraordinarias computandas esse festum Pietatis beatae virginis, quod celebratur feria sexta ante dominicam in Ramis palmarum, et festum praesentationis, quod celebratur duodecimo calendas Decembris, et celebrentur in locis, ubi communiter celebrantur sub toto duplici. Et similiter festum s. Ioseph sub simplici tamen.

Item. Declaramus omnes fratres et moniales ordinis, nisi habeant animum in veritate paratum ad ponendum omnia quae habent ad pedes sui praelati esse in statu damnationis aeternae. Et similiter omnes qui mutuant quovis modo, aut dominium pecuniarum aut rerum pro sua voluntate tamquam domini rerum illarum transferunt absque licentia, esse

in statu damnationis aeternae. Et nihilominus contrafacientes deinceps privandos fore per praelatos rebus ipsis aut pecuniis, conventibus propriis iuxta constitutiones applicandis. Fratres itaque in posterum provideant suis conscientiis.

Item. Declaramus in bachalaurios assignatos non esse bachalaurios nec locum habere, nisi incorporati sint in universitate; reffellentes omnem abusum. Volentes omnes assignatos bachalaureos extraordinarios et pro cursu non posse incorporari in aliqua universitate; in locis tamen, ubi sunt assignati, loca habere iuxta illorum locorum consuetudinem hactenus servatam.

Item. Declaramus fratres tertii habitus professos in conventibus nostris manentes continue esse subditos praelatis sicut alios fratres.

Istae sunt denuntiationes.

In primis. Denuntiamus reverendissimum patrem magistrum fratrem Thomam de Vio Caietanum ex procuratore et vicario ordinis unanimiter electum in praesenti capitulo in magistrum ordinis.

Item. Denuntiamus, quod sanctissimus dominus dominus noster Iulius papa secundus concessit breve quoddam infrascripti tenoris:

Iulius papa secundus. Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. Exponi nobis fecisti, quod ambiguitates quaedam circa vicariorum facultates in tuo ordine exoriri videntur, quae si incertae manerent, grave esset praesidentibus in eodem occurrentibus subvenire necessitatibus. Quare nobis humiliter supplicasti, ut super praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tenore praesentium vicariis pro tempore praefati ordinis provinciarum conventuumque eius, mortuis vel amotis magistro, prioribus provincialibus vel conventualibus, omnem potestatem et facultatem tam apostolica auctoritate quam quomodolibet aliter concessam et in posterum concedendam magistro, provincialibus vel conventualibus prioribus praefati ordinis, exceptis illis, quae in constitutionibus dicti ordinis specialiter illis inhibentur, apostolica auctoritate respective concedimus de gratia speciali, in contrarium non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima septima septembris anno millesimo quingentesimo septimo, pontificatus nostri anno quarto.

Istae sunt acceptationes.

In primis acceptamus ad beneficia et gratias spirituales reverendis-

---

4) Item — servatam *om.* PR. — 35) Istae — anno domini 1508 *om.* PR.

simos dominos dominum Ludovicum de Viterbio (1) episcopum Signiensem, dominum episcopum Motonensem (2), dominum Raymundum (3) episcopum Philadelphiae, dominum episcopum Aconensem (4), dominum episcopum Nassivanensem dominum Benedictum (5) assumptum ex ordine nostro.

Item. Monasterium de Catiis Papiae.

Item. Fr. Squaliernum et fr. Ludovicum Barones provinciae Tholosanae beneficiatos.

Item. Collegium s. Gregorii Valisoletani cum omnibus gratiis, salvis iuribus ordinis.

Item. Monasterium s. Catherinae de Senis in Abolen (!).

Item. Monasterium reginae Coeli in Corduba concedendum per sedem in provincia Hispaniae.

Item. Acceptamus in provincia Regni conventum s. Mariae de Gratiis in Castro, cui damus in priorem fr. Ioannem de Brundusio, in lectorem fr. Cristophorum de Matera.

Item. In eadem provincia acceptamus conventum Annuntiatae in s. Severino sub congregatione Calabriae, cui damus in priorem fr. Augustinum de Talina et in doctorem fr. Iacobum de Cantararo.

Item. In dicta provincia acceptamus conventum s. Petri in Galatina sub congregatione Apuliae, cui damus in priorem fr. Andream de Medullio et in lectorem fr. Augustinum de Litio magistrum.

Item. Acceptamus conventum s. Vincentii de Castanea in provincia Trinacriae, cui damus in priorem fr. Vincentium de Balbis et in lectorem fr. Bernardum de Gentili.

Item. Acceptamus locum s. Mariae in insula Brioni in provincia s. Dominici pro conventu, cui damus in priorem fr. Benedictum de Padua et in lectorem magistrum Marcum de Ragusio.

Item. Acceptamus locum s. Sylvestri in Exquiliis de Urbe, quem reverendissimus dominus cardinalis s. Petri ad vincula vicecancellarius dedit congregationi s. Marci.

Item. Acceptamus reformationem conventus s. Petri Martyris in civitate Parmensi sub congregatione Lombardiae.

Istae sunt approbationes.

---

26) Brioni] Briotii S.

---

(1) De fr. Ludovico de Viterbio cf. supra pag. 57; BO. IV, 284.
(2) De fr. Antonio de Avila cf. BO. l. c. pag. 279.
(3) De fr. Raymundo de Fabro cf. l. c. pag. 283; supra pag. 46.
(4) De fr. Martino de Frustempaldis, cf. BO. l. c. pag. 273.
(5) De fr. Benedicto cf. l. c. pag. 192.

In primis approbamus studium Bituricense in provincia Franciae.

In provincia Theutoniae reformationem Sleestadiensis conventus et monasterii s. Barbarae iuxta Treverim.

In provincia Regni reformationem monasterii s. Annae de Noceria.

In provincia Provinciae reformationem monasterii s. Marthae de Nazareth, cuius sororibus praecipitur, ut obediant reverendo provinciali iuxta professionem suam, solitasque contributiones solvant.

Item. Approbamus magisteria infrascriptorum: in provincia Regni fr. Augustini de Litio (1). In provincia Aragoniae fr. Gasparis Stephani (2), fr. Angeli Stangor et fr. Angeli Lendron. In provincia Hispaniae fr. Alphonsi de Bustesso et fr. Pauli Legionensis (3). In provincia s. Dominici fr. Bonini de Liniaco et fr. Zachariae de Ravenna (4). In provincia Tholosana fr. Petri de Capitulanda et fr. Ioannis Amici et fr. Ioannis Petri Matthaei. In provincia Provinciae fr. Alberti Vilereti (5) et fr. Ioannis Damiani. In provincia Aragoniae fr. Francisci Benedicti, fr. Iuliani Garses (6) et fr. Ioannis Vige.

Item. Approbamus lecturas infrascriptorum: In provincia s. Dominici fr. Antonii Luciani Veneti; in provincia Hispaniae fr. Alphonsi de Vinero, fr. Antonii Criado, fr. Didaci de Lasconas, fr. Francisci de Valerano et fr. Arnaldi de Fonte; in provincia Provinciae fr. Eracli, fr. Bernardi de Arbore (7), fr. Stephani Gaii, fr. Antonii Desiderii, fr. Gulielmi Rocheti (8) et fr. Petri Desiderii; in provincia Aragoniae fr. Antonii de Marra, fr. Ioannis Stemma, fr. Onuphrii de Usman, fr. Garsiae Marchesi (9), fr. Ioannis Blasco (10); in provincia Tholosana fr. Ioannis de Pernusio; in provincia Franciae fr. Ludovici Gualtherii; in provincia s. Petri Martyris fr. Sebastiani de Ast (11) et fr. Ioachimi de Papia (12), quos licentiamus ad magisterium, si compleverint cursum suum; fr. Barnabae de Thaurino, fr. Andreae de Voragine (13) et fr. Ioannis de Victoria (14).

---

(1) De fr. Augustino de Litio cf. supra pag. 87.
(2) De fr. Gaspare Stephani cf. SSOP. II, 78.
(3) De fr. Paulo Legionen. cf. supra pag. 78.
(4) De fr. Zacharia de Ravenna cf. l. c. pag. 47.
(5) De fr. Alberto Vilereti cf. l. c. pag. 72.
(6) De fr. Iuliano Garses cf. SSOP. II, 157.
(7) De fr. Bernardo de Arbore cf. supra pag. 53.
(8) De fr. Guilelmo Rocheti cf. l. c. pag. 72.
(9) De fr. Garsia Marchesi cf. l. c. pag. 77.
(10) De fr. Ioanne Blasco cf. l. c.
(11) De fr. Sebastiano de Ast cf. l. c. pag. 55
(12) De fr. Ioachimo de Papia cf. l. c. pag. 74.
(13) De fr. Andrea de Voragine cf. l. c. pag. 55.
(14) De fr. Ioanne de Victoria cf. l. c. pag. 68.

Item.' Approbamus lecturas et licentiamus ad magisterium fr. Franciscum de Castelegio Hispanum, fr. Eigardum Mair Saxonem (1) post completum cursum suum, fr. Vincentium de Catharo Dalmatam (2), fr. Ioannem Morelle, fr. Andream Bantellis, fr. Iacobum Morot provinciae Provinciae.

Item. Approbamus et recipimus infrascriptos decem magistros promotos in hoc capitulo a reverendissimo magistro ordinis, quorum nomina sunt haec: magistrum Nicolaum de Perusio (3), mag. Benedictum de Floriano (4), mag. Paulum Hispanum (5), mag. Garsiam Marchesi de Aragonia (6), mag. Ioannem de Riparia (7), mag. Ioannem Siculum (8), mag. Bernardum Siculum (9), mag. Aloysium Venetum (10), mag. Ioannem Franciscum Venetum (11), mag. Alexandrum de Padua (12), mag. Ioannem Mariam de Ferraria Porcellum.

Item. Hos facimus iubilarios: fr. Lucam de Quinque ecclesiis (13), fr. Armandum de s. Martino, fr. Salvatorem de Puceria, fr. Antonium de Ferraria, fr. Albertum Venetum, fr. Armandum, fr. Gulielmum Emidoriis provinciae Provinciae, fr. Ioannem de Burreta, fr. Gulielmum de Castris, fr. Ioannem Mola provinciae Franciae, fr. Augustinum Salarii, fr. Vincentium de Salerno provinciae Regni et fr. Thomam de Pontecurono; in provincia Dalmatiae fr. Andream de Lesina; in provincia Romana fr. Andream de Senis.

Istae sunt translationes.

In primis transferimus fr. Ioannem Mariam de Portiolo (14) magistrum ad conventum s. Dominici de Ferraria ex quacumque filiatione.

Item. Fr. Petrum de s. Salvatore ex quacumque filiatione ad conventum s. Dominici de Messana, fr. Ioannem de Floria a conventu Cathanensi ad conventum s. Dominici de Messana, fr. Vincentium de Balbis de conventu Trapanensi ad conventum s. Citae de Panormo, fr. Malatestam de Arimino de conventu et congregatione s. Marci ad conventum

(1) De fr. Eigardo Mair cf. l. c. pag. 68.
(2) De fr. Vincentio de Catharo cf. l. c.
(3) De fr. Nicolao de Perusio cf. l. c. pag. 61.
(4) De fr. Benedicto de Floriano cf. l. c. pag. 76.
(5) De fr. Paulo Hispano cf. l. c. pag. 78.
(6) De fr. Garsia Marchesi cf. l. c. pag. 88.
(7) De fr. Ioanne de Riparia cf. l. c. pag. 19.
(8) De fr. Ioanne Siculo cf. l. c. pag. 75.
(9) De fr. Bernardo Siculo cf. l. c.
(10) De fr. Aloysio Veneto cf. l. c. pag. 51.
(11) De fr. Ioanne Francisco Veneto cf. l. c. pag. 76.
(12) De fr. Alexandro de Padua cf. l. c. pag. 75.
(13) De fr. Luca de Quinque ecclesiis cf. MOPH. VIII, 413.
(14) De fr. Ioanne Maria de Portiolo cf. supra pag. 54.

Ariminensem congregationis Lombardiae, fr. Ioannem de Grasso et fr. Lucam de Russo de conventu Leontino ad conventum s. Dominici de Messana, fr. Bernardum de Brixia s. Petri Martyris ad conventum Plotiae in provincia Trinacriae, fr. Dominicum de Catharo (1) de conventu Ragusino ad conventum Catharensem, fr. Symphorianum Cavaleri (2) de conventu Montispesulani et fr. Nicolaum de Iuliariis....

Istae sunt assignationes.

Innovamus omnes assignationes, provisiones, commissiones praecedentis capituli Papiae celebrati pro secundo et tertio anno in primum et secundum annum praesentis capituli, exceptis illis, de quibus in praesentibus actis aliter fuerit ordinatum; volentes quoque, quod omnes officiales secundi anni proxime futuri in studiis Italiae sint officiales in eisdem studiis et gradibus pro tertio anno, nisi inferius exprimantur specialiter.

Conventui Bononiensi assignamus pro duobus primis annis in regentem magistrum Eustachium de Bononia (3), pro tertio magistrum Georgium de Casali; in bacchalarium pro primo anno fr. Thomam de Calvisano (4), pro secundo et tertio fr. Vincentium de Vicentia (5), cui substituimus fr. Donatum de Brixia (6); in magistrum studentium pro primo anno fr. Franciscum de Ferraria (7), pro secundo fr. Ludovicum de Ianua, pro tertio fr. Ludovicum de Landriano (8).

Conventui Vallisoletano pro primo anno assignamus in regentem magistrum Mathiam de Paz (9); in magistrum studentium fr. Ioannem de Flandes; in bacchalaureum fr. Antonium Borregam; pro secundo anno in regentem magistrum Gregorium Pardo (10); in magistrum studentium fr. Franciscum Cordubensem; in baccalaureum fr. Damianum.

Istae sunt alleviationes.

In primis alleviamus conventum s. Mariae super Minervam de Urbe a solutione contributionum deinceps propter onera procuratoris ordinis.

Istae sunt absolutiones.

In primis absolvimus omnes fratres ordinis beneficiatos ab omni assignatione in conventibus nostris et ab omni praesidentia et officio in

---

(1) De fr. Dominico de Catharo cf. supra pag. 71.
(2) De fr. Symphoriano Cavaleri cf. l. c. pag. 53.
(3) De fr. Eustachio de Bononia cf. l. c. pag. 69.
(4) De fr. Thoma de Calvisano cf. l. c.
(5) De fr. Vincentio de Vicentia cf. l. c. pag. 70.
(6) De fr. Donato de Brixia cf. l. c. pag. 49.
(7) De fr. Francisco de Ferraria cf. l. c. pag. 70.
(8) De fr. Ludovico de Landriano cf. l. c.
(9) De fr. Matthia de Paz cf. l. c. pag. 72.
(10) De fr. Gregorio Pardo cf. l. c.

ordine nostro, et nolumus eos nobiscum in conventibus nostris morari, nisi forte aliquis propter suos mores de consensu provincialis et duarum partium sui conventus capitulariter congregati retineatur, sine tamen officio et praesidentia et voce activa et passiva, revocando quidquid in oppositum concessum est.

Istae sunt poenitentiae.

In primis declaramus fr. Mathaeum Hasaeum provincialem Dalmatiae, quantum est ex allegatis hinc inde tam in praecedenti capitulo quam in praesenti, esse immunem ab obiectis sibi, videlicet a matrimonio sibi imposito, a vaccatione provincialatus sibi obiecta, destructioneque provinciae et aliis huiusmodi infamiis. Eos autem, qui manus violentas in eum iniecerunt, subiicimus poenae gravioris culpae; qui autem defecerunt in probationibus contra eum, puniendos declaramus ad arbitrium reverendissimi magistri ordinis, imponentes in supradictis universis fratribus silentium.

Istae sunt commissiones.

In primis committimus reverendissimo magistro ordinis omnem nostram auctoritatem et facultatem addendi, minuendi, mutandi, dispensandi, et breviter omnia et singula faciendi ac committendi, quae capitulum generale posset, etiam si talia forent, quae mandatum exigerent magis speciale; volentes, quod simplici eius verbo credatur; approbantes et pro insertis habentes omnes et singulas eius litteras.

Committimus et concedimus omnibus provincialibus et istius capituli diffinitoribus, quod possint facere duos iubilarios.

Committimus reverendo provinciali provinciae Provinciae remissionem poenitentiae taxatae in praecedenti capitulo eis, qui appellaverunt contra absolutionem magistri Arnaldi de Arnaldis (1); volumus tamen illos, qui prosecuti sunt causam, cum beneficiati sint, a nostris conventibus expelli; acceptantes poenitentiam datam caeteris a praefato provinciali.

Ista sunt suffragia pro vivis.

In primis pro sanctissimo domino nostro Iulio papa secundo, qui dedit capitulo indulgentiam plenariam, quilibet sacerdos unam missam.

Pro reverendissimo domino protectore quilibet sacerdos unam missam.

Pro omnibus qui eleemosinas dederunt pro capitulo quilibet sacerdos unam missam; et nihilominus acceptamus eos ad participationem bonorum totius ordinis, quousque fuerit satisfactum ante tribunal Christi.

Ista sunt suffragia pro defunctis.

---

(1) De fr. Arnaldo de Arnaldis cf. supra pag. 69.

In primis pro anima domini Matthaei de Ursinis (1), cardinalis ex ordine nostro, qui cuilibet capitulo generali reliquit eleemosynam, missam unam.

Pro anima bonae memoriae magistri Ioannis Cleree (2) magistri ordinis quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro animabus illorum, qui recepti sunt ad beneficia ordinis, dum viverent, per generalem, quilibet sacerdos unam missam.

Sententias iudicum approbamus et volumus in suo robore permanere.

Mandamus, quod acta capituli per priores provinciales et diffinitores ad suas provincias diligenter conscripta atque sigillo ordinis sigillata deferantur.

Sequens capitulum generale, quod erit diffinitorum, assignamus Coloniae in provincia Theutoniae post triennium in festo penthecostes anno domini 1511.

Conceditur omnibus fratribus et sororibus licentia pro una vice, ut possint confiteri et absolvi ab omnibus peccatis suis commissis in hanc horam, sicut posset magister generalis ordinis.

Datum Romae die ·xxvi· iunii anno domini 1508.

---

(1) De fr. Matthaeo de Ursinis cf. l. c. pag. 80.

(2) Obiit autem praefatus pater Reverendissimus ordinis magister Ioannes Cleree vir utique vita, scientia, et moribus clarus in dicto conventu Papiae eodem anno in festo beati Laurentii omnibus munitus ecclesiasticis sacramentis, et devotissime ex hoc mundo transiit ad Christum; cuius mortem merito deplorat totus ordo sacer Praedicatorum versibus sequentibus:

Heu iacet extinctus lux quondam clara Ioannes,
Quo duce clara manet religiosa domus.
Mors tulit indigno clarum decus invida mundo,
Quae sprevit claros corde furente viros.
Quis tam clarus erit qui tuto pectore vivat,
Si rapuit clarum mors furibunda virum!
Ille fuit doctor caelesti munere clarus,
Cuius erant dictis consona facta suis.
Ille vagos claro coniunxit foedere Fratres,
Non fuit in vasto clarior orbe Pater.
More Patris clari prudens benefactor habebat
Auxiliatrices ad pia facta manus.
Errantes claro divini semine verbi
Flexit ad aethereae limina clara domus.
Asper in elatos, peregrinis hospes egenis,
Solamen miseris, subsidiumque reis.
Sed lue iam lacrymas maestissima turba cadentes,
Orat pro claro vita beata grege.
Quis negat? aeternas lux clarior ivit ad aedes,
Gustat ibi meritis praemia clara suis.

E cod. Parisien. tabularii n. 1529, III, fol. 217.

In nomine domini. Amen.

HAEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS IN CONVENTU SANCTI DOMINICI DE IANUA CELEBRATI SUB REVERENDISSIMO PATRE MAGISTRO FRATRE THOMA DE VIO CAIETANO SACRAE THEOLOGIAE ALACRISSIMO PROFESSORE ORDINIS PRAEDICATORUM GENERALI MAGISTRO ANNO DOMINI MILLESIMO QUINGENTESIMO TERTIO DECIMO DECIMA QUINTA MAII DIFFINIENTIBUS REVERENDIS PATRIBUS

fr. Hieronimo de Monopoli (1) diffinitore provinciae sancti Dominici,
fr. Bernhardo de Altavilla diffinitore provinciae Regni Siciliae,
fr. Everardo de Clivis (2) magistro diffinitore provinciae Theutoniae,
fr. Petro de Wadasd diffinitore provinciae Hungariae,
fr. Iacobo Ioannis de Wratislavia (3) bachalario diffinitore prov. Poloniae,
fr. Antonio Ynangues magistro diffinitore provinciae Aragoniae,
fr. Martino Ioannis lectore diffinitore provinciae Daciae,
fr. Hieronymo de Cherio (4) magistro diffinitore prov. s. Petri Martyris,
fr. Balthazare Mindel (5) bachalario diffinitore provinciae Bohemiae,
fr. Gaspare Eberhardi (6) magistro diffinitore provinciae Saxoniae,
fr. Anthonio Cantella diffinitore provinciae Trinacliae.

Epistola magistri reverendissimi ad totum ordinem.

In dei filio sibi charissimis universis et singulis praesidentibus, magistris, patribus et fratribus ordinis praedicatorum frater Thomas Caietanus (7) sacrae theologiae professor ac totius eiusdem ordinis humilis generalis magister et servus salutem et spiritus sancti consolationem.

Quanto studio, fratres charissimi, collapsus ordo reparandus sit, magnitudo ruinae illius testatur. Tantum siquidem abest, ut integritatem vitae regularis servemus, quod eo usque deficiendo progressi sumus, ut et religionis nomen profitentibus communia, et nobis peculiari et particulari quadam sorte propria magna ex parte perierint. Hora igitur

(1) De fr. Hieronymo de Monopoli cf. MOPH. VIII, 404.
(2) De fr. Everhardo de Clivis cf. supra pag. 73.
(3) De fr. Iacobo Ioannis cf. l. c. pag. 52.
(4) De fr. Hieronymo de Cherio cf. l. c. pag. 74.
(5) De fr. Baltasare Mendel cf. l. c. pag. 61, 73.
(6) De fr. Gaspare Eberhardi cf. l. c. pag. 67.
(7) De fr. Thoma Caietano cf. l. c. pag. 86.

cum sit a somno surgendi, obsecro vos omnes per viscera misericordiae domini nostri Iesu Christi, ut ad reformationem ordinis parati sic sitis, ut sint vobis omnia communia, et distribuatur unicuique vestrum, sicut cuique opus fuerit. Nulla vos sollicitudo opportunae subventionis deficiendae teneat, dum quod ex vobis est, facitis: absque peccato siquidem et iniuria divinae providentiae sollicitudo haec non est. Facitis autem procul dubio, quod est ex vobis, cum secundum regulam et constitutiones professionis vestrae vivetis, et omnem sollicitudinem vestram sic viventes in eum proiicietis, cui est cura de vobis, « qui lilia agri vestit et aves pascit ». Haec siquidem est religionis radix, haec reformationis clavis, absque hac omnis reformatio reformationis nomine indigna est.

Circumdate deinde Sion, ad celsam speculam divinae veritatis et legis ascendere contendentes; nec labor diutinus vos revocet, sed durate, ut complectamini eam. Non involvatis silentio doctrinam, qui complexi illam estis, sed verbo lectionis et praedicationis narrate in eius turribus exemplaria vitae et doctrinae, non in fossis ignorantiae, hypocrisis, aut scandali. Ponite siquidem non voces tantum, sed corda vestra in eius virtute expulsiva vitiorum, genitrice virtutum, duceque certissima ad caelestem patriam, et distribuite domos eius, ut quasi in quibusdam habitaculis distributi, alii grammaticae, alii logicae, alii philosophiae, alii casibus conscientiae, alii subtilibus theologiae quaestionibus, alii sacrae bibliae lectioni, studii sui praecipuas partes impendendo discant, ut in distributis domibus confessorum, praedicatorum, lectorum, doctorum pastorumque praeesse et prodesse possint.

« Confundantur autem et convertantur retrorsum omnes qui oderunt Sion », humilientur, puniantur, et deiiciantur omnes, qui nec ipsi scire, nec alios scire volunt; qui nomen sibi doctorum aut praedicatorum usurpant, doctrina autem carent, qui seipsos amantes saluti animarum, literarioque profectui fratrum recusant incumbere. Gaudeant alii, fratres charissimi, suis praerogativis, nos nisi sacra doctrina commendet, de nostro ordine actum est.

Bene valete, et Deus pacis et dilectionis sit semper cum omnibus vobis. Amen.

Datum Ianuae vicesima prima Maii anno domini 1513 in nostro capitulo generali.

Istae sunt inchoationes.

Inchoamus hanc, quod festum sanctae Katharinae de Senis fiat non in prima dominica maii, ut alicubi fit, sed in dominica prima maii vacante. Vacantem autem in hoc loco dicimus, si nec festum apostolorum Philippi et Iacobi, nec festum inventionis sanctae crucis in illa evenerit. Et hoc istis solemnitatibus deferatur, et uniformitas in ordine sit.

Item. Inchoamus hanc, quod de praesentatione virginis Mariae fiat ubique totum duplex undecimo kalendas decembris. Et de beato Ioseph fiat ubique totum duplex die decima nona martii. Et de beata Anna matre matris dei fiat ubique totum duplex vigesima sexta iulii. De divisione etiam apostolorum fiat ubique totum duplex decima quinta iulii.

Item. Inchoamus hanc, quod in missis de beata virgine tam privatis quam conventualibus, quandocumque quacumque ex causa de ea celebratur, dicatur « gloria in excelsis » sicut communiter in aliis ecclesiis dicitur : puta post versum « Domine fili unigenite Iesu Christe » addatur : « Spiritus et alme orphanorum paraclite » ; post versum « Domine deus agnus dei filius patris » addatur : « Primogenitus Mariae virginis matris » ; post versum « Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram » addatur : « Ad Mariae gloriam » ; post versum « Quoniam tu solus sanctus » addatur : « Mariam gubernans » ; post versum « Tu solus altissimus » addatur : « Mariam coronans Iesu Christe ». Et aptetur cantus ad haec.

Item. Inchoamus hanc, quod appellans ab absolutione facta vel facienda ab officio prioratus provincialis vel conventualis aut vicariatus etiam praetextu gravaminis ipso facto sit absolutus ab illo officio. Volentes, quod in istis ratio gravaminis tam proprii quam communis non habeat locum quoad appellandum. Et volumus hanc per modum ordinationis efficacis, interim quo fiat haec constitutio, observari inviolabiliter.

Item. Quod ad nullum iudicem extra ordinem nisi ad sedem apostolicam, cui immediate ordo subiectus est, aliquod membrum ordinis illique subditum pro iustitia recurrat sub poena absolutionis ipso facto, si est praelatus, et privationis vocis activae et passivae etiam ipso facto quoad alios. Et hoc etiam ordinamus, interim efficaciter et inviolabiliter observari.

Item. Inchoamus hanc, quod fratres extra conventus, quorum sunt filii, assignati ad tempus, id est ad officium seu exercitium certo et determinato tempore durans, completo illo certo tempore, ex quo sunt absoluti a tali assignatione, assignati intelligantur in conventibus, quorum sunt filii, nisi superior alibi eos assignaverit. Assignati autem simpliciter, nunquam intelligantur assignati in conventibus, quorum sunt filii, nisi reassignentur. Et hoc volumus et ordinamus exinde observari.

Item. Inchoamus hanc, quod in locis, ubi completorium dicitur de die coram secularibus sic, quod possint ab eis fratres videri, disciplina detur nocte sequenti post matutinas, exceptis noctibus vigiliarum nativitatis et annunciationis dominicae, in quibus omittantur.

---

29) Item — observari *om.* PR.

Item. Ad supplendum plures defectus, tollenda multa dubia, mutandaque nonnulla in melius, visum est proponere universo ordini quaedam constitutionibus nostris addenda, diminuenda, vel mutanda, ut fratres sic ad invicem conferre possint, ut ex singulorum conventuum votis in capitulis provinciarum et congregationum, tam de propositis in actis istis, quam de aliis quae proponenda essent, tales constitutiones quales observatio ipsa cum effectu commendaret, et eas delere, quae communiter non servantur, et omnia clara et consona iura nostra absque ambiguitatibus, quantum fieri potest, concludere possint. Et si aliquid forte est, quod potestatem ordinis excederet, a sede apostolica facile potestatem habebit generale capitulum, consentiente ordine, propter quod infrascriptas, quantum ex nostra pendet auctoritate, inchoamus.

In primis in prologo constitutionum, ubi dicitur: volumus et declaramus, ut regula et constitutiones nostrae etc., mutetur sic: volumus et declaramus, ut regula et constitutiones nostrae non obligent nos ad culpam, sed ad poenam, si a praelato imponatur, nisi propter praeceptum vel contemptum. Quam poenae taxatae impositionem si praelati neglexerint vel cum acceptione personarum exercuerint, acrius puniantur; et si in huiusmodi perseveraverint, absolvantur ab officiis; cum poenitentibus tamen misericorditer se habere poterunt. In tantum autem praelati impositionem requiri volumus, ut nisi sit excommunicatio latae sententiae, quaecumque poena etiam ipso facto incurrenda tam in constitutionibus quam extra requirat declarationem praelati in particulari respectu huius ad hoc quod incurratur, quantumcumque etiam notorium facti aut iuris aut utriusque interveniat.

Praeceptum autem in regula nostra nullum, nisi quod ex natura sua est ratione trium votorum vel divinae legis, contineri volumus et declaramus. Et idem in constitutionibus, nisi ubi ponitur poena excommunicationis aut formaliter exprimitur per verbum: Praecipimus in virtute sanctae obedientiae. Et hoc idem in ordinationibus et in praelatorum verbis et litteris intelligi volumus. Poenam excommunicationis et excommunicationem latae sententiae per nulla verba tam in constitutionibus quam extra in nostro ordine intelligimus, nisi ubi explicite et verbaliter poena excommunicationis et excommunicatio latae sententiae exprimitur.

Porro praelati non faciant praecepta in ira, praecipue contra subditos turbatos, et si fecerint, irrita sint et inania; nec faciant praecepta quieto animo nisi in scriptis extra necessitatis articulum praeter commune praeceptum, quod fit in visitatione; facta tamen valeant. Nec damnent aliquem ad poenam gravioris culpae vel carceris nisi in iudicio confessum vel convictum et in scriptis. Et si secus factum fuerit, irritum sit et inane.

In eodem prologo, ubi dicitur: Interpretationes regulae et consti-

tutionum etc. mutetur sic: Interpretationes regulae vel constitutionum factae a generali capitulo non habeant vim constitutionis, nisi per tria capitula continua in modum aliarum constitutionum scilicet per viam inchoationis et confirmationis continuate fuerint approbatae.

Ordinationes tam capitulorum generalium quam magistri ordinis quoad vim praecepti et censuram ecclesiasticam cum ipsis expirare volumus; vita vero capituli usque ad sequens capitulum intelligitur. Quoad reliqua vero quomodolibet per generale capitulum vel magistrum ordinis facta durare volumus, donec fuerint revocata per similem potestatem; excepto quod si quem magister ordinis vicarium totius ordinis instituisset; hunc enim volumus cum ipso expirare.

Ab inferioribus autem capitulis et praelatis quomodolibet ordinata cum ipsis tamquam ab homine ordinata expirare volumus, exceptis supprioribus, confessoribus tam fratrum quam monialium, vicariis monialium et magistris personarum utriusque sexus tertii habitus et officialibus conventuum absque iurisdictione. Hos enim volumus durare cum ea quam habebant auctoritate, donec revocentur ab habente potestatem destituendi eosdem.

Porro praelati omnes a multitudine praeceptorum et ordinationum abstineant, nec laqueum animabus subditorum iniiciant, nec propter defectum unius aut paucorum, quem vel quos non audent corrigere, communitatem involvant. Nulla quoque potestate in ordine nostro in communi vel particulari aliquid ordinetur cum hac poena, quod non possit absolvi a peccatis suis; et si secus factum fuerit, sit irritum et inane. Priores tamen possint aliquos determinatos casus peccati mortalis sibi reservare, ut viderint expedire animabus.

In capitulo secundo de inclinationibus, ubi dicitur: et in gratiarum actione inclinamus solum ad pater noster et orationem etc., addatur: ad utrumque pater noster.

In capitulo tertio, ubi dicitur de suffragiis mortuorum, quod: fratres nostri numerum missarum non admittant, legatur: amittant id est perdant.

In capitulo septimo de infirmis ibi: similiter nec alii fratres comedant nisi in infirmitorio vel hospitum domo, addatur: nec priores provinciales nec magistri in theologia etiam actu legentes, nec praedicatores actu praedicantes comedant in cameris, sed communiter in refectorio vel hospitio vel domo infirmorum vel domo debilium.

Ibidem: conventus sui, addatur: conventum suum dicimus, cuius est filius.

---

13) cum — ordinata *om.* PR. — 14) vicariis monialium *om.* PR. — 31) id est *om.* PR.

In octavo capitulo, ubi dicitur de minutione: minutio quater in anno fiat, dicatur: fieri possit.

In capitulo decimo de vestitu post verbum: lineis non utantur ad carnem, addatur: exceptis femoralibus et calceis et pulvinaribus et huiusmodi.

Ibidem: Linteamina in infirmariis nostris non habeantur, mutetur et dicatur: concedimus et similiter in cameris hospitum.

Ibidem: coopertoriis pellium nisi in infirmariis, addatur: et hospitiis.

Ibidem: pellium silvestrium, addatur: pretiosarum.

Ibidem: tunicae ad cavillam pedum, addatur: inclusive et plus non descendant, et sequatur sic: Scapularia mediam tibiam cooperiant et non plus. Cappae vero infra scapulare et supra tunicam, sic ut tunica trium digitorum latitudine discooperta maneat.

In capitulo de silentio ibi: nisi forte silenter aliquid loquantur, non tamen oratione perfecta, mutetur sic: non longa collocutione nisi de licentia praelati.

In capitulo de recipiendis addatur: pueri infra quartum decimum annum aut non recipiantur, aut si in aliquibus conventibus oportet eos communiter recipere, recipiantur de consensu capituli conventus a priore et non aliter; nec retineri possint in aliquo conventu, ubi non sit novitiorum similium congregatio cum proprio dormitorio et magistro, ita quod alibi non recipiantur, nisi statim mittantur ad huiusmodi conventus, in quibus profitebuntur pro conventibus tamen, in quibus acceperunt habitum, et a quibus conventibus de vestimentis provideri debet. Priores autem conventuales, magistri, praedicatores vel quicumque alii contrafacientes omni voce activa et passiva sint ipso facto privati per triennium.

In capitulo decimo quarto de novitiis post illum versum: similiter omnes fratres, addatur: nullus frater etiam prior recipiat depositum cuiuscumque, nisi in communi deposito conventus. Contrarium autem faciens incurrat poenam gravioris culpae ipso facto.

In eodem capitulo addatur: mandamus universis fratribus, quatenus novitios volentes redire ad seculum libere permittant ire, redditis sibi omnibus, quae secum attulerant; nec sint eis molesti propter hoc exemplo illius qui, discipulis quibusdam recedentibus, aliis remanentibus dixit: « numquid et vos vultis abire? »

Item. Nullus recipiatur ad professionem ut clericus, nisi sciat plene et expedite legere et dicere divinum officium nocturnum pariter et diurnum solus, et sciat vel quasi sciat in proxima dispositione grammaticam; et per duos menses ante professionem examinatores recipiendorum te-

---

3) post verbum *om.* S. — 19) de] communi *add.* S.

neantur eos examinare de his et referre priori et capitulo, et si inventus fuerit multum deficiens in praedictis, vocetur in capitulo novitius, ibidem et assignetur ei certum tempus prolixius probationis, vel declaretur ei, quod numquam veniet terminus probationis nisi postquam iterum in capitulo vocato et pro sufficienti approbato, octo adhuc dies ad minus probationis relinquantur.

Ultra autem hoc ne pueruli recepti ad habitum inveniant se potius natos sub iugo religionis quam illud elegisse, evitenturque inconvenientia multa, statuimus, ut ei cui ante decimum quintum annum habitus religionis est datus, numquam elabatur annus probationis, quantumcumque decurrentis temporis spatio, nisi vocatus post completum decimum sextum aetatis annum a praelato in capitulo coram conventu terminum ad minus trium mensium acceperit ad deliberandum, an profiteri velit, ita quod annus probationis cum taxato illo termino terminetur, et per hoc ex tunc incurretur professio tacite. Et ut hoc inviolabiliter observetur, cuilibet ante decimum quintum annum pro tempore recepto ad habitum assignamus annum probationis modo dicto. Mandamus autem sub poena absolutionis ab officio et gravioris culpae praelato, ut quando vocatus fuerit novitius ad terminum professionis suscipiendum, expresse protestetur eidem, quod professio sua obligabit eumdem ad tria vota castitatis scilicet, paupertatis et obedientiae secundum regulam beati Augustini et institutiones fratrum praedicatorum, et non secundum quod hic vel hodie servatur, et quod statim elapso termino sibi taxato, nisi contradictum ab ipso vel a religione fuerit, incurrat professionem, etiamsi aliter non profiteatur.

Novitios quoque recedentes sine licentia cum habitu a conventu, nisi infra octo dies ad eundem redierint, pro refutatis ab ordine habemus. Et si ad alium conventum declinaverint et fuerint in illo acceptati pro novitiis, volumus annum probationis inchoari ab illo die, quo in ipso altero conventu fuerint acceptati. Quod si nullibi acceptati pro novitiis fuerint post exitum sine licentia, pro refutatis et non novitiis haberi volumus, quanto tempore sic permanent.

In capitulo decimo quinto de professione addatur: In quolibet conventu habeatur liber particularis, in quo scribantur omnes, qui faciunt professionem, ibi notando annum, mensem et diem, et nomen praelati recipientis ad professionem et sub quo magistro ordinis.

In capitulo decimo octavo de graviori culpa ibi: si quis crimen capitale commiserit, addatur: id est poena capitis in seculo puniendum etc.

---

11) sextum] septimum S. — 15) observetur] praesenti statuto *add.* S.

Ibidem in eodem capitulo: Si quis procuraverit, quod ipse vel alius eximatur a potestate praelati sui, mutetur et dicatur sic; si quis procuraverit, quod ipse vel alius eximatur de facto tantum a potestate praelati sui.

Ibidem: ad tempus sequestretur a consortio etc., addatur: Poena autem sequestrationis tunc tantum habeat locum, quando propter mortale peccatum ad poenam gravioris culpae est damnatus.

Ibidem ubi dicitur: ac donec per magistrum, dicatur vel donec per magistrum.

In capitulo decimo nono de gravissima culpa addatur: Frater propter mortale crimen damnatus legitime ad poenam gravioris culpae, et recusans illam ferre eiiciatur mature et iudicialiter de ordine per priorem provincialem vel illius vicarium de consilio discretorum in scriptis, ita quod appareant authentice gesta omnia cum processu et sententia cum subscriptione discretorum. Nullus autem cum habitu ordinis ob quamcumque causam etiam criminalem a sua provincia eiici possit simpliciter vel ad tempus nisi a magistro ordinis vel generali capitulo.

In capitulo vigesimo de apostatis ibi: nisi per diffinitores generalis capituli, addatur: vel magistrum ordinis etc. Eandem sententiam, addatur: dictarum privationum.

Et haec de prima.

In distinctione secunda.

Capitulo primo de domibus concedendis et construendis dicatur sic: Nulla domus concedatur nisi de licentia sedis apostolicae et a diffinitoribus provincialis capituli fuerit postulata.

Ibidem reducatur constitutio ad formam antiquam clarius sic: Conventum citra numerum duodenarium fratrum professorum, quorum decem ad minus sint clerici et sine licentia etc., possint tamen per generale capitulum aliquae provinciae excipi, in quibus conventus antiqui in magna multitudine non habent etiam dictum numerum fratrum.

Ibidem ubi dicitur: totum sit irritum et inane, subiungatur: et possit in huiusmodi diminutis domibus ubique etiam in dictis provinciis fieri prior absque electione per provisionem superioris.

Ibidem: non fiant, addatur: nec permittantur fieri in domibus etc., et in fine versus: in ecclesiis tamen permitti possunt.

Ibidem: prohibemus districte etc. nisi per tria capitula fuerint approbata, quia hoc numquam servari videtur, mutetur et dicatur: de licentia magistri ordinis.

Ibidem: Statuatur aliquis frater discretus, maturus, securus, unus de numero patrum de consilio, qui sit principalis portarius, ita quod nullus possit esse portarius, nisi pater sit de consilio conventus. Hic

autem portarius numquam recedet ab ambitu portae, et omnibus pulsantibus responsa dabit patienter et benigne, et diligenter ea quae ad officium portarii pertinent, exequatur; habebit autem secularem, aut fratrem vel donatum vel tertii ordinis, qui vadat per conventum, cum missus fuerit a portario, et reliqua opportuna ad huiusmodi officium de mandato ipsius faciat.

Volumus autem, quod fiat cum maturo consilio peritorum in arte, considerato loco illo, in ligno vel alia materia, formula totius domus astruendae, quam non licet transgredi pro voluntate varia praesidentium, sed iuxta illam aedificetur. In domibus autem constitutis mandamus nullam fieri constructionem aut mutationem in fabrica, nisi de consilio et assensu eorum, quos super fabricam in qualibet natione a priore provinciali de consilio discretorum constitui mandamus. Oppositum autem praesumens facere, absolvatur in poenam, sic quod per triennium nec ibi nec alibi praesit.

In capitulo secundo de electione prioris ibi, alias nec eligi, exprimatur sic: nullus eligatur aut confirmetur in priorem, nisi sciens grammatice loqui absque falsa latinitate et ita instructus saltem in moralibus divinae scripturae, ut sciat competenter proponere verbum dei in dicto conventu. Et si secus factum fuerit in conventibus habentibus integrum numerum fratrum, confirmator absolvatur et per triennium omni officio ordinis sit privatus.

Ibidem addatur: Electiones seu postulationes in nostro ordine per scrutinium, si solum hoc servatum est, quod maior pars medietate consenserit ante publicationem scrutinii, possunt a confirmatore pro canonicis approbari. Et semper intelligatur confirmatorem supplere defectus electionis, qui eius subsunt potestati, quando sine clausula diminutiva confirmat electionem.

Ibidem: Fratres post quatuor annos, addatur: si tamen sunt constituti in sacris.

Ibidem: Si vero fuerint de alia provincia, dicatur sic: si vero de alia fuerint provincia, postquam per unum annum continuum in aliquo uno conventu assignati morati fuerint, admittantur ad electiones in illa provincia sicut alii. Et hoc si tam ad tempus quam si simpliciter ad alienam provinciam quis assignetur.

Ibidem: Nulli autem praesidenti ordinis liceat extra obedientiam etc., addatur: nisi ex ordine assumptis super socios eis deputatos.

Ibidem: fratres vero nostros etc. vel alias in minoribus etc., dicatur sic: fratres vero nostros tam in episcopatu praecise titulari vel [sine] ordinis licentia extra ordinem commorantes, quamdiu sic extra manent, super quos volumus, [ut] non solum magister ordinis, sed priores provinciales

et eorum vicarii possint potestatem concedere omnibus ecclesiasticis personis vel alias infra episcopatum constitutos, et quomodolibet beneficiatos vel exemptos ab ordine, exceptis magistro sacri palatii et poenitentiariis perpetuis domini papae, qui sequuntur curiam Romanam eorumque sociis, in nostris conventibus etc.

In capitulo tertio de electione prioris provincialis ibidem : Instante vero prioris provincialis electione etc., addatur in fine : nisi ipso priore petente vel ob causam criminis vel gravis scandali, vel in capitulo provinciali a diffinitorio illius, tunc post electionem prioris provincialis factam licet pendentem quoad confirmationem. Instare autem electionem prioris provincialis dicimus, quandocumque provincia non habuerit priorem provincialem absentem vel praesentem.

Ibidem : Ea quae acquisierunt tempore provincialatus etc., addatur : pro medietate provinciae et pro medietate ad conventum suum, cuius est filius, et subdatur : alia vero omnia sint conventuum suorum, quorum sunt filii. Et idem dicimus de bonis procuratoris ordinis.

In capitulo quinto de electione diffinitorum capituli generalis vel provincialis ibi : diffinitor et socius solum (qui) de suis provinciis, addatur, quarum sunt filii.

Ibidem ubi dicitur : socii autem priorum ad capitulum etc. de suis conventibus, addatur : in quibus sunt assignati.

In capitulo octavo de capitulo generali corrigatur sic : Capitulum generale una vice ultra montes, altera vice citra montes alternatim celebretur.

Ibidem autem post illum versum : magistris vero in sacra theologia etc. addatur : bachalariis, qui legitime incorporati in universitate sententias solemniter legunt aut legerint, post suppriorem ubique in toto ordine. Praedicatoribus vero generalibus in provincia sua post antiquiores patres quadraginta annos a professione habentes. Praedicatoribus autem per quadragesimam et per annum et similiter lectoribus theologiae post eos, qui triginta annos a professione habent, in illo conventu tantum locum damus.

In capitulo duodecimo de praedicatoribus : Statuimus, quod in qualibet provincia a praesidente et diffinitoribus instituantur aliqui viri docti et zelum religionis habentes, examinatores et approbatores omnium eorum praedicatorum et confessorum, quos non constat manifeste doctos esse, ita quod nullus talium nisi approbatus a duobus horum in scriptis vel declaratus a diffinitorio in scriptis sufficiens et idoneus ad praedicandum vel confessiones extraneorum audiendum, praedicet populo etiam in villulis aut audiat confessiones extraneorum sub poena carceris, et nihilominus praesidentes hoc permittentes ab officiis absolvantur. Distribuantur

autem aut mittantur huiusmodi examinatores per conventus sic, ut commode possint praesidentes scire, quibus officium praedicandi et confessiones audiendi committere possint.

Ibidem: nullus fiat praedicator generalis etc., mutetur et dicatur sic: nisi in provincia illa gloriose praedicet, ita quod saltem per tres quadragesimas cum bona gratia in aliqua civitate seu terra vel aliquibus bonis civitatibus seu terris praedicaverit.

In capitulo decimo tertio de itinerantibus ante illum versum: praecipimus autem etc., addatur: fratres nostros beneficiatos vel quomodolibet vel etiam habilitatos solummodo ad beneficia inhabiles reddimus ad praelationem seu superioritatem in ordine, seu etiam ad officium inquisitionis, inquantum pendet ex ordine. Nec aliquis illorum possit activam aut passivam vocem quomodolibet in ordine habere, nisi per annum ante beneficio et habilitatione legitime renunciaverit, ita quod renunciatio sit legitime accepta publico id instrumento attestante. Renunciatio autem cum regressu aut quacumque reservatione fructuum, nisi huiusmodi fructus mere et integraliter ad communem utilitatem conventus et non tantum alicuius particularis personae proveniant, non acceptetur nec alicuius momenti habeatur.

In capitulo decimo quarto de studentibus de bonis fratrum mutetur et dicatur sic: Bona fratris defuncti, quoad illa quae ab aliqua provincia vel conventu habuit, illius erunt; quae vero aliter acquisivit, sunt conventus cuius est filius, si in alio conventu non est assignatus simpliciter, sed ad tempus propter studium vel officium aliquod. Quae vero haereditario iure obvenerunt vel obveniunt, erunt conventus sui originalis, etiamsi alterius conventus factus sit filius. Si vero est assignatus in aliquo alio conventu simpliciter, ac pro tali ibidem praesentialiter receptus, et conventus ille consuevit, prout tenetur, providere talibus de toto victu, vestitu et aliis huiusmodi tam tempore sanitatis quam infirmitatis, dividantur haec aliter, acquisita mobilia aequis proportionibus inter conventum, in quo est assignatus, et conventum, cuius est filius, alioquin tertia pars tantum erit conventus, in quo est simpliciter assignatus. Immobilia vero non haereditaria successione obvenientia semper erunt conventus, cuius est filius.

Ibidem: Nec aliquis habilitetur aut assignetur in aliqua universitate ad legendum pro forma et gradu magisterii in theologia etc., subsequatur sic: nisi lectionibus et disputationibus praeviis hoc promerentibus, ita manifeste constiterit magistro ordinis vel generali capitulo de sufficientia ad legendum sententias, assignetur sibi lectio aliqua in sententiis solemniter in crastino exponenda coram deputatis iudicibus, cum quatuor ad minus conclusionibus ex singulis libris sententiarum sigillatim sumptis

eodem vel sequenti immediate die sustinendis coram deputatis similiter iudicibus, argumenta contra conclusiones ipsis iudicibus vel aliis viris doctis prosequentibus.

Similiter nullus fiat magister in theologia, nisi sit sufficiens ad hoc, quod sit regens in aliquo studio generali, ubi viget in veritate studium theologiae, ita quod si daretur in regentem tunc aliquorum praedictorum studiorum, secundum commune iudicium libenter reciperetur, quantum est ex parte sufficientiae ad officium regentiae illius. Iudicetur autem haec sufficientia, nisi sit manifesta, per examinatores deputatos disputationibus et lectionibus theologiae per unum solum diem, ante assignatis punctis et conclusionibus. Praecipimus autem in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae omnibus pro tempore deputandis iudicibus examinatoribus tam in promotione baccalariorum quam magistrorum in theologia, ut omni fraude remota secundum deum in veritate iudicent, referant, officiaque sua agant, et iudicium, resoluta relatio ad iudicem deputantem erit: est vel non est iudicio nostro sufficiens ad legendum sententias solemniter, vel ad hoc quod sit regens in aliquo studio generali, ubi viget in veritate studium theologiae. Et nihilominus per suae provinciae provinciale capitulum vel illius diffinitionem sit expositus, et a magistro ordinis vel generali capitulo tantum assignari vel licentiari possit. Si quis autem absque dictae provinciae iudicio bachalariatus vel magisterii in theologia gradum, etiamsi per licentiam magistri vel generalis capituli assecutus fuerit, pro non bachalario vel magistro habeatur in nostro ordine in omnibus et per omnia, dantes facultatem cuilibet diffinitorio, ut constito notorie de insufficientia promoti sibi subditi absque iudicio vel examine suae sufficientiae hoc statuto declarent ipsum pro non promoto in universo ordine habendum.

Item. Statuimus, quod si quis in nefando crimine concubitus contra naturam, homicidii vel propinati etiam effectu non subsecuto veneni commiserit, perpetuo carceri sit addictus, a quo nec per magistrum ordinis nec per capitulum generale ante annos viginti quinque liberari possit; et nihilominus poenis aliis puniatur secundum praelati dispositionem.

Item. Nullus ordinetur in subdiaconum, nisi sciat grammaticam, ita quod loqui et scribere latine sciat absque falsa latinitate. Et si est subdiaconus non fiat diaconus; et si est diaconus non fiat sacerdos. Praelatus autem exponens aliquem aliter, absolvatur in poenam ab officio et per triennium sit ab omni officio ordinis privatus.

Constitutiones autem ordinis infra notatas volumus mature discuti et discerni in singulis capitulis provinciarum et congregationum, praecelebratis

---

32) dispositionem] discretionem S.

in singulis conventibus consiliis, et annotare, an expediat mutare maius vel minus, vel relinquere eas, ut stant. Hortamur autem omnes et rogamus in domino Iesu Christo, ut in statera iudicii ponant, quid expediat magis paci et profectui interiori religionis, studii et predicationis, et hoc praeponent incommodis corporis et exteriorum rerum et apparentiae. Sunt autem constitutiones quatuordecim infraescriptae :

De ieiunio sanctae crucis.
De carnibus non comedendis.
De non equitando.
De expensis non portandis.
De possessionibus non habendis.
De perpetuo silentio.
De capitulo quotidiano.
De silentio mensae.
De tempore rasurae.
De electione diffinitorum capituli generalis in anno ultimo.
De capitulo provinciali singulis annis.
De electione magistri imminente biennali.
De unitate campanae.
De uniformi habitu et tonsura conversorum sine corona tamen.

Non enim intendimus aliquid immutare nisi de consensu patrum et fratrum, qui quae sursum sunt sapiunt, et non quae super terram, et cum pace totius ordinis.

Istae sunt confirmationes.

Confirmamus hanc, quod inchoationes, quae fiunt in capitulis generalibus non mandentur executioni, usquequo approbatae fuerint per alia duo capitula et factae sint constitutiones, nisi forte eadem inchoatio fiat per modum ordinationis. Et haec habet duo capitula.

Confirmamus hanc, quod nec magister ordinis nec aliquis prior provincialis aut quovis modo praesidens in nostro ordine aliquid accipiat directe vel indirecte, etiam sponte oblatum a quacumque persona sive praelata sive subdita praetextu literarum, sigilli, registri, confirmationis, et universaliter, cuiuscumque gratiae aut iustitiae concessae aut concedendae, sed quilibet sit communibus contributionibus contentus et visitationibus. Priores autem provinciales et alii inferiores contrafacientes in poenam absolvantur ab officiis suis indispensabiliter. Magister autem ordinis si in hoc excesserit, a diffinitoribus generalis capituli corrigatur, et si obstinate restiterit, deponatur. Et quoniam reverendissimus magister sua spontanea voluntate statim post electionem suam declaravit se hoc velle omnino a se et a suis observari, ordinamus, ut ex nunc a reliquis observetur sub poenis supradictis. Et haec habet duo capitula.

Confirmamus hanc, quod tam in constitutionibus quam extra quicquid non secundum se mortale mandatur sub quacumque poena nisi excommunicationis, ad solam poenam obliget, non obstante quod in capitulo de graviori culpa dicatur, ut qui membrum diaboli culpam perpetrando non erubuit fieri. Et hoc ex nunc volumus sic intelligi extra constitutiones. Et haec habet duo capitula.

Istae sunt ordinationes.

Mandamus universis praesidentibus provinciarum, congregationum et conventuum sub poena absolutionis ab officio et gravioris culpae, ut nullum fratrem mittant ad curiam Romanam mansurum ibidem plus quam per mensem absque socio. Et si quem iam miserunt, teneantur infra mensem a notitia praesentium sub eadem poena providere illi de socio.

Mandamus universis fratribus, ut reverentiam debitam sacramento sanguinis domini nostri Iesu Christi exhibeant in missis, ut scilicet ante abstersionem oris et ablutionem digitorum sumant ablutionem calicis cum vino et deinde abluant digitos etc. Et ut hoc servetur inviolabiliter, praelati hoc publicent et per visitatores puniantur graviter contrafacientes.

Ordinamus, quod quilibet ordinatus habeat litteras testimoniales vel ab episcopo ordinante vel a praesidente loci, ubi est ordinatus cum subscriptis testibus, qui ordinationi interfuerunt. Quod si non fecerint, non permittantur exequi in susceptis ordinibus.

Mandamus districte sub poena absolutionis ab officio praesidentibus conventuum, ut vigilent ad hoc, ut nec ipsi nec alii audiant confessiones extraneorum nisi praesentati episcopis locorum, et sciant casus reservatos, qui in aliqua cedula in sacristia vel in alio loco patenti conscripti affigantur, et sint sufficienter instructi in casibus conscientiae habentes libros aliquos de tali materia. Et ut hoc inviolabiliter observetur, provinciales, vicarii et visitatores examinent per se vel per alios in domibus ad eos spectantibus omnes, quos non constat manifeste esse doctos in casibus conscientiae, etiam si sint docti in aliis; negligentes autem in hoc ab officio absolvantur etiam in poenam.

Ordinamus et mandamus, ut visitantes conventus inquirant diligenter et provideant, ut cum effectu serventur munda et nitida ea quae ad altaris ministerium pertinent, docentes minus doctos ea quae sub praecepto debent servari munda, scilicet oratoria, vasa, pallae altaris, corporalia, vestimenta iuxta cap. ult. ext. de custodia eucharistiae; concedentes visitatoribus alias impotentibus potestatem absolvendi priores et alios officiales, quorum negligentia haec non serventur, ut decet; inquirant quoque et provideant, ut in ieiuniis ecclesiae conventus omnis ita provideat fratribus in refectorio de cibo hora prandii, ut omnes possint ieiunare et

ieiunent; nullique in huiusmodi ieiuniorum tempore panis quasi ad coenandum detur in sero, sed tantum in communi potus cum aliquo comestibili per modum medicinae, ne potus gravet stomachum; alioquin priores absolvantur et fratres non ieiunantes absque legitima causa et licentia sunt voce activa et passiva privati tot annis quot dies violaverunt. Inquirant quoque de confessoribus etiam fratrum, qui et quam idonei sunt instituti a priore, ne fratres tam morantes in conventu quam hospites confiteantur, cui voluerint.

Reformationi ordinis operam dare volentes cum effectu mandamus provincialibus prioribus et reliquis praesidentibus provinciarum, congregationum et nationum sub poena absolutionis ab officio suo, ut in quolibet conventu iuxta constitutiones praeter priorem sit lector, et in communi provideatur de cibo et potu in refectorio, non solum de pane et vino. Et ubi non est facultas vestiendi fratres de omnibus, uti debet fieri, donec conventus ad vitam simpliciter regularem deducatur, teneatur quilibet conventus singulis annis ad exponendum pro quolibet hebdomadario et iuvene ac converso non habente aliunde, unde se vestiat, duos aureos ultra calceorum et aliorum huiusmodi provisionem, quae omnino dare debent in vestitu, scilicet cappa, scapulari, tunica, subtunica vel tunicellis; ita tamen quod non assignentur ii duo aurei fratri in pecuniis, sed in solutione panni illi fratri opportuni; nec provisio haec vestimentorum in alios convertatur usus; lucra autem missarum ad communitatem conventus pertineant; et quod omissis omnibus serviatur infirmis decumbentibus de communibus bonis conventus omni excusatione remota, non minus quam priori decumbenti provideri deberet. Et contra fratres suspectos de aliqua familiaritate secundum constitutiones monendo, praecipiendo, puniendo etc., et quod frater nullus solus per civitatem vadat; nec vestes adeo lungas habeat, ut tangant terram; nec cum biretis extra conventum incedant; nec caligas nec diploides nisi albi coloris et de panno habeant. Priores autem, magistri aut patres, qui huic sanctae reformationi resistere ausi fuerint, tamquam destructores nostri ordinis omnibus gratiis ordinis, cum legitime constiterit, nisi resipiscant, priventur per eorum visitatores vel superiores.

Ordinamus, quod fratres fugitivos, qui scilicet sine licentia legitima, hoc est prioris provincialis vel vicarii congregationis de sua congregatione seu provincia recesserint, nullus audeat ultra triduum retinere absque speciali licentia magistri ordinis in posterum concedenda. Si quis autem acceptare in suo conventu, provincia vel congregatione praesumpserit, a suo officio provincialatus, vicariatus seu prioratus absolvatur ipso facto. Revocantes omnem potestatem cuicumque concessam oppositum faciendi; volumus enim huiusmodi fugitivos ad suam provinciam

seu congregationem redire et petere veniam ac puniri iuxta provinciae vel congregationis morem.

Ordinamus, quod suadens alicui fratri fugam ex carcere aut etiam quomodolibet adiuvans ad hoc sit ipso facto privatus voce activa et passiva et poenae gravioris culpae subiaceat per dies decem infra mensem adimplendae. Frangens autem seram propterea carceri per tres menses deputetur, ita quod elapsis tribus mensibus poterit a praelato liberari. Mandamus universis praesidentibus provinciarum ac congregationum, ut per se vel per alios inquirant diligenter per terminos suos, si qui sint fratres extra ordinem absque legitima licentia, et eos voluntarios seu invitos, cum prudentia tamen et charitate, ad ordinem reducant. Volentes, ut fratres extra ordinem quomodolibet etiam cum licentia apostolicae sedis existentes subsint correctioni, punitioni et potestati praelatorum; nec detur de novo alicui licentia standi extra ordinem. His qui extra ordinem assueti sunt stare, si expediens visum fuerit, permittimus, ut confirmetur licentia.

Ordinamus et sub poena privationis omnis officii per triennium mandamus universis prioribus provincialibus et vicariis generalibus ac quibuscumque inferioribus, ut nullum fratrem extra provinciam seu congregationem suam eiiciant tam cum litteris dimissoriis ad magistrum ordinis quam sine litteris; sed si frater incorrigibilis est, exutus legitime habitu extra ordinem eiiciatur; si autem hoc non meretur, toleretur et corrigatur ab ipsa sua provincia; revocantes per praesentes omnes facultates in contrarium concessas cuicumque praesidenti, congregationi vel provinciae. Volentes et declarantes clausulas et facultates appositas et apponendas in litteris confirmationis cuiuscumque non se extendere ad hoc. Similiter nullus prior provincialis audeat eiicere aliquem fratrem ex conventu, sed si aliquis sit, qui non expediat conventui, consulatur prius superior et expectetur illius mandatum.

Mandamus, quod magistri etiam cum licentia ordinis promoti, qui sunt adeo insufficientes, ut non sint tolerabiles in magisterio theologiae, pro non magistris in ordine habeantur in omnibus et per omnia. Bachalarii quoque, etiam cum licentia ordinis incorporati in universitate quacumque, qui adeo ignorantes sint, ut numquam sciverint legere sententias pro non bachalariis habeantur in ordine in omnibus et per omnia. Praedicatores quoque generales, qui non iuxta tenorem constitutionum nostrarum in capitulo de praedicatoribus instituti sunt, et similiter numerum conventuum excedentes iuxta tenorem constitutionum pro non praedicatoribus habeantur. Hoc autem dicimus de his, qui iam pro magistris, bachalariis, praedicatoribus generalibus sunt acceptati in ordine; illos siquidem qui semel a praelatis ordinis refutati sunt, semper pro

refutatis habemus; adiicientes, quod huiusmodi refutatos nullus prior provincialis aut conventualis aut vicarius audeat admittere ad exemptiones vel loca, tamquam si essent promoti; sed ac si non essent promoti, sicut non sunt in veritate, quoad nostrum ordinem tractentur in omnibus et per omnia sub poena absolutionis ab officio, quam ipso facto incurrant.

Et quia est parum iura condere, nisi sint, qui executioni iura demandent, mandamus prioribus [provincialibus] et vicariis congregationum, ut intra mensem a notitia praesentium instituant de consilio discretorum quatuor examinatores praedictorum magistrorum, bachalariorum et praedicatorum acceptorum ab ordine ut supra.

Mandamus etiam praesidenti et fratribus conventus Lubicensis, ut reformationem sine esu carnium, quam assumpserant, reassumant.

Mandamus universis studentibus in theologia ubique, ut ad lectiones sententiarum bachalariorum accedant.

Mandamus universis et specialiter praesidentibus ac magistris, ut videant diligenter constitutiones et acta capitulorum; nullum enim excusat ignorantia iuris, quod scrire tenetur; propter quod mandamus sub pena absolutionis praesidentibus provinciarum, congregationum et conventuum, ut habeant acta praesentis capituli et communicent omnibus fratribus, et in conventibus magnis acta capitulorum generalium conscribantur et in communi habeantur.

Quia iuxta locorum, temporum diversitatem decet diversimode hominem se habere ad exteriora etiam pietatis opera, nec est aequum famam innocentium et praesertim communitatis laedi, ut membro uni succurratur, idcirco nolumus priorem provincialem et patres provinciae Theutoniae assumere in se onus solvendi dominis Bernensibus praetensas expensas, quas petunt occasione casus illius miserabilis, qui elapsis annis apud Bernenses successisse dicitur, sed cura solvendi relinquatur illis, quorum interest solvere, non obstante reverendissimi magistri litteris, quibus credebatur pie consultum esse, vel sic redimendam esse vexationem nostram (1).

Monemus patres provinciarum, ut sic provideant venturis ad sequens capitulum generale, ut et contributiones debitae reverendissimo magistro ac reverendo procuratori integre persolvantur, ut debitis communibus totius ordinis satisfacere possint.

Ordinamus, quod praedicatoribus in vita regulari nullum stipen-

(1) Agitur hic de causa illa famosa Ioannis Ietzer, de qua cf. PAULUS, N. *Ein Iustizmord an vier Dominicanern begangen. Actenmässige Revision des Berner Ietzerprocesses vom Iahre 1509.* Frankfurter zeitgemässe Broschüren. Bd. XVIII. 3. 1897.

dium detur; provideatur tamen eis secundum discretionem praelati et eorum necessitatem.

Ordinamus, quod conventus exempti a prioribus provincialibus solvant pro rata sua expensas diffinitorum euntium ad capitulum generale, quia generale capitulum commune est omnibus; nec aliquis presumat contradicere.

Mandamus praesidentibus et prioribus conventuum exemptorum a prioribus provincialibus, ut solitas contributiones eisdem persolvant; concedentes prioribus provincialibus pro tempore potestatem, ut post elapsum tempus solutionis possint dictorum conventuum praesidentes ac patres compellere, et per praeceptum et per poenae gravioris culpae comminationem, condemnationem ac declarationem. Volentes, quod si quis inobediens in hoc eisdem declaratus propterea fuerit ab eis incidisse in poenam gravioris culpae, a solo reverendissimo magistro restitui possit; revocantes omnem gratiam cuicumque in oppositum concessam cum quibuscumque etiam inexcogitabilibus clausulis, declarantes hanc nostram esse deliberatam voluntatem.

Mandamus priori et lectori sanctae Mariae Novellae de Florentia pro tempore, ut pecunias legatas a bonae memoriae reverendissimo domino Matthaeo de Ursinis cardinali conventibus certis et monasteriis monialium, illis conventibus provinciae Romanae distribuant tempore debito, et nulli alteri assignent, non obstante quacumque consuetudine aut ordinatione cuiuscumque capituli provincialis aut etiam cuiuscumque magistri ordinis. Volumus enim testamentum ipsum pure et fideliter executioni mandari.

Praecipimus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae et sub poena gravioris culpae, quam ipso facto contrafaciendo incurrant, reverendissimo (!) provinciali Franciae vicarioque congregationis Hollandiae, singulisque dictarum provinciae et congregationis ac eorum procuratoribus in causa Pissiacensi, ut quantum in se non litigent in hac causa coram curia saeculari. Et si forte lis pendet coram saeculari curia seu iudice, cessent ab huiusmodi lite vel iudices ex ordine eligant, qui nostra auctoritate, quam per praesentes eis concedimus, iudicent vel a reverendissimo iudicium aut iudices ordinis suscipiant non suspectos (1).

Istae sunt declarationes.

Declaramus, quod sicut memoria in die octava beati Andreae non omittitur, quamvis veniat in ea festum duplex vel totum duplex, ita nec memoriae aliarum octavarum in die octava omitti debent propter festum duplex vel maius, excepto festo ascensionis domini.

---

(1) Cf. supra pag. 67.

Declaramus, quod si contingeret alienae provinciae provincialem priorem in refectorio comedere absente praesidente provinciae, prior conventus debet ei dare locum nolae, cum ille non sit locus iudicii, sed dignitatis, ut et abbatibus et episcopis datur.

Declaramus et volumus, quod poenae extra constitutiones appositae ipso facto incurrendae, nisi sint excommunicationis, exigant declarationem superioris in particulari, nisi ipsemet reum seipsum declaret, quod facere debet humiliter recognoscens errorem suum, si factum est publicum vel notorium, si enim ipse se declaraverit, alia non est opus declaratione.

Declaramus, quod si quis frater inventus fuerit pecunias vel alia bona temporalia habere cum communi admiratione fratrum, unde habeat, quia scilicet nulla communiter creditur subesse legitima causa acquisitionis, potest et debet contra talem procedi, primo inquirendo per praeceptum in scriptis coram patribus, unde habeat, et accepto responso in scriptis, nisi satisfaciat, inquiratur veritas. Et volumus, quod si mendax convincitur, privetur illis bonis et voce activa et passiva per triennium ac in carcere per mensem puniatur; ita quod elapso mense in carcere, nulla restet ex carcere nota aut poena.

Declaramus, quod in capitulo generali provinciales loca habeant secundum ordinem provinciarum, ita quod provincia Hispaniae teneat primum locum et Franciae secundum (1) et sic deinceps. Inter priores tamen provinciales qui non diffiniunt, si in hoc loco capituli se invenerint, primum locum tenebit provincialis illius provinciae, in qua fit capitulum.

Declaramus, quod festum beati Remigii et Leodegarii debent notari perpetuo sic, quod in die octavo octobris notetur festum Remigii et in die undecimo Leodegarii.

Declaramus, quod ex assignatione fratrum in biblicos in Italia nullus possit incorporari in aliqua universitate.

Declaramus, quod propter renuntiationes vocis in electionibus nullus frater est inhabilis, ut eligatur aut confirmetur, sed obiectio ista ex arbitrio pendere debet confirmatoris, cuius interest considerare, qua ratione quis renuntiat.

Declaramus, quod sufficientia magistrorum in theologia est, ut sit sufficiens ad hoc, quod sit regens cum effectu in aliquo studio generali, ubi viget in veritate studium theologiae, ita quod non sit locus querelae

21) et Franciae secundum *om.* S.

(1) « Id hactenus inauditum et numquam executioni mandatum. Secundum enim locum semper et post et ante hoc capitulum sibi vindicavit provincia Tholosana. Forte irrepsit ille error, quia non aderant diffinitores neque Tholosanae neque Franciae »; *ita* ECHARDUS *in marg. cod. 1529.*

studiis generalibus, si eis provideatur de tali in regentem. Sufficientia autem bachalariorum in theologia est, ut sciant solemniter legere libros sententiarum in dictis studiis.

Declaramus, quod examinatores promotorum in praesentibus actis, qui non sunt hic examinati, extra Italiam deputandi sunt a reverendis provincialibus aut a reverendissimo magistro.

Declaramus, quod secundum constitutiones cursus suos perfecisse dicitur, qui postquam est incorporatus in universitate, per quatuor annos omnes actus scholasticos in illa perfecerit, et legerit omnes libros sententiarum et unum librum in biblia.

Declaramus et volumus, quod nullus prior conventualis possit exponere fratres ad suscipiendos ordines nisi in suis conventibus assignatos ; similiter nec prior provincialis aut vicarius possit exponere fratres ad suscipiendos ordines, nisi sint aut de sua provincia, congregatione vel natione vel cum legitima licentia in sua provincia, congregatione vel natione assignati ; contrafacientes autem, praesidentes quidem omni officio ordinis per triennium sint privati, subditi autem sciant se esse suspensos iuxta constitutionem Pii papae secundi, sicut et illi qui ante legitimam aetatem sunt ordinati, et praeter hoc poenae gravioris culpae subiaceant. Et haec eadem dicimus de praedicatoribus, qui praesumunt socios suos mittere ad ordines suscipiendos et de ipsis sic suscipientibus ordines.

Declaramus et volumus, quod non detur fides novis rubricis in breviariis impressis et imprimendis contentis nisi ex capitulo generali extractis, et quod in festis visitationis et praesentationis beatae virginis fiat officium nativitatis eiusdem mutatis vocabulis.

Sequuntur denuntiationes.

Denuntiamus, reverendissimum magistrum voluntatem suam, qua voluit apostolica sibi auctoritate concessa personas ordinis confessionalibus vel indulgentiae litteris etiam per sanctam sedem emissis vel emittendis gaudere non posse quoad absolutionem a casibus per praelatos suos reservatis sine sua expressa licentia petita et obtenta, restringere tenore praesentium ad fratres in conventibus seu non extra ordinem manentes, ita tamen quod de licentia priorum provincialium, vicariorum generalium aut nationum liceat omnibus uti praedictis.

Etiam denuntiat reverendissimus magister sanctissimum dominum nostrum Leonem papam decimum suis supplicationibus inclinatum concessisse oraculo vivae vocis, quod non tenemur servare interdictum generale, quod non servat mater ecclesia, nisi ordo noster seu nos fuerimus in specie nominati, et hoc in foro conscientiae.

Denuntiat quoque reverendissimus magister eundem sanctissimum

dominum nostrum eiusdem supplicationibus inclinatum concessisse oraculo vivae vocis, quod electiones per scrutinium in ordine nostro confirmatori praesentatas possit confirmator habere pro canonicis, si hoc solum servatum sit, scilicet quod maior pars capituli ante publicationem scrutinii aliquem elegerit, et hoc in foro conscientiae.

Denuntiamus reverendissimum magistrum alleviare ordinem a litaniis, quas sua reverendissima paternitas imposuit.

Denuntiamus universis nostri ordinis fratribus, ut si eis videbitur, poterit secundum tenorem constitutionum a provinciis peti capitulum generalissimum propter supra notata de constitutionibus, et petitiones in sequenti capitulo offerri, in quo etiam petitiones congregationum admitti volumus.

Denuntiamus universis, quod per reverendissimum magistrum et omnes reverendos diffinitores unanimiter dispensatum est, quod conventus qui habuerunt quandoque integrum numerum fratrum secundum constitutiones, admittantur ad electionem provincialis et capitulum provinciale quoad priores tantum; conventus autem, qui numquam integrum numerum assignatorum fratrum habuerunt, in nullo admittantur. Et haec dispensatio facta est, usquequo constitutio facta fuerit super hoc.

Denuntiamus, quod inter casus reservatos sedi apostolicae in mari magno annumerandus est quintus casus videlicet conspirationis in Romanum pontificem, et hoc auctoritate felicis recordationis Iulii papae secundi.

Denuntiamus ab omnibus acceptatum esse unanimiter breve felicis recordationis Iulii secundi infrascripti tenoris:

Iulius papa secundus. Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. Exposuisti nobis, quod in ordine praedicatorum tuae curae commisso quandoque pax turbatur et regularis vita impeditur ob appellationes vel absolutiones ab officiis vel exemptionem a iurisdictione priorum provincialium, quodque providere dignaremur de benignitate apostolica, humiliter supplicasti. Nos attendentes, quod non solum religionis communi rationi, sed dicti ordinis propriis statutis appellationes dissonant, tuis in hac parte supplicationibus inclinati auctoritate apostolica tenore praesentium statuimus, ut, si quis frater dicti ordinis aut soror sub cura et habitu eiusdem absolutionem ab officio prioratus provincialis vel conventualis vel monasterii a quocumque superiore dicti ordinis habente potestatem absolutionem huiusmodi faciendi factam vel faciendam appellavit, etiam praetextu gravaminis aut appellationis huiusmodi quocumque nomine interpositae inhaeserit, sit ipso facto absque alia declaratione absolutus aut absoluta ab huiusmodi officio, pro quo appellatum est. Et pro augmento vitae regularis volumus et declaramus, quod magister generalis pro tempore possit in favorem regularis vitae eximere

non solum conventus fratrum a cura et iurisdictione priorum provincialium, sed etiam monasteria sororum sub cura et habitu eiusdem ordinis et collegia ac personas quascumque tertii habitus, quamvis secundum constitutiones dicti ordinis tam fratrum quam sororum et statuta ac privilegia apostolica, fundationesque monasteriorum nonnullorum specialiter cautum sit, ut provincialibus subsint. Statuimus nihilominus et decrevimus omnes appellationes ab exemptionibus huiusmodi interponendas nullius eius roboris. In contrarium facientibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis dicti ordinis iuramento vel quavis alia firmitate roboratis, consuetudinibus, privilegiis in specie vel genere quibusvis, quavis auctoritate concessis et in futuro concedendis cum clausulis derogatoriis fortioribus et insolitis, etiam si de his eorumque tenoribus specialiter individua et expressa de verbo ad verbum non per clausulas id importantes esset mentio habenda, aliisque non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die quarta novembris anno 1511, pontificatus nostri anno octavo.

Sic signatum: Sigismundus. *A tergo:* Dilecto filio Thomae de Vio Caietano magistro generali ordinis praedicatorum.

Et bene notent omnes, quod ad incurrendas contentas hic poenas absolutionis non requiritur declaratio, ut sic voluit summus pontifex.

Istae sunt approbationes.

Approbamus litteras reverendissimi magistri ordinis, per quas ordinavit in conventu Parisiensi, quod de cetero nullus habeat vocem in electione prioris et socii aut scrutinio de retentione aut absolutione prioris nisi solum fratres de congregatione Hollandiae illic legitime assignati, tres antiquiores studentes in studio de provincia Franciae ex conventibus provinciali subiectis, antiquior regens, duo antiquiores bachalarii in cursu, magister studentium pro tempore, et fratres pro rata provinciarum assignati, si ultra annum illic fuerint; alii vero tam studentes quam iuvenes recipiantur cum privilegiis studentium, unusquisque in gradu suo, et in aliis censeantur assignati; sed significetur eis, quod vocem praedicto modo non habebunt, et si nolunt acceptare, conventus non teneatur eos recipere, et iniungatur vicario pro tempore eiusdem congregationis vel eius substituto in meritum obedientiae, ne confirment aliquem electum in priorem illius conventus, qui non sit de illa congregatione vel ad decem annos continuos in ea moram fecerit, et qui non ad minus fuerit triennio prior in alio conventu, sed huiusmodi electiones cassare poterit et fratres ad ius eligendi restituere, quousque alius rite sit electus, ita quod socius conventus ad capitula eligatur secundum modum in constitutionibus expressum, alias non socius habeatur.

Item. Quod nullus sit de consilio illius conventus, nisi quos reve-

rendus vicarius generalis dictae congregationis cum consilio discretorum ad hoc ordinaverit, et antiquior regens, et duo bachalarii antiquiores in cursu, et magister studentium pro tempore.

Item. Quod regentes et praesidentes habentes auctoritatem a quocumque magistro ordinis assignandi fratres pro lectura sententiarum et bibliae in casu defectus, nullum possint assignare de congregatione, nisi secundum morem congregationis et indulta apostolica illi concessa sit admissus, et si secus factum fuerit, assignatio sit nulla, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Et haec omnia quatenus opus est, de novo ordinamus et observari inviolabiliter volumus omni appellatione semota.

Approbamus acceptationem conventus sanctae Mariae de Gibello provinciae sancti Petri Martiris factam per reverendissimum magistrum auctoritate apostolica.

Approbamus studium generale in conventu Budensi provinciae Ungariae.

Approbamus translationem conventus Saratsanae de provincia Romana ad provinciam sancti Petri Martiris.

Approbamus ordinationem reverendissimi magistri Hervaei Natalis generalis magistri ordinis factam in provincia Saxoniae anno ·MCCCXXII· infrascripti tenoris: Nullus fratrum provinciae Saxoniae extra provinciam pro studente generali [assignetur], nisi iuvenibus legerit artes ad minus per tres annos aut in aliquo conventuum provinciae per triennium theologiam audierit, et postquam de studio generali redierit, ante lectoratum in aliquo particulari studio sententias legat.

Approbamus monitorium factum a reverendissimo magistro generali ordinis conventui sanctae Mariae Novellae de Florentia, ut scilicet infra totum mensem septembris reforment se vere et stabiliter in tribus votis essentialibus et ceremonialibus; inprimis ut omnibus redditibus particularibus renuntient, qui applicentur communitati conventus; ut officialibus non detur stipendium, sed obediendi solum studio serviant fratribus suis; ut omnes nisi infirmi sint, in communi refectorio et de communi cellario reficiantur, permisso eis dispensative usu carnium tribus diebus in hebdomada; ut omnia lucra et eleemosynae undecumque proveniant in communi redigantur; ut omnibus sanis et infirmis de necessariis a conventu provideatur; ut strictam servent clausuram conventus; ut omnem familiaritatem et commercium cum quibuscumque monialibus dimittant, nec monasteria accedant, nec litteras vel munera dent vel accipiant; quod in aliis caerimoniis in ecclesia et alibi regulent vitam suam secundum regulam et constitutiones, alioquin nisi paruerint efficaciter, tradetur conventus alicui congregationi per eam reformandus.

Approbamus reformationem monasterii sororum in Posnania provinciae Poloniae, declarantes eas subesse vicario generali conventus Wratislaviensis illius provinciae et illius privilegiis gaudere.

Approbamus translationes fratris Hieronymi de Monopoli (1) magistri et diffinitoris praesentis capituli de conventu Monopoli sanctae Mariae provinciae regni Siciliae ad conventum sanctorum Ioannis et Pauli de Venetiis provinciae sancti Dominici.

Fratris Matthaei de Parma de conventu Parmensi ad conventum sancti Dominici de Ferraria.

Fratris Bernardini de Lignaco de Padua (2) de conventu Portuensi ad conventum s. Augustini de Padua provinciae sancti Dominici.

Fratris Matthaei de Petralata de conventu Tabiensi ad conventum Albinganensem provinciae sancti Petri martiris.

Fratris Andreae de Voragine (3) magistri de conventu Voraginis ad conventum Pinaroli provinciae sancti Petri martiris.

Fratris Gabrielis Torrent a conventu Coquiliberi ad conventum Barchinonensem provinciae Aragoniae.

Fratris Hieronymi de Montenegro de provincia Hispaniae ad domum de Ghotor (4) provinciae Aragoniae.

Fratris Hieronymi de Sebenico ex provincia Dalmatiae et fratris Simpliciani conversi de congregatione Lombardiae ad conventum sanctorum Ioannis et Pauli de Venetiis provinciae s. Dominici.

Approbamus magisteria fr. Valentini Leonini (5) conventus Ebroicensis, fr. Iacobi Huberti (6)Cathalanensis, fr. Petri Bruxellensis (7) Parisiensis, fr. Guillelmi Gobillon Trecensis, fr. Hervei Claudi (8) Montisrelaxensis, fr. Ioannis Ansoult (9) conventus Parisiensis, promotorum Parisiensium et omnium provinciae Franciae, reverendi patris fratris Vincentii de Ca-

---

16) fratris — Aragoniae *ante* fr. Hieronymi *om.* S. — 20) fratris — Dominici *om.* PR. — 23) fr. Valentini — capituli *om.* S.

---

(1) De fr. Hieronymo de Monopoli cf. supra pag. 93.

(2) De fr. Bernardino de Liniaco cf. l. c. pag. 54.

(3) De fr. Andrea de Voragine cf. l. c. pag. 88.

(4) Unde corrigas *Analecta* I, 61, ubi falso conventus Gotorensis anno 1520 fundatus esse dicitur.

(5) De fr. Valentino Leonini cf. supra pag. 68.

(6) De fr. Iacobo Huberti cf. l. c.

(7) De fr. Petro Bruxellen. cf. l. c. pag. 49.

(8) De fr. Hervaeo Claudi cf. l. c. pag. 69.

(9) De fr. Ioanne Ansoult cf. MOPH. VIII, 361.

tharo (1) provincialis Dalmatiae, fr. Gasparis Ebrardi (2) diffinitoris praesentis capituli, reverendi patris fr. Cornelii de Snekis (3) vicarii generalis congregationis Hollandiae, fr. Vincentii de Vicentia (4) conventus Vicentini congregationis Lombardiae, rev. fr. Ioannis Fabri (5) vicarii generalis congregationis Theutoniae, fr. Sebastiani de Ast (6), fr. Ioannis Mariae de Alexandria (7), fr. Ioachimi de Papia (8), fr. Andreae de Voragine (9), fr. Ioannis de Cherio (10), fr. Benedicti de Saviliano (11), omnes provinciae s. Petri Martyris.

Item approbata sunt magisteria 26 aliorum magistrorum diversarum provinciarum.

Item approbatae sunt lecturae 5 bacchalaureorum et licentiati sunt.

Reprobamus magisteria omnium promotorum sine licentia generalis capituli et reverendissimi magistri ordinis, nisi postmodum fuerint approbata, ita quod pro non magistris eos haberi volumus in omnibus et per omnia. Mandantes sub poena absolutionis ipso facto omnibus praesidentibus provinciarum, congregationum ac conventuum, ut pro non magistris eos in omnibus et per omnia habeant, et ultra hoc priventur omnibus gratiis ordinis ac reducantur ad faciendam hebdomadariam et hoc in poenam suae praesumptionis.

Istae sunt translationes.

In primis transferimus fr. Angelum de Saviliano (12) magistrum de conventu Salutiarum ad conventum Saviliani provinciae s. Petri Martyris; fr. Dominicum de Trivisio de conventu Suapii provinciae s. Dominici; fr. Urbanum de conventu Lignicensi provinciae Poloniae ad conventum Iablonensem provinciae Bohemiae; fr. Georgium Rache de conventu Culmensi ad conventum Gedanensem provinciae Poloniae; fr. Tho-

3) fr. Vincentii — licentiati sunt *om.* PR. — 12) reprobamus — praesumptionis *om.* S. — 20) istae — Ungariae *om.* PR.

(1) De fr. Vincentio de Catharo cf. supra pag. 89.
(2) De fr. Gaspare Eberardi cf. l. c. pag. 93.
(3) De fr. Cornelio de Snekis cf. SSOP. II, 82.
(4) De fr. Vincentio de Vicentia cf. supra pag. 90.
(5) De fr. Ioanne Fabri cf. l. c. pag. 68; Paulus N., *Der Dominikaner Iohann Faber und sein Gutachten über Luther.* Hist. polit. Blätter Bd. XVII. 1896 pag. 39-60.
(6) De fr. Sebastiano de Ast cf. supra pag. 88.
(7) De fr. Ioanne Maria de Alexandria cf. l. c. 55.
(8) De fr. Ioachimo de Papia cf. l. c. pag. 88.
(9) De fr. Andrea de Voragine cf. l. c. pag. 116.
(10) De fr. Ioanne de Cherio cf. l. c. pag. 74.
(11) De fr. Benedicto de Saviliano cf. l. c. pag. 50.
(12) De fr. Angelo de Saviliano cf. l. c. 48.

mam Galli de provincia Saxoniae, fr. Lucam Sutoris de conventu Opaliensi ad conventum Wratislaviae provinciae Poloniae, fr. Gasparem de Ungaria conversum ex provincia Poloniae ad conventum Quinque ecclesiarum provinciae Ungariae.

Istae sunt acceptationes.

Acceptamus ad beneficia ordinis reverendissimum in Christo patrem et dominum dominum Nicolaum de Flisco nostri ordinis protectorem fidelissimum et de ordine optime meritum.

Item et magnificos dominos Ioannem Ambrosium Paridem et Francum comites Lauaniae, eius secundum carnem germanos eorumque proles utriusque sexus.

Acceptamus in provincia Saxoniae incorporationem et donationem paroecciae Leuthenbergensis Maguntinensis dioecesis factas per reverendissimum in Christo patrem et dominum dominum archiepiscopum Maguntinum et generosum dominum comitem Baltazar de Suarzberg conventui Leuthenbergensi et commutationem factam cum eodem comite, prout in litteris desuper confectis continetur.

Acceptamus ad gratias ordinis reverendum in Christo patrem dominum Albertum episcopum Aenensem (1) ab ordine de licentia suorum praelatorum assumptum.

Istae sunt assignationes.

Conventui Parisiensi assignamus ad legendum sententias pro primo anno intraneis debito scilicet anno ·MDXIII· in magnis scholis fr. Claudium Co[g]nati, in parvis fr. Ioannem Busqueti; pro secundo anno ·MDXIV· extraneis debito in magnis scholis fr. Vincentium de Harlem (2), in parvis fr. Antonium Cardonis, cui substituimus fr. Amedeum Lamberti; in tertio anno ·MDXV· intraneis debito in magnis scholis fr. Antonium Sanguin, in parvis fr. Ioannem Martini (3); pro quarto anno ·MDXVI· extraneis debito in magnis scholis fr. Franciscum de Victoria (4) provinciae Hispaniae, in parvis fr. Ioannem Carineau conventus Metensis.

In eodem conventu in biblicum pro primo anno videlicet ·MDXIII. fr. Petrum Oudardi eiusdem conventus, pro secundo fr. Claudium Campaniste, pro tertio fr. Amadaeum Meygreti (5), pro quarto fr. Ioannem de

---

10) Francum] Franciscum PR. — 15) Suarzberg] Suaberc PR. — 22) conventui — extra conventum *om.* S.

---

(1) De fr. Alberto cf. EUBEL *Hierarchia II,* 92.
(2) De fr. Vincentio de Harlem cf. SSOP. II, 66.
(3) De fr. Ioanne Martini cf. supra pag. 72.
(4) De fr. Francisco de Victoria cf. SSOP. II, 128.
(5) De fr. Amadaeo Meygreti cf. l. c. pag. 58.

Vero (1); et mandamus studentibus in theologia in dicto conventu pro tempore tam intraneis quam extraneis, quod completo triennio recedant, nisi de magistri ordinis licentia speciali maneant iuxta constitutiones ordinis. Declarantes et volentes, quod provincialis Franciae nullam habeat iurisdictionem super fratres ibi assignatos et receptos atque morantes, quamvis intraneos, quamdiu ibi sunt, nisi forte revocando suos. Volentes nihilominus, quod tam ipse reverendus provincialis quam quicumque alius non hospitetur Parisius extra conventum.

Conventui Bononiensi damus in regentem pro primo anno et secundo fr. Hieronymum de Viglono (2) magistrum; in bacchalarium pro primo anno fr. Augustinum de Ianua (3), pro secundo et tertio fr. Chrysostomum de Casali (4), cui substituimus fr. Ludovicum de Landriano (5); in magistrum studentium pro primo anno fr. Bartholomaeum de Pisis, pro secundo fr. Baptistam de Mediolano, cui substituimus fr. Bartholomaeum de Bononia.

Conventui Perusino, quem nisi ipsius patres et fratres ita reformaverint, ut et priorem habeant, qui non solo nomine sit prior, et in moribus ac studio, ita ut a reverendissimo magistro ordinis acceptetur reformatio, unimus congregationi Lombardiae, salva in omnibus et per omnia auctoritate reverendissimi magistri atque obedientia ei debita; mandabitur autem executioni, ut et quando reverendissimus magister iudicabit et non aliter. Huic itaque conventui assignamus in regentem fr. Gasparem de Perusio magistrum.

Conventui Salmanticensi provinciae Hispaniae assignamus in regentem fr. Matthiam de Pace (6) magistrum; ad legendum sententias fr. Ioannem a Toleto.

Conventui Vallisoletano assignamus in regentem fr. Garsiam de Loaysa (7) magistrum, priorem eiusdem conventus; ad legendum sententias fr. Thomam de sancta Maria (8).

Collegio Vallisoletano assignamus in regentem fr. Franciscum Castillejo (9) magistrum; ad legendum sententias fr. Petrum de Fontes.

---

9) conventui — providebit *om.* PR.

---

(1) De fr. Ioanne de Vero cf. l. c. pag. 81.
(2) De fr. Hieronymo de Viglono (Viglo) cf. supra pag. 49.
(3) De fr. Augustino de Ianua cf. l. c. MOPH. VIII, 364.
(4) De fr. Chrysostomo de Casali cf. l. c. pag. 70.
(5) De fr. Ludovico de Landriano cf. l. c. pag. 90.
(6) De fr. Matthia de Pace cf. l. c.
(7) De fr. Garsia de Loaysa cf. SSOP. II, 39.
(8) De fr. Thoma de s. Maria cf. l. c. pag. 213.
(9) De fr. Francisco Castillejo cf. supra pag. 89.

Conventui Hispalensi assignamus in regentem fr. Alexium de Peñafiel (1) magistrum; ad legendum sententias fr. Dominicum de la Fuente.

In conventu Toletano instituimus studium generale et assignamus in regentem fr. Didacum de Victoria (2) magistrum, absolventes eum ab officio prioratus, si sit prior; ad legendum sententias fr. Michaelem de Olmedo; et mandamus inviolabiliter observari, omnes hos legere sententias solemniter et non tantum principium facere; et nolumus omnes has assignationes supradictas provinciae Hispaniae posse quovis privilegio per provincialem mutari, sed potius in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae statim executioni mandari.

Reliquis studiis et officiis reverendissimus magister providebit.

Istae sunt àbsolutiones.

Absolvimus reverendum patrem fr. Americum de Quinque ecclesiis (3) ab officio provincialatus provinciae Ungariae et facimus eum vicarium generalem in eadem, quousque prior provincialis electus, confirmatus et praesens in provincia extiterit, volentes, ut capitulum provinciale omnino celebretur in festo sancti Martini proxime futuro.

Absolvimus conformiter ad acta praecedentis capituli generalis omnes fratres ordinis beneficiatos ab omni assignatione in conventibus nostris et ab omni praesidentia et officio in ordine nostro, et nolumus eos nobiscum in conventibus nostris commorari, nisi forte aliquis propter suos mores de consensu provincialis et duarum partium sui conventus capitulariter congregati retineatur, sine tamen officio praesidentiae, voce activa et passiva, revocantes quidquid in oppositum concessum est; et volumus hoc per modum ordinationis quasi continuae vim habere in futurum; extendentes hanc ordinationem ad eos qui beneficiis renunciaverunt cum regressu vel reservatione fructuum, nisi illi fructus omnino veniant ad bonum commune conventus et non alicuius particularis personae.

Istae sunt poenitentiae.

In primis volumus, sententiam et specialiter ultimam executionalem datam contra conventum Wessaliensem seu illius patres provinciae Saxoniae observari et executioni mandari cum poenitentiis in eis taxatis; concedentes reverendo provinciali Saxoniae plenariam potestatem faciendi cum eisdem misericordiam et gratiam, annullantes omnem appellatio-

30) istae — habitu ordinis *om.* PR.

(1) De fr. Alexio de Peñafiel cf. l. c. pag. 72.
(2) De fr. Didaco de Victoria cf. l. c.
(3) De fr. Americo de Quinque Ecclesiis cf. l. c. pag. 79.

nem interpositam; praecipiendo dictis patribus et fratribus, ut se humiliando reverendo provinciali obediant tamquam suo legitimo praelato, [et] executionem omnium eorum [non] nisi humiliter acceptent; committentes reverendo priori Coloniensi cum plenissima cogendi potestate.

Item. Damnamus ad poenam gravioris culpae fr. Iacobum Ioangrem, magistrum provinciae Trinacriae, convictum in praesenti diffinitorio, quod excessum prioris provincialis sive verum sive falsum publicaverit; alios autem in hoc complices in publico instrumento notatos visitatori committimus puniendos; praecipientes in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae et sub poena gravioris culpae, quam ipso facto incurrant, dicto provinciali Trinacriae et ceteris nostri ordinis fratribus illius provinciae aut in illa existentibus, ut dictam poenitentiam nulli saeculari revelent, et dicto fr. Iacobo magistro, ne ad centum milliaria prope Panariam accedat, donec per visitatorem fuerit ei licentia data.

Item. Fr. Antonium Ninii de Sulmona privamus habitu nostri ordinis, nisi coram reverendo provinciali Regni citatus comparuerit ad reddendam rationem, quare non debeat privari habitu ordinis.

Item. Committimus unanimiter reverendo patri fratri Vincentio de Vicentia (1) magistro dispositionem provinciae Trinacriae tam in capite quam in membris et monialium et personarum tertii habitus cum plenissima potestate magistri ordinis in omnibus et per omnia, quamdiu in illa provincia fuerit, ita quod nullus reverendissimo magistro inferior possit in aliquo impedire; dantes ei, dum ibi fuerit, locum super reverendum provincialem utpote vicario reverendissimi magistri ordinis plenissimo, quem tenore praesentium instituit et institutum declaramus, revocantes quidquid in oppositum militaret.

Istae sunt commissiones.

Committimus reverendissimo magistro ordinis omnem nostram auctoritatem et facultatem addendi, minuendi, mutandi, dispensandi et breviter omnia et singula faciendi et committendi, quae capitulum generale posset, etiam si talia, quae mandatum exigerent magis speciale; volentes quod simplici eius verbo credatur; approbantes etiam et pro rato habentes omnes et singulas eius litteras.

Item. Committimus reverendo provinciali Saxoniae et reverendis diffinitoribus provinciae eiusdem, quod possint contributionum taxas mutare alleviando impotentes conventus et gravando potentiores proportione servata.

---

34) item — testimonialibus *om.* PR.

---

(1) De fr. Vincentio de Vicentia cf. l. c. pag. 117.

Item. Committimus et concedimus singulis istius capituli diffinitoribus praesentibus, quod quilibet possit facere duos iubilarios in provinciis suis, alias dignos, idoneos et aetatis 50 annorum, et recipiendi in suis provinciis unum apostatam, servatis constitutionibus et cum litteris testimonialibus.

Ista sunt suffragia pro vivis.

Imprimis pro sanctissimo domino nostro Leone papa decimo, qui dedit capitulo indulgentiam plenariam et est ordini nostro multum affectus, quilibet sacerdos unam missam.

Pro reverendissimo domino protectore quilibet sacerdos unam missam.

Pro bono statu huius inclitissimae civitatis Ianuensis et his, qui dederunt eleemosynas pro capitulo generali, quilibet sacerdos unam missam, et nihilominus acceptamus eos ad participationem bonorum totius ordinis, quousque fuerit satisfactum ante tribunal Christi.

Pro illis qui per litteras reverendissimi sunt acceptati ad beneficia ordinis, et pro pace totius reipublicae Christianae quilibet sacerdos unam missam.

Pro bono statu et reformatione ordinis nostri et reverendissimo magistro generali et eius societate quilibet sacerdos unam missam.

Ista sunt suffragia pro defunctis.

In primis pro anima reverendissimi domini Matthaei de Ursinis cardinalis ex nostro ordine assumpti, qui capitulo cuilibet generali reliquit eleemosynam, quilibet sacerdos unam missam.

Pro anima reverendissimi domini Oliverii cardinalis Neapolitani et protectoris ordinis nostri, cui ordo in immensum est obligatus propter beneficia accepta, quilibet sacerdos unam missam.

Pro animabus omnium fratrum et sororum ordinis nostri quilibet sacerdos unam missam.

Loco missae clerici septem psalmos poenitentiales et conversi triginta pater noster dicant.

Sententias iudicum approbamus et volumus in suo robore permanere.

Auctoritatem diffinitorum volumus durare usque ad diem dominicam sequentem.

Mandamus acta capituli per reverendos diffinitores ad provincias diligenter scripta, correcta atque sigillo ordinis signata deferri.

Sequens capitulum generale, quod erit provincialium assignamus Neapolim in conventu sancti Dominici post biennium in festo pentecostes anni ·MDXV·

---

15) pro — missam *ante* ista *om.* S.

Concedit [magister] omnibus fratribus et sororibus ac personis tertii habitus, ut possint eligere confessorem et absolvi de omnibus praeteritis usque ad notitiam horum et dispensari in irregularitatibus, sicut potest sua reverenda paternitas.

Datum Ianuae in conventu sancti Dominici vigesima prima maii anno domini ·MDXIII·

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HAEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS
IN CONVENTU SANCTI DOMINICI DE NEAPOLI CELEBRATI
SUB REVERENDISSIMO
PATRE MAGISTRO THOMA DE VIO CAIETANO (1)
SACRAE THEOLOGIAE PROFESSORE
AC TOTIUS GENERALISQUE ORDINIS PRAEDICATORUM
GENERALI MAGISTRO
IN FESTO PENTECOSTES
VIGESIMA SEPTIMA MAII ANNO DOMINI
MILLESIMO QUINGENTESIMO DECIMO QUINTO

Diffinientibus reverendis provincialibus patribus et sociis absentium videlicet:
fr. Gabriele de Padua magistro priore prov. provinciae s. Dominici,
fr. Sebastiano de Perusio (2) magistro priore prov. provinciae Romanae,
fr. Antonio Caramanico (3) magistro priore prov. provinciae regni Siciliae,
fr. Oswaldo Quinqueecclesiensi (4) mag. priore prov. provinciae Hungariae,
fr. Zacharia de Ravenna (5) magistro priore prov. provinciae Graeciae,
fr. Francisco Archari (6) magistro priore provinciali provinciae Provinciae,
fr. Damiano Grasso de Ripolis (7) magistro priore provinciali provinciae s. Petri Martiris,
fr. Vincentio de Cataro (8) magistro priore prov. provinciae Dalmatiae,

25) Archari] Achaei P.

(1) De fr. Thoma de Vio Caietano cf. supra pag. 93.
(2) De fr. Sebastiano de Perusio cf. MOPH. VIII, 381.
(3) De fr. Antonio de Caramanico cf. supra pag. 70.
(4) De fr. Oswaldo de Quinque Ecclesiis cf. l. c. pag. 61.
(5) De fr. Zacharia de Ravenna cf. l. c. pag. 88.
(6) De fr. Francisco Archari (Archieri) cf. l. c. pag. 72.
(7) De fr. Damiano Grasso de Ripolis cf. l. c. pag. 74.
(8) De fr. Vincentio de Cataro cf. l. c. pag. 121.

fr. Antonio Meyda (1) priore provinciali Trinacriae,
fr. Garsia de Loaysa (2) magistro socio provincialis Hispaniae,
fr. Paulo Hug s. theologiae lectore socio provincialis Theutoniae,
fr. Dominico de Vsovidinensi socio provincialis Poloniae,
fr. David Bron magistro socio provincialis Angliae,
fr. Ioanne Zareal magistro socio provincialis Aragoniae,
fr. Andrea Ioannis de Rivo socio provincialis Daciae,
fr. Georgio de Prestvalco socio provincialis Boemiae.

Epistola reverendissimi ordinis magistri ad totum ordinem.

In dei filio sibi charissimis omnibus et singulis praesidentibus, magistris, patribus et fratribus ordinis praedicatorum fr. Thomas de Vio Caietano sacrae theologiae professor ac totius eiusdem ordinis humilis generalis magister et servus salutem et sancti spiritus consolationem.

Naturalis appetitus ac pudoris humano generi insiti aemulatores si quid in seipsis defluxum, infirmum aut imbecille sentiunt, omni ex parte in pristinum robur reducere conantur, et si quidpiam profitentur, executioni proprii muneris adeo student, [ut nec] circa operis exercitationem horreant, [nec] eius se fateri professores erubescant.

Hinc vos, fratres charissimi, ad religionis gratiam vocati, quandoquidem gratia perficit naturam, attenta meditatione, accensisque animis, quae in nostra hac republica collapsa non audimus, sed cum nostra maxima iactura experiendo patimur, reparare in pristinumque statum referre incipiamus. Profitemur quippe inter cetera duo, quorum alterum nostra, alterum proximorum salus est. In rerum communitate religionis nervus consistit, sacrarum litterarum studium proximorum animos illustrat, accendit, salvat. Conventus communia omnia habentes, non solum praesentis vitae commoda singulis, prout opus fuerit, iuxta tamen vires more dispensatricis naturae praebent a sollicitudineque liberos reddunt, et tamquam nihil habentes et omnia possidentes constituunt, verum etiam caelestis patriae participationem in hac peregrinatione favore divino, charitate mutua in Christo Iesu ac apostolorum eius imitatione communicant.

Sal terrae lumenque mundi caelestis sapientia procul dubio est sa-

1) Meyda] Menda P. — 4) Vsovidinensi] de . . . . . P. — 8) Prestvalco] Postramio P; Prestarmo S. — 17) circa operis exercitationem] cuius operis executionis S. — 27) praesentis vitae] prioris . . . P. — 28) more *om.* P. — 30) favore divino] fruuntur dum S. —

(1) De fr. Antonio de Meyda (Maida) cf. l. c. pag. 2.
(2) De fr. Garsia de Loaysa cf. l. c. pag. 119.

cris codicibus credita. Quocirca ad id propter quod convivimus anhelantes communitatem in singulis conventibus, ubi deest, reparare studeamus; erubescant primates talium conventuum se professores ordinis praedicatorum appellare, si communitatem bonorum non optant, non procurant, non efficiunt. Neque enim conventus nomine digni sunt, qui in solo claustro communicant, neque professores paupertatis vocari possunt, qui propria communibus anteponunt. Circumspicite, fratres et videte, quod conventus in communi viventes temporalibus abundant et crescunt, alii vero dilabuntur, ita ut ob hanc causam multos defecisse dubium non sit. Recolite, quod sanctiores et doctiores viros protulit ordo, quando ubique in communi vita agebatur quam post. Et nostra aetate meliores et magis eruditos oculata fide prospicimus, ubi in communi vivitur, quam ubi quisque sui curam gerit.

Iungite, quaeso, communitati sacrarum studia litterarum, ut exemplo et verbo pascere populos, ut tenemini constitutione ordinis, possitis. Aliarum siquidem religionum professores quidquid impendunt doctrinae gratis erogant, nobis autem vix imminet, nisi studeamus, ut evangelizemus. Haec duo sunt, quibus servatis, ordo noster facile reformabitur.

Hortor igitur inprimis ac moneo vos, praesidentes ac patres, ut resipiscatis et vel saeva poenitentia proprietatem ignorantiamque a vestris filiis profligatis, communia propriis anteponatis, et filios sapientes, qui gloria sunt patris, alatis.

Mando deinde vobis iunioribus, ut tollatis suave communitatis iugum super vos et discatis in terris ea, quorum scientia vobiscum perseveret in coelis.

Bene valete et dominum pro me orate.

Datum Neapoli die... mensis mai anno domini 1515.

Istae sunt inchoationes.

Inohamus hanc, quod diffinitor generalis capituli pro tempore proxime futuro ante ultimum annum electus, legitimus sit diffinitor, si alius non fuerit postea legitime electus. Et idem dicimus de illius socio, quod valet et sit eodem modo legitimus socius, et in anno electionis magistri ordinis sit elector, si non est alius elector electus.

Inchoamus hanc, quod qui ordinantur sine licentia legitima ordinis, sint ipso facto carceri addicti ad minus per quatuor menses, ibidem secundum arbitrium praelati poenis aliis puniendi et postmodum non permittantur exequi ipsos ordines sine speciali licentia magistri ordinis. Et hoc interim per modum ordinationis volumus observari.

Istae sunt approbationes.

Approbamus hanc, quod festum s. Catherinae de Senis fiat non in prima dominica maii, ut alicubi fit, sed in prima dominica vacante;

vacantem autem hoc in loco dicimus, si nec festum apostolorum Philippi et Iacobi, nec festum inventionis crucis sanctae in illa evenerit. Et hoc ut honor istis solemnitatibus deferatur et uniformitas in ordine sit. Et haec habet duo capitula.

Approbamus hanc, quod de praesentatione beatae Mariae virginis fiat ubique totum duplex ·xi· kal. decembris; et de beato Ioseph fiat ubique duplex die ·xix· martii; de divisione apostolorum fiat ubique totum duplex die ·xv· iulii; et de beata Anna matre virginis Mariae fiat totum duplex. Et haec habet duo capitula.

Approbamus hanc, quoad appellans ab absolutione facta vel facienda ab officio prioratus provincialis vel conventualis aut vicariatus etiam praetextu gravaminis ipso facto sit absolutus ab illo officio; volentes, quod in istis ratio gravaminis tam proprii quam communis non habeat locum quoad appellandum. Et volumus hanc per modum ordinationis efficacis interim, quod fiat haec constitutio, observari inviolabiliter. Et haec habet duo capitula.

Approbamus hanc, quod ad nullum iudicem extra ordinem nisi ad sedem apostolicam, cui est immediate subditus ordo, aliquod membrum ordinis illique subditum pro iustitia recurrat sub poena absolutionis ipso facto, si est praelatus, et privationis vocis activae et passivae etiam ipso facto quoad alios. Et hoc etiam ordinamus interim efficaciter et inviolabiliter observari. Et haec habet duo capitula.

Approbamus hanc, quod fratres extra conventus, quorum sunt filii assignati ad tempus id est ad exercitium sive officium certo et determinato tempore durans, completo illo certo tempore, ex quo sunt absoluti a tali assignatione, intelligantur assignati in conventibus, quorum sunt filii, nisi superior eos alibi assignavit. Assignati autem simpliciter numquam intelligantur in conventibus, quorum sunt filii, nisi reassignentur. Et hoc volumus et ordinamus ex nunc observari. Et haec habet duo capitula.

Approbamus hanc, quod in locis, ubi completorium dicitur de die coram saecularibus, sic quod possint ab eis fratres videri, disciplina detur exclusis saecularibus aut de nocte post matutinas, exceptis noctibus vigiliarum nativitatis et annuntiationis dominicae, in quibus omittatur. Et haec habet duo capitula.

Item infrascriptas, quantum ex nostra dependet auctoritate correctas ut infra approbamus:

In primis in prologo constitutionum, ubi dicitur: « volumus et declaramus, ut constitutiones nostrae non obligent nos ad culpam sed ad poenam », si a praelato imponatur « nisi propter praeceptum vel contemptum », quam poenae taxatae impositionem, si praelati neglexerint

vel cum acceptione personarum exercuerint, acrius puniantur; et si in huiusmodi perseveraverint, absolvantur ab officiis. Cum poenitentibus tamen misericorditer se habeant. In tantum autem praelati impositionem reperiri volumus, ut nisi sit excommunicationis latae sententiae, quaecumque censura, absolutio, privatio aut poena gravis culpae aut supra etiam ipso facto incurrenda tam in constitutionibus quam extra egeat declaratione praelati in particulari respectu huius ad hoc, quod incurratur, quantumcumque etiam notorium facti aut iuris aut utriusque interveniat.

Praeceptum autem in regula nostra nullum, nisi quod de natura sua est ratione trium votorum vel divinae aut ecclesiasticae legis, contineri volumus et declaramus. Et idem in constitutionibus nisi ubi ponitur poena excommunicationis aut formaliter exprimitur per verbum « praecipimus in virtute sanctae obedientiae ». Et hoc idem in ordinationibus et in praelatorum verbis et litteris intelligi volumus. Poenam excommunicationis et excommunicationem latae sententiae per nulla verba tam in constitutionibus quam extra in nostro ordine intelligimus, nisi ubi explicite et verbaliter poena excommunicationis et excommunicatio latae sententiae exprimitur.

Porro praelati non faciant praecepta obligantia ad mortale peccatum in ira exteriori praecipue contra subditos turbatos; et si fecerint, irrita sint et inania, facta tamen valeant ad quascumque poenas temporales.

Praecepta quoque in scriptis facta censeantur sine ira facta; nec faciant praecepta quieto animo nisi in scriptis extra necessitatis articulum praeter commune praeceptum, quod fit in visitatione, facta tamen valeant; nec damnent aliquem ad poenam gravioris culpae aut carceris aut privationis habitus nisi in iudicio confessum vel convictum et in scriptis. Et si secus factum fuerit, irritum sit et inane.

In eodem prologo, ubi dicitur: « Interpretationes constitutionum » etc. mutetur sic: « Interpretationes regulae et constitutionum factae a generali capitulo non habeant vim constitutionis nisi per tria capitula continua in modum aliarum constitutionum scilicet per viam inchoationis et confirmationis continuatae fuerint approbatae ». Ordinationes tam capitulorum generalium quam magistri ordinis quoad vim praecepti et censurarum ecclesiasticarum cum ipsis expirare volumus. Vita vero capituli usque ad sequens capitulum intelligitur. Quoad reliqua vero quomodolibet per generale capitulum et magistrum ordinis facta durare volumus, donec fuerint revocata per similem potestatem; excepto quod si quem

4) reperiri] requiri S.

magister ordinis vicarium totius ordinis instituisset; hunc enim volumus cum ipso expirare. Ab inferioribus autem capitulis et inferioribus praelatis quomodolibet ordinata cum ipsis tamquam ab homine ordinata expirare volumus, exceptis supprioribus, confessoribus tam fratrum quam monialium, vicariis monialium et magistris personarum utriusque sexus tertii habitus et officialibus conventuum absque iurisdictione. Hos enim volumus durare cum ea quam habent auctoritate, donec revocentur ab habente potestatem destituendi eosdem.

Porro praelati omnes a multitudine praeceptorum et ordinationum abstineant, ne laqueum animabus subditorum iniiciant, nec propter defectum unius vel paucorum, quem vel quos non audent corrigere communitatem involvant. Nulla quoque (ergo) potestate in ordine nostro in communi vel in particulari aliquid ordinetur, cum hac poena, quod non possint absolvi a peccatis suis. Et si secus factum fuerit, sit irritum et inane. Priores tamen possint aliquos determinatos casus peccati mortalis sibi reservare, cum viderint animabus expedire.

In capitulo secundo de inclinationibus, ubi dicitur, quod « in gratiarum actione inclinamus solum ad pater noster et orationem » dicatur: « ad utrumque pater noster ».

In capitulo septimo, ubi dicitur: « similiter nec alii fratres comedant nisi in communi refectorio vel hospitum domo », addatur: « nec priores provinciales nec magistri in theologia etiam actu legentes in cameris comedant, sed communiter in refectorio vel hospitio vel infirmorum domo vel domo debilium ». Ibidem: « conventus sui » addatur: « conventum suum dicimus, cuius est filius ».

In capitulo octavo de minutione, ubi dicitur: « quater in anno fiat », dicatur: « fieri possit ».

In capitulo ·x°· de vestitu post verbum: « lineis non utantur ad carnem », addatur: « exceptis femoralibus et caligis et pulvinaribus et huiusmodi ». Ibidem: « Linteamina in infirmariis nostris non habeantur », mutetur et dicatur: « concedimus, quod possint haberi, et similiter in cameris hospitum ». Ibidem: « Tunicae ad cavillam pedum », addatur: « inclusive, et non plus descendant ».

In capitulo ·xiii°· de recipiendis addatur: « pueri intra ·xiiii· annum aut non recipiantur aut si [in] aliquibus conventibus oportet eos communiter recipere, recipiantur de consensu capituli conventus a priore et non aliter; nec retineri possint in aliquo conventu, ubi non sit novitiorum similium congregatio cum proprio dormitorio et magistro, ita quod alibi non recipiantur, nisi statim mittantur ad huiusmodi conventus, in quibus profitebuntur, pro conventibus tamen in quibus acceperunt habitum, et a quibus conventibus de vestimentis debeat provideri ».

In capitulo ·XIV°· de novitiis post illum versum: « similiter omnes fratres », addatur: « nullus frater etiam prior recipiat depositum cuiuscumque nisi in communi deposito conventus. Contrarium autem faciens incurrat poenam gravioris culpae ».

In eodem capitulo addatur: « Mandamus universis fratribus, quatenus novitios volentes ad saeculum redire, libere ire permittant, redditis sibi omnibus quae secum attulerant, nec sint eis molesti propter hoc, exemplo illius, qui discipulis aliquibus recedentibus aliis remanentibus dixit: numquid et vos vultis abire? »

Item. Nullus recipiatur ad professionem ut clericus, nisi sciat plene et expedite legere et dicere divinum officium nocturnum pariter et diurnum solus, et sit habilis in proxima dispositione, ut sciat grammaticam; et per duos menses ante finem probationis examinatores recipiendorum teneantur eum examinare de his et referre priori et capitulo. Et si inventus fuerit multum deficiens in praedictis, vocetur in capitulo novitius, ibidem ei assignetur certum tempus prolixius probationis, vel declaretur ei, quod numquam veniet terminus probationis, nisi postquam iterum in capitulo vocato et pro sufficienti approbato, octo adhuc dies ad minus probationis relinquantur. Ultra hoc autem, ne parvuli recepti ad habitum inveniant se potius natos sub iugo religionis quam illud elegisse, evitenturque inconvenientia multa, statuimus, ut ei cui ante quintum decimum annum religionis habitus est datus, numquam elabatur annus probationis quantocumque decurrente temporis spatio, nisi vocatus post sextum decimum aetatis annum completum a praelato in capitulo coram conventu, terminum ad minus trium mensium acceperit ad deliberandum, an profiteri velit, ita quod annus probationis cum taxato illo termino terminetur, ac per hoc ex tunc incurratur professio tacita. Et ut hoc inviolabiliter observetur, praesenti statuto cuilibet ante inchoatum supra annum pro tempore recepto ad habitum assignamus annum probationis modo dicto. Mandamus autem sub poena absolutionis ab officio et gravioris culpae praelato, ut quando vocatus fuerit novitius ad terminum professionis suscipiendum, expresse protestetur eidem, quod professio sua colligat eundem ad tria vota scilicet castitatis, paupertatis et obedientiae secundum regulam beati Augustini et institutiones ordinis fratrum praedicatorum et non secundum quod hodie vel hic servatur; et quod statim elapso termino sibi taxato nisi contradictum ab ipso vel a religione fuerit, incurrat professionem, etiamsi non aliter profiteatur. Novitios quoque recedentes sine licentia cum habitu a conventu, nisi infra octo dies ad eundem redierint, pro refutatis ab ordine habeamus; et si ad alium conventum declinaverint et acceptati fuerint pro novitiis, volumus annum probationis inchoare ab illo die, quo in ipso (ab) al-

tero conventu fuerint acceptati. Quod si nullibi acceptati pro novitiis fuerint, post exitum sine licentia pro refutatis et non novitiis haberi volumus, quanto tempore sic permanent.

In capitulo ·xv°· de professione addatur: In quolibet conventu habeatur liber particularis, in quo scribantur omnes qui faciunt professionem, ibi notando annum, mensem et diem et nomen praelati recipientis ad professionem et sub quo magistro ordinis.

In capitulo ·xviii°· de graviori culpa ibi: si quis crimen capitale, addatur: id est poena mortis in saeculo puniendum.

Ibidem: Si quis procuraverit, quod ipse vel alius eximatur a potestate praelati sui, mutetur et dicatur sic: si quis procuraverit, quod ipse vel alius eximatur a potestate praelati sui via non iuridica.

Ibidem: Ad tempus sequestretur a consortio etc., addatur: Poena autem sequestrationis tunc tantum locum habet, quando propter peccatum mortale ad poenam gravioris culpae est damnatus.

Ibidem, ubi dicitur: donec per magistrum ordinis, dicatur: vel donec per magistrum ordinis.

In capitulo ·xix°· de gravissima culpa addatur: Frater propter mortale crimen damnatus legitime ad poenam gravioris culpae et recusans eam ferre, eiiciatur mature et iudicialiter de ordine per priorem provincialem vel illius vicarium de consilio discretorum in scriptis, ita quod appareant authentice gesta omnia cum processu et sententia cum subscriptione omnium discretorum. Nullus autem cum habitu ordinis ob quamcumque causam etiam criminalem a sua provincia eiici possit simpliciter vel ad tempus nisi a magistro ordinis vel generali capitulo.

In capitulo ·xx°· de apostatis ibi: nisi per diffinitores generalis capituli: addatur: vel magistrum ordinis.

Ibidem: Quicumque litteras magistri ordinis etc., eandem sententiam, addatur: excommunicationis latam et privationis.

In distinctione II° capitulo ·I°· de domibus concedendis reducatur constitutio ad formam antiquam clarius: Conventus citra numerum duodenarium fratrum professorum, quorum decem ad minus sunt clerici et sine licentia etc. Possunt tamen per generale capitulum aliquae provinciae excipi, in quibus conventus antiqui in magna multitudine non habent etiam dictum numerum fratrum.

Ibidem, ubi dicitur: totum sit irritum et inane, subiungatur: et possit in huiusmodi diminutis domibus non habentibus sex fratres vocales, ubique etiam in dictis provinciis potest fieri prior absque electione per provisionem superioris.

Ibidem: Non fiant, addatur: nec permittantur fieri in domibus etc., et in fine versus: In ecclesia tamen permitti poterunt. Volumus autem,

quod fiat cum maturo consilio peritorum in arte, considerato loco, in ligno vel in alia materia formula totius domus construendae, quam non liceat transgredi pro voluntate varia praesidentium, sed iuxta illam aedificetur. In domibus autem constructis mandamus nullam fieri constructionem aut aedificationem notabilem in fabrica nisi de consilio et assensu eorum, quos supra fabricam in qualibet natione a priore provinciali de consilio discretorum constitui mandamus. Oppositum autem presumens facere, absolvatur in poenam sic, quod per triennium nec ibi nec alibi praesit.

In capitulo ·II°· de electione prioris ibi: alias nec eligi, exprimatur sic: Nullus eligatur aut confirmetur in priorem, nisi sciat grammatice loqui absque falsa latinitate, et ita instructus saltem in moralibus divinae scripturae, ut sciat competenter proponere verbum dei in dicto conventu; et si secus factam fuerit in conventibus habentibus integrum numerum fratrum, [confirmator] absolvatur et per triennium omni officio ordinis privetur.

Ibidem addatur: Electiones seu postulationes in nostro ordine per scrutinium, si solum servetur, quod maior pars medietate consenserit ante publicationem scrutinii, possint a confirmatore pro canonicis approbari. Et semper intelligatur confirmatorem supplere defectus electionis, qui eius subsunt potestati, quando sine clausula diminutiva confirmat electionem.

Ibidem: Fratres post quatuor annos, addatur: si tamen constituti sunt in sacris.

Ibidem: Si vero de aliena provincia fuerint, postquam per annum continuum in aliquo uno et eodem conventu alienae provinciae assignati morati fuerint, admittantur ad electiones in illa provincia sicut alii; et hoc tam si ad tempus, quam si simpliciter ad alienam provinciam assignetur quis.

Ibidem: Nulli praesidenti ordinis liceat alicui extra obedientiam etc., addatur: nisi praelatis ex ordine assumptis supra socios eis deputatos, et quamdiu sunt eorum socii.

Et ibi super apostatas et vagos: hoc est sine ordinis licentia extra ordinem commorantes, quamdiu sic extra manent; super quos volumus, quod non solum magister ordinis, sed priores provinciales et eorum vicarii possint potestatem concedere omnibus ecclesiasticis personis.

Ibidem: Fratres nostros etc. vel alias in minoribus etc., dicatur sic: Fratres vero nostros tam in episcopali dignitate praecise titulari vel alias infra episcopatum constitutos et beneficiatos et exemptos ab ordine, exceptis magistro sacri palatii et poenitentiariis domini papae perpetuis, qui sequuntur curiam Romanam eorumque sociis in nostris conventibus etc.

In capitulo III°. de electione prioris provincialis ibi: instante vero prioris provincialis electione etc. addatur in fine: nisi ipso priore petente vel ob causam criminis vel gravis scandali vel in capitulo provincialis factam, licet pendentem quoad confirmationem. Instare autem electionem prioris provincialis dicimus, quandocumque provincia non habuerit priorem provincialem absentem vel praesentem.

Ibidem: Quae acquisierunt tempore provincialatus, addatur: pro medietate provinciae et pro medietate ad conventum suum, cuius est filius, et subdatur: alia vero omnia sunt conventuum suorum, quorum sunt filii; et idem dicimus de bonis procuratoris ordinis.

In capitulo ·v°· de electione diffinitorum capituli generalis et provincialis ibi: diffinitor et socius solum de suis provinciis, addatur, quarum sunt filii.

Ibidem, ubi dicitur: Socii etiam priorum ad capitulum provinciale etc. de suis conventibus, dicatur: de conventibus, in quibus sunt assignati.

In capitulo ·VIII°· de generali capitulo corrigatur sic: Capitulum generale una vice ultra montes, alia vice citra montes alternatim celebretur.

Ibidem post illum versum: Magistris vero in sacra theologia etc. addatur: bacchalariis qui legitime incorporati in universitate solemniter legunt aut legerint, post supriorem ubique in toto ordine locum damus.

In capitulo ·XII°· de praedicatoribus: Statuimus, quod in qualibet provincia a praesidente et diffinitoribus instituantur aliqui viri docti et zelum religionis habentes examinatores et approbatores omnium eorum praedicatorum et confessorum, quos non constat manifeste doctos esse ita quod nullus talium nisi approbatus in scripturis sufficiens et idoneus ad praedicandum et confessiones extraneorum audiendum praedicet populo et in villis sub poena carceris, et nihilominus praesidentes hoc permittentes ab officiis absolvantur. Distribuantur autem aut mittantur huiusmodi examinatores per conventus sic, ut commode possint praesidentes scire, quibus officium praedicandi et confessiones audiendi committere possint.

Ibidem: Nullus fiat praedicator generalis etc., addatur et dicatur: et nisi in provincia illa gloriose praedicet, ita quod saltem per tres quadragesimas cum bona gratia in aliqua bona civitate vel terra vel aliquibus bonis civitatibus seu terris praedicaverit.

In capitulo ·XIII°· de itinerantibus ante illum versum: praecipimus autem etc., addatur: fratres nostros beneficiatos vel etiam habilitatos solum ad beneficia inhabiles reddimus ad praelationem seu superioritatem in ordine et etiam officium inquisitionis, in quantum pendet ex ordine.

Nec aliquis illorum possit activam aut passivam vocem quomodolibet in ordine habere, nisi per annum ante beneficio et habilitatione legitime renuntiaverit, ita quod renuntiatio sit legitime acceptata publico id instrumento testante. Renuntiatio autem cum regressu aut quacumque reservatione fructuum, nisi huiusmodi fructus mere et integraliter proveniant ad communem utilitatem conventus et non in alicuius particularis personae tantum, non acceptetur nec alicuius momenti habeatur.

In capitulo ·xiv°· de studentibus et bonis fratrum mutetur et dicatur sic: Bona fratris defuncti quoad illa, quae ab aliqua provincia vel conventu habuit, illius sunt. Quae vero aliter acquisivit, sint conventus, cuius est filius, si in alio conventu non est assignatus simpliciter, sed ad tempus propter officium aliquod. Quae vero haereditario iure obvenerint vel obveniunt, erunt conventus sui originalis, etsi alterius conventus factus fuerit filius. Si vero est assignatus in aliquo alio conventu simpliciter ac pro tali ibidem praesentialiter receptus, et conventus ille consuevit, prout tenetur, talibus providere de toto victu, vestitu et aliis huiusmodi tam tempore sanitatis quam tempore infirmitatis, dividentur haec aliter: acquisita mobilia aequis portionibus inter conventum, in quo est assignatus, et conventum, cuius est filius, alioquin tertia tantum pars erit conventus, in quo simpliciter est assignatus. Immobilia vero non haereditaria successione obvenientia semper erunt conventus, cuius est filius.

Ibidem: Nec aliquis habilitetur nec assignetur in aliqua universitate ad legendum pro forma, gradu quoque magisterii in theologia etc., subsequatur sic: nisi lectionibus et disputationibus praeviis hoc promerentibus, ita quod nisi manifeste constiterit magistro ordinis vel generali capitulo de sufficientia ad legendum solemniter sententias, assignetur sibi lectio aliqua in sententiis solemniter in crastino exponenda coram deputatis iudicibus cum quatuor ad minus conclusionibus ex singulis libris sententiarum sigillatim sumptis eodem vel sequenti immediate die sustinendis coram deputatis iudicibus; argumenta contra conclusiones ipsis iudicibus vel aliis viris doctis prosequentibus.

Similiter nullus fiat magister in theologia, nisi sit sufficiens ad hoc, quod sit regens in aliquo studio generali, ubi viget in veritate studium theologiae, ita quod, si tunc daretur in regentem alicuius praedictorum studiorum, secundum commune iudicium libenter reciperetur, quantum est ex parte suae sufficientiae, ad officium regentiae illius. Iudicetur autem haec sufficientia, nisi sit manifesta per examinatores deputatos disputationibus et lectionibus theologiae per unum solum diem, ante assignatis punctis et conclusionibus.

Praecipimus autem in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae

omnibus pro tempore deputandis iudicibus examinatoribus et arguentibus tam in promotione baccalariorum quam magistrorum in theologia, quod omni fraude semota secundum deum in veritate iudicent, referant, officiaque sua agant, et iudicium, resoluta relatio ad praelatum deputantem erit : est vel non est iudicio nostro sufficiens ad legendum sententias solemniter, vel ad hoc quod sit regens in aliquo studio generali, ubi viget in veritate studium generale theologiae ; et nihilominus per suae provinciae provinciale capitulum vel illius diffinitorium sit expositus, et a magistro ordinis vel capitulo tantum assignari vel licentiari possit. Si quis autem absque dictae sufficientiae iudicio bacchalariatus vel magisterii in theologia gradum etiam cum licentia magistri vel capituli generalis assecutus fuerit, pro non baccalario vel magistro habeatur in nostro ordine in omnibus et per omnia, dantes facultatem cuilibet in diffinitorio, ut constito notorie de insufficientia promoti sibi subditi absque iudicio vel examine suae sufficientiae hic statuto, declarent ipsum pro non promoto in universo ordine habendum.

Item. Statuimus, quod si quis nefandum crimen concubitus contra naturam, homicidii vel propinati veneni etiam effectu non subsecuto commiserit, perpetuo carceri sit addictus, a quo nec per magistrum ordinis nec etiam per generale capitulum possit ante annos viginti liberari, et nihilominus poenis aliis puniatur secundum praelati discretionem.

Item. Nullus ordinetur in subdiaconum, nisi sciat grammaticam ita quod loqui et scribere latine sciat absque falsa latinitate; et si est subdiaconus non fiat diaconus; et si est diaconus non fiat sacerdos. Praelatus autem quilibet exponens aliter aliquem, absolvatur in poenam ab officio et per triennium omni officio ordinis privetur et poenae [gravioris] culpae subiaceat. Et haec habent duo capitula.

Istae sunt confirmationes.

Confirmamus hanc, quod inchoationes, quae fiunt in capitulis generalibus, non mandentur executioni, usquequo approbatae fuerint per duo alia capitula et factae sint constitutiones, nisi forte eadem inchoatio fiat etiam per modum ordinationis. Et haec habet tria capitula continua debetque poni in fine prologi constitutionum.

Confirmamus hanc et statuimus, quod tam in constitutionibus quam extra, quidquid non secundum se mortale mandatur sub quacumque poena nisi excommunicationis, ad solam poenam obliget, nisi praeceptum formale vel contemptus intraverit ; non obstante quod in capitulo de graviori culpa dicatur, ut qui membrum diaboli culpam perpetrando non erubuit fieri. Et haec habet tria capitula et ponatur in fine prologi constitutionum.

Confirmamus hanc et statuimus, quod nec magister ordinis, nec

aliquis prior provincialis aut quovis modo praesidens in nostro ordine aliquid accipiat directe vel indirecte etiam sponte oblatum a quacumque persona sive praelata sive subdita praetextu litterarum, sigilli, registri, licentiae, confirmationis, et universaliter cuiuscumque gratiae aut iustitiae concessae aut concedendae, sed quilibet sit communibus contributionibus contentus et visitationibus. Priores autem provinciales et alii inferiores contrafacientes in poenam absolvantur ab officiis suis indispensabiliter. Magister vero ordinis, si in hoc excesserit, a diffinitoribus generalis capituli corripiatur, et si obstinate restiterit, deponatur. Et haec habet tria capitula continua et debet poni in fine capituli de electione magistri ordinis.

Confirmamus electionem factam in capitulo provinciali Gratianopoli celebrato penultima aprilis huius anni de fratre Ioanne de Genas (1) magistro in priorem provincialem eiusdem provinciae eumque in priorem provincialem praeficimus supplendo omnes defectus, si qui intervenissent, dantes ei auctoritatem in spiritualibus et temporalibus super omnes conventus, monasteria, loca, fratres, sorores et personas tertii habitus, a iurisdictione provincialis pro tempore non exemptas, quam provinciales in nostro ordine habere solent; praecipientes in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae omnibus et singulis fratribus et sororibus ac personis tertii habitus dictae provinciae non exemptis, quod ei tamquam suo vero et indubitato priori provinciali obediant.

Istae sunt ordinationes.

Ordinamus, quod nulla provincia, congregatio aut conventus acceptet aliquem in magistrum theologiae sine licentia magistri ordinis aut generalis capituli sub poena absolutionis ab officio, quam omnes praesidentes ipso facto incurrant contrafacientes; patres vero consentientes sint per quinquennium ipso facto ab omni officio ordinis et paternitate conventus privati; sed si apostolicae litterae in contrarium exhibitae fuerint, cum omni reverentia recipiantur, sed non acceptentur, cum experientia teste viderimus multos Romanos pontifices huiusmodi litteras noluisse in gravamen ordinis, et huiusmodi promotiones sunt in gravamen ordinis manifeste, dum et minus sufficientes et ignorantes et contemptis praelatis, quibus voto et professione sunt alligati, fiant magistri non pro uno conventu, sed pro toto ordine. Et suspendant acceptationem usque ad consultationem sedis apostolicae per magistrum ordinis faciendam. Et hoc praecipimus in virtute sanctae obedientiae inviolabiliter observari sub dictis poenis, cum hoc sit in totius ordinis praeiudicium et ad nos spectet acceptare vel consultare, ut de iure communi concessum est.

---

(1) De fr. Ioanne de Genas cf. supra pag. 61.

Ordinamus, quod in conventibus, ubi pulsantur organa, infrascripta moderamina observentur ubique:

1°. Ut non permittantur ullo modo vanitates saeculares sonari, tum quia sonus in organis est pars hodie solemnitatis divini cultus, cui profanum et vanum aliquid admisceri constat superstitiosum esse, tum quia sicut secundum sacros canones cantus saecularis est inhibitus in ecclesia, ita et saecularis sonus, licet utrumque possit ad sacram applicari materiam.

2°. Ut quandocumque contigerit in organo pulsari aliquid, in quo oportet fratres inclinari, ut sunt « gloria patri » et fines hymnorum et « suscipe deprecationem nostram » et similia, cantor sine nota alta voce et morose dicat illa, et dum a cantore dicuntur, omnes inclinent; et hoc ut simul et uniformiter fiant inclinationes ab omnibus.

3°. Ut quando antiphona aliqua, responsorium in missa, offertorium et postcommunio pulsatur in organis, cantor alta voce et morose illud dicat in persona totius chori, et hoc ut quietius omnes simul audiant.

4°. Quando hymnus vel canticum inchoari debet ab organis, cantor incipiat primam lineam illius versus, verbi gratia cantor inchoet cantando hanc lineam « Ave maris stella » et organum subsequatur illum versum, et similiter inchoet « Magnificat », et organum subsequatur illum versum etc. Idem dicimus in vesperis paschalibus, quod cantores incipiant illam dictionem « Kyrie », organum illud subsequatur, et hoc pro devotione populi, ut intelligens, quod inchoatur, assurgat.

Ordinamus, quod si contigerit conventum aliquem de cetero subtrahi a iurisdictione et cura prioris provincialis, transeat cum onere suo integraliter tam quoad contributionem quam quoad collationem pro expensis diffinitorum euntium ad capitulum generale, non obstante quacumque consuetudine, ita quod semper intelligatur transferri et acceptari cum onere suo integro, ut dictum est.

Ordinamus ac imponimus praesidentibus, ut praedicatoribus per quadragesimam provideant de loco honorabili inter fratres ibidem pro tunc, ut prudentia suadebit.

Ordinamus conformiter ad acta capituli praecedentis Ianuae celebrati et mandamus universis provinciarum, congregationum et conventuum praesidentibus sub poena absolutionis ab officio et gravioris culpae, ut nullum fratrem mittant ad curiam Romanam mansurum ibidem plus quam per mensem absque socio, et si quem miserint, teneantur infra mensem a notitia praesentium sub eadem poena providere de socio.

Mandamus universis fratribus, ut reverentiam debitam sacramento sanguinis Iesu Christi exhibeant in missa, ut scilicet ante abstersionem oris et ablutionem digitorum sumant ablutionem calicis et deinde abluant

digitos, et ut hoc inviolabiliter observetur, praelati hoc publicent et per visitatores punientur graviter contrafacientes.

Ordinamus, quod quilibet ordinatus habeat litteras testimoniales vel ab ipso episcopo ordinante vel a praesidente loci, ubi est ordinatus, cum subscriptis testibus, qui ordinationi interfuerunt; quod si non fecerint, non permittantur exequi in susceptis ordinibus.

Mandamus districte sub poena absolutionis ab officio praesidentibus conventuum, ut vigilent ad hoc, ut nec ipsi nec alii audiant confessiones extraneorum non praesentati episcopis locorum; etiam casus reservati in aliqua cedula in sacristia vel in alio loco patenti conscripti assignantur; et sint sufficienter instructi in casibus conscientiae habentes libros aliquos de tali materia. Et ut hoc inviolabiliter observetur, provinciales, vicarii et visitatores examinent per se vel per alios in omnibus ad eos spectantibus omnes, quos non constat manifeste doctos esse in casibus conscientiae, etiamsi sint docti in aliis; negligentes autem in hoc absolvantur ab officio etiam in poenam.

Ordinamus et mandamus, ut visitantes conventus inquirant diligenter et provideant, ut cum effectu serventur munda et nitida ea, quae ad altaris ministerium pertinent, docentes minus doctos ea quae sub praecepto debent servari munda, scilicet oratoria, vasa, pallae altaris, corporalia, vestimenta, iuxta capitulum ultimum extra de custodia eucharistiae. Concedentes visitantibus alias impotentibus potestatem absolvendi priores et alios officiales, quorum negligentia haec non serventur, ut decet. Inquirant quoque et provideant, ut in ieiuniis ecclesiae conventus omnes ita provideant fratribus in refectorio de cibo hora prandii, ut omnes possint ieiunare et ieiunent. Nullique in huiusmoni ieiuniorum tempore quasi ad coenandum panis detur in sero, sed tantum in communi potus cum aliquo comestibili per modum medicinae, ne potus gravet stomachum; alioquin priores absolvantur et fratres non ieiunantes absque legitima causa et licentia privati sunt voce activa et passiva tot annis, quot dies violarunt. Inquirant quoque de confessoribus fratrum, qui et quam idonei sunt instituti a priore, ne fratres tam morantes in conventu quam etiam hospites confiteantur, cui voluerint.

Reformationi operam dare volentes cum effectu mandamus prioribus provincialibus et reliquis praesidentibus provinciarum, congregationum ac nationum sub poena absolutionis ab officiis suis, ut in quolibet conventu iuxta constitutiones praeter priorem sit lector, et in communi provideatur de cibo et potu in refectorio non solum de pane et vino, et ubi non est facultas vestiendi fratres de omnibus, ut fieri debet, donec conventus ad vitam simpliciter regularem deducatur, teneatur quilibet conventus singulis annis ad exponendum pro quolibet hebdomadario et

iuvene ac converso, non habente aliunde, unde se vestiat, duos aureos ultra calceorum et aliorum huiusmodi provisionem, quae omnino dari debent in vestitu, scilicet cappa, scapulari, tunica et subtunica vel tunicellis, ita tamen quod non assignentur hi duo aurei fratri in pecuniis, sed in solutione panni illi fratri opportuni, ne provisio haec vestimentorum in alios convertatur usus. Lucra autem missarum ad communitatem conventus pertineant. Et quod omissis omnibus serviatur infirmis decumbentibus et provideatur saltem pauperibus infirmis decumbentibus de communibus bonis a conventibus omni excusatione remota, non minus quam priori decumbenti provideri deberet. Et quod contra fratres suspectos de aliqua familiaritate procedatur secundum constitutiones monendo, praecipiendo, puniendo etc. Et quod frater nullus solus vadat per civitatem; nec vestes adeo longas habeant, ut tangant terram, nec cum biretis extra conventum incedant, nec caligas aut diploides nisi albi coloris et de panno habeant. Priores autem aut patres aut fratres, qui huic sanctae reformationi resistere ausi fuerint, tamquam destructores nostri ordinis omnibus gratiis ordinis, cum legitime constiterit, nisi resipiscant, priventur per priores eorum seu visitatores.

Ordinamus, quod fratres fugitivos, qui scilicet sine licentia hoc est prioris provincialis vel vicarii congregationis de sua provincia vel congregatione recesserint, nullus audeat ultra triduum retinere absque speciali licentia magistri ordinis in posterum concedenda. Si quis eos acceptare in suo conventu, provincia vel congregatione praesumpserit, sit a suo officio provincialatus etc. absolutus ipso facto, revocando omnem facultatem cuicumque concessam oppositum faciendi. Volumus enim huiusmodi fugitivos ad suam provinciam seu congregationem redire et petere veniam et puniri iuxta provinciae vel congregationis morem.

Ordinamus, quod suadens alicui fratri fugam ex carcere aut quomodolibet adiuvans ad hoc, sit ipso facto privatus voce activa et passiva et poenae gravioris culpae subiaceat per dies decem infra mensem adimplendae; frangens autem seram propterea carceri per tres menses deputetur, ita quod elapsis tribus mensibus poterit liberari a praelato.

Mandamus universis praesidentibus provinciarum ac congregationum, ut per se vel per alios inquirant diligenter per terminos suos, si qui sint fratres extra ordinem absque legitima licentia, et eos voluntarios vel invitos, cum prudentia tamen et charitate ad ordinem reducant. Volentes, ut fratres extra ordinem quomodolibet etiam cum licentia apostolicae sedis existentes subsint correctioni, punitioni et potestati supradictorum; nec detur de novo alicui licentia standi extra ordinem. His tamen, qui extra ordinem assueti sunt stare, si expediens visum fuerit, permittimus, ut confirmetur licentia.

Ordinamus et sub poena privationis omnis officii ordinis per triennium mandamus universis prioribus provincialibus et vicariis generalibus et quibuscumque inferioribus, ut nullum fratrem extra provinciam aut congregationem suam eiiciant tam cum litteris dimissoriis ad magistrum ordinis quam sine litteris; sed si frater incorrigibilis est, exutus legitime habitu ex ordine eiiciatur; si autem hoc non meretur, toleretur et corrigatur ab ipsa sua provincia seu congregatione; revocantes per praesentes omnes facultates in contrarium concessas cuicumque praesidenti, congregationi vel provinciae; volentes et declarantes clausulas et facultates appositas et apponendas in litteris confirmationis cuiuscumque non se extendere ad hoc. Similiter nullus prior conventualis audeat eiicere fratrem aliquem ex conventu; sed si aliquis sit, qui non expediat conventui, consulatur prius superior et expectetur illius mandatum.

Mandamus, quod magistri etiam cum licentia ordinis promoti, qui insufficientes adeo sunt, ut non sint tolerabiles in magisterio theologiae, pro non magistris in ordine habeantur in omnibus et per omnia; baccalarii quoque, etiam cum licentia ordinis incorporati in universitate quacumque, qui adeo ignorantes sunt, ut numquam sciverint legere sententias, pro non baccalariis habeantur in ordine in omnibus et per omnia. Praedicatores quoque generales, qui non iuxta tenorem constitutionum nostrarum in capitulo de praedicatoribus instituti sunt, et similiter numerum conventuum excedentes contra tenorem constitutionum pro non praedicatoribus habeantur. Hoc autem de his dicimus, qui iam pro magistris, baccalauriis aut praedicatoribus generalibus sunt in ordine acceptati; illos siquidem, qui semel a praelatis ordinis refutati sunt, semper pro refutatis habeantur; adiicientes, quod huiusmodi refutatos nullus prior provincialis aut conventualis aut vicarius audeat admittere ad exemptiones vel loca, tamquam si essent promoti; sed ac si non essent promoti, sicut non sunt in veritate quoad nostrum ordinem, tractentur in omnibus et per omnia sub poena absolutionis ab officio, quam ipso facto incurrant. Et quia parum est iura condere, nisi sint qui executioni ea demandent, mandamus prioribus provincialibus et vicariis congregationum, ut intra mensem a notitia praesentium instituant de consilio discretorum quatuor examinatores supradictorum magistrorum, baccalariorum et praedicatorum acceptatorum ab ordine ut supra.

Mandamus universis et specialiter praesidentibus et magistris, ut videant diligenter constitutiones et acta capitulorum. Nullum enim excusat ignorantia iuris, quod scire tenetur. Propter quod mandamus sub poena absolutionis praesidentibus provinciarum, congregationum et conventuum, ut habeant acta praesentis capituli, et communicent omnibus fratribus;

et in conventibus magnis acta capitulorum generalium conscribantur et in communi habeantur et custodiantur.

Ordinamus, quod praedicatoribus in vita regulari nullum stipendium detur ; provideatur tamen eis secundum discretionem praelati et eorum necessitatem.

Mandamus universis et singulis praesidentibus et patribus conventuum exemptorum a prioribus provincialibus, ut solitas contributiones eisdem persolvant ; concedentes prioribus provincialibus pro tempore potestatem, ut post elapsum tempus solutionis possint dictorum conventuum praesidentes ac patres compellere per praeceptum et per poenae gravioris [culpae] comminationem, condemnationem ac declarationem. Volentes, quod, si quis in hoc eisdem inobediens declaratus ideo fuerit ab eisdem incidisse in poenam gravioris culpae, a solo reverendissimo magistro ordinis restitui possit ; revocantes omnem gratiam cuicumque in oppositum concessam cum quibusdam etiam inexcogitabilibus clausulis, declarantes hanc nostram deliberatam esse voluntatem.

Praecipimus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae sub poena excommunicationis latae sententiae, quam contrafacientes ipso facto incurrant, quamque una pro trina admonitione canonica praemissa ferimus in his scriptis, ne quis subtrahat conventus a iurisdictione provincialium sine auctoritate summi pontificis vel reverendissimi magistri generalis.

Mandamus universis et singulis prioribus provincialibus pro tempore sub poena absolutionis ab officiis suis, ut contributiones reverendissimo magistro generali et reverendo procuratori ordinis debitas intra mensem a tempore, a quo debita soluta sunt ponant in deposito non alicuius personae particularis, sed communi totius conventus, videlicet :
Provincialis Hispaniae in conventu Vallisoletano,
Provincialis Tholosanae in conventu Tholosano,
Provincialis Franciae in conventu Parisiensi vel Lugdunensi,
Provincialis Teutoniae in conventu Nurembergensi vel Augustensi,
Provincialis Hungariae in conventu Budensi,
Provincialis Poloniae in conventu Wratislaviensi vel Cracoviensi,
Provincialis Angliae in conventu Londoniensi,
Provincialis Aragoniae in conventu Barchinonensi,
Provincialis Daciae in conventu Lubicensi,
Provincialis provinciae Provinciae in conventu Montispessulani,
Provincialis Boemiae in conventu Pragensi,
Provincialis Saxoniae in conventu Lipsiensi,

---

38) Pragensi *om.* P. — 39) Lipsiensi] Longensi S.

Provincialis Portugalliae in conventu Ulixbonensi,
Provincialis Scotiae in conventu Parisiensi vel Brugensi,
Provincialis Bethicae in conventu Hispalensi,
Provincialis Hiberniae in conventu . . . . ; qui conventus teneantur eas quantotius mittere reverendissimo magistro generali et reverendo procuratori, ut habeant, unde se sustentent.

Mandamus omnibus fratribus et sororibus, ut durante concilio Lateranensi dicant conventualiter post matutinas et completorium has orationes: Psalmus « Ad te levavi oculos meos », « Veni sancte spiritus », « Sub tuum praesidium », « Kyrie eleison », « Pater noster », cum versiculo: « Emitte spiritum tuum et creabuntur », et orationem: « A cunctis nos quaesumus domine », ut dominus deus concilium illud dirigat ad salutem et utilitatem ecclesiae suae sanctae.

Praecipimus omnibus reverendis provincialibus et vicariis generalibus praesertim provinciae Hispaniae, Aragoniae, Portugalliae et Bethicae sub poena excommunicationis et absolutionis a suis officiis, ne mittant fratres ad collegium de Alcala de Henares extra ordinem, sed potius iam revocent missos. Et damus auctoritatem reverendo patri provinciali provinciae Hispaniae, ut fratres illic existentes possit inde eiicere et inobedientes punire.

Istae sunt denuntiationes.

Denuntiamus sanctissimum dominum nostrum pontificem modernum divisisse provinciam Hispaniae, quae hactenus fuit una, in duas, quarum una retinet nomen provinciae Hispaniae, alia vero dicitur provincia Bethicae (1).

Denuntiamus fr. Aegidium Carronelli (2) magistrum in theologia absolutum esse ab officio provincialatus provinciae Franciae et non esse provincialem, ipsumque persistentem obstinatum in dicto officio cum omnibus de cetero adhaerentibus tamquam schismaticos in nostro ordine habendos.

Denuntiamus sanctissimum dominum nostrum papam inter plerasque litteras suae sanctitatis, quas dedit circa absolutionem fratris Aegidii Charonelli, etiam has subscripti tenoris de verbo ad verbum dedisse:

Leo papa decimus universis et singulis praesentes litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem.

---

4) provincialis] vicarius S.

---

(1) Qua de re cf. BO. IV, 311 n. 24.

(2) De fr. Aegidio Carronelli (*al.* Charonelli, Charondelli) cf. MOPH. VIII, 401; BO. IV, 303 n. 11.

Quoniam quidam Aegidius Charonelli ordinis praedicatorum gerens se pro provinciali Franciae debitam obedientiam erga superiores suos, quae una virtus religiosorum maxime propria est, animo ambitione depravato, ut verosimile est, fugiens, iam bis aut ter obtinuit obreptitie seu subreptitie, confingendo se a quibusdam molestari litteras apostolicas sub plumbo et in forma brevis, quas nos cum omnibus inde secutis et gestis a iudicibus deputatis annullavimus et irritavimus, prout plenius in litteris nostris desuper confectis continetur, et adhuc verendum sit, ne sub alio palliato colore alias litteras apostolicas in sui favorem in eadem causa subreptitie quoque et obreptitie impetret aut iam impetraverit, eapropter desiderantes pacem dicti ordinis in provincia Franciae, volentesque absolutionem dicti Aegidii ab officio prioratus provincialis dictae provinciae factam a dilecto filio moderno generali magistro dicti ordinis effectum habere celebrarique capitulum eiusdem ordinis generale in civitate Neapolitana absque omni prorsus sua aut dicti magistri generalis molestatione, motu proprio, non ad alicuius super hoc oblatae nobis petitionis instantiam, sed de nostra mera libertate et ex certa scientia nostra declaramus, omnes litteras, commissiones, concessionesque apostolicas, etiam in forma brevis, etiam cum supplicatione inclusiva ad certos iudices qualitercumque etiam per viam cancellariae nostrae aut contradictarum obtentas vel obtinendas, cum omnibus inde subsecutis aut subsequendis, quatenus dictam absolutionem impedirent, aut aliquam capitulo aut generali praedictis molestiam afferre possent, nisi consimili motu in illis expressa ac specifica praesentium literarum et datae ipsarum cum derogatione mentio fiat, nullius esse, fuisse aut fore roboris vel momenti; non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis appellationibus a dicto Aegidio aut aliis sibi adhaerentibus praemissorum occasione quomodolibet interpositis aut interponendis, quas cum omnibus inde subsecutis seu subsequentibus irritamus, ac quibuscumque litteris apostolicis cum quibusvis clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis et insolitis, etiam si de verbo ad verbum et non per clausulas id importantes mentio habenda esset, caeterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die ·xxiii· maii ·mdxv· pontificatus nostri anno tertio.

Advertant bene universi et singuli litteras apostolicas, quas in favorem ipsius Aegidii Charonelli exhibentur, nisi hanc clausulam contineant « motu proprio » et praemissis litteris specifice derogetur, omnes subreptitias esse et nihil illi iuris conferre.

Denuntiamus renuntianda esse reverendissimo magistro generali ad pedes sanctissimi domini nostri papae haec infrascripta monasteria: sanctae

Annae de Nucera provinciae Regni, sancti Iuliani de Florentia provinciae Romanae, sancti Dominici de Narnia et Fulginei provinciae Romanae et monasterium Aquense provinciae Provinciae; et hoc quia non potest illa ordo gubernare.

Istae sunt declarationes.

Declaramus, quod baccalarii in his actis assignati et ex commissione assignandi, antequam praesententur universitatibus, debent esse examinati per deputatos a reverendis provincialibus, ut possit constare de eorum sufficientia, quae habetur in confirmationibus additionum, quae fiunt in capitulo de studentibus.

Declaramus et volumus, quod poenae extra constitutiones appositae ipso facto incurrendae, nisi sint excommunicationis, exigunt declarationem superioris in particulari, nisi ipsemet reus seipsum declaret, quod facere debet humiliter recognoscens errorem suum, si factum est publicum vel notorium; si enim ipse se declaraverit, alia non sit opus declaratione.

Declaramus ex virtute cuiuscumque assignationis vel licentiae tam in actis huius capituli factae quam faciendae in posterum per litteras reverendissimi magistri vel alias quomodocumque ad gradum baccalariatus et supra, nullus potest promoveri, nisi habuerit licentiam capituli provincialis suae provinciae vel suae congregationis. Nolentes, quod fratres congregationis Terrae Laboris possint promoveri nisi in conventu sancti Dominici de Neapoli.

Istae sunt approbationes.

Approbamus clausuram monasteriorum, quam reverendus vicarius congregationis Theutoniae fecit in sibi commissis monasteriis, praecipientes in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae vicario pro tempore eiusdem congregationis et aliis praesidentibus sub poena excommunicationis, ne quis quovis quaesito colore praesumat dare auxilium vel consilium et favorem, quominus clausura huiusmodi inviolabiliter observetur.

Approbamus ordinationem factam ab eodem vicario in capitulo suae congregationis, scilicet quod quilibet conventus et quodlibet monasterium suae congregationis contribuat annue unum florenum aureum pro manutentione officialium et studentium studii Friburgensis.

Approbamus lecturas fr. Francisci de Ferraria (1) et fr. Chrysostomi de Casali (2) congregationis Lombardiae et licentiamus eos ad magisterium.

---

9) confirmationibus] approbationibus S.

---

(1) De fr. Francisco de Ferraria cf. supra pag. 90.

(2) De fr. Chrysostomo de Casali cf. l. c. pag. 119.

Approbamus conformiter ad acta praecedentis capituli generalis lecturam fr. Adriani de Nullay et licentiamus eum ad prosequendum cursum suum Parisius usque ad magisterium inclusive.

Approbamus lecturam fr. Dominici de Alcaraz provinciae Hispaniae, fr. Petri Mellis (1), fr. Gerardi Bie (1) provinciae Theutoniae, fr. Henrici Baell (1), fr. Ioannis de Tremonia (1) et licentiamus eos ad magisterium post examen et sufficientiam iudicatam ; fr. Ioannis Martines (2), fr. Amatoris Spi, fr. Hieronymi Gallae et fr. Ludovici Romboletto provinciae Aragoniae, et licentiamus eos ad magisterium post examen et sufficientiam iudicatam ; fr. Michaelis de Insulis (3) provinciae Daciae et licentiamus eum ad magisterium post examen et sufficientiam iudicatam ; fr. Andreae Gingonis, fr. Marqueti Lombardi, fr. Michaelis Paschalis (4), fr. Severini Vinandi, fr. Petri Arnandi, fr. Ioannis Cedronis provinciae Provinciae, et licentiamus eos ad magisterium post examen et sufficientiam iudicatam ; fr. Gabrielis de Vercellis (5), fr. Michaelis de Ast (6), fr. Iacobi de Cherio, fr. Archangeli de Iporegia, fr. Barnabae de Taurino (7), et licentiamus eos ad magisterium post examen et sufficientiam iudicatam [iudicio] examinatorum a reverendissimo magistro deputandorum et relationem faciendam eidem reverendissimo magistro atque approbationem eiusdem, et non aliter.

Approbamus magisteria fr. Ioannis Hurtado (8) et fr. Michaelis de Salamantica et fr. Nicolai de Polanco provinciae Hispaniae, fr. Adeodati Austrini, fr. Reginaldi Gastulo, fr. Dionysii de Casanova, fr. Vitalis de Bathanis, fr. Antonii Giberdonis provinciae Tolosanae ; fr. Claudii de Rota (9) conventus Lugdunensis provinciae Franciae ; fr. Damiani Lori Veneti (10), fr. Antonii Veneti (11), fr. Alberti de Utino (12) provinciae

---

4) fr. — Hispaniae *om.* P. — 6) Baell] Bad P. — 7) fr. — Hispaniae *om.* P. — 21) fr. Ioannis — Trinacriae *om.* P.

---

(1) De fr. Petro Mellis, fr. Gerardo Bie, fr. Henrico Baell (Barll), fr. Ioanne de Tremonia cf. l. c. pag. 73.

(2) De fr. Ioanne Martines cf. l. c. pag. 77.

(3) De fr. Michaele de Insulis cf. MOPH. VIII, 434.

(4) De fr. Michaele Paschalis cf. supra pag. 70.

(5) De fr. Gabriele de Vercellis cf. l. c.

(6) De fr. Michaele de Ast cf. l. c. pag. 74.

(7) De fr. Barnaba de Taurino cf. l. c. pag. 88.

(8) De fr. Ioanne Hurtado cf. SSOP. II, 62.

(9) De fr. Claudio de Rota cf. supra pag. 73.

(10) De fr. Damiano Loro cf. SSOP. II, 86.

(11) De fr. Antonio Veneto cf. supra pag. 51.

(12) De fr. Alberto de Utino cf. l. c. pag. 75.

s. Petri Martyris, fr. Antonii de Caieta (1) provinciae regni Siciliae; fr. Michaelis de Saravezzia (2) provinciae Romanae; fr. Stephani Gay (3), fr. Ioannis Carbonis provinciae Provinciae; fr. Balthasaris Mendell (4) provinciae Bohemiae; fr. Sebastiani de Constantino provinciae Trinacriae, fr. David Bron (5) provinciae Angliae, fr. Benedicti de Luca provinciae Romanae, fr. Antonii Criado (6) provinciae Bethicae, fr. Ioannis de Eckenfeldia provinciae Saxoniae, fr. Dominici de Cataro (7) et fr. Vincentii de Lesina provinciae Dalmatiae, fr. Nicolai de Moliterno provinciae regni Siciliae, quos reverendissimus magister generalis post examen rigorosum sufficientes declaratos auctoritate apostolica in hoc capitulo gradu magisterii donavit.

Approbamus magisteria fr. Michaelis de Augusta (8) provinciae Theutoniae, fr. Ioannis de Campis [et] fr. Matthaei Sturin (9) provinciae Saxoniae.

Approbamus translationes fr. Petri Martini (10) a conventu Ambianensi et fr. Ioannis Belti a conventu Compediensi ad conventum Bituricensem; fr. Marci de Este a conventu Estensi ad conventum Montis Silicis, fr. Marci de Tervisio a conventu Bononiensi ad conventum Tervisanum, fr. Georgii de Ferraria a conventu s. Dominici de Ferraria ad conventum s. Dominici de Civitato, fr. Petri Martyris de Parma a conventu Parmensi ad conventum s. Dominici de Ferraria, fr. Hieronymi de Parmiladis de Ferraria a conventu s. Mariae de Angelis de Ferraria ad conventum s. Dominici, fr. Benedicti de Zoano et fr. Francisci de Clarasco ad conventum s. Dominici de Ianua, fr. Antonii de Savona et fr. Pauli de Corduba ad conventum s. Dominici de Albinga, fr. Augustini de la Cruce ad conventum s. Eustorgii de Mediolano, fr. Marci de

13) Sturin] Sturnii S. — 15) Approbamus — Vallesorris] Approbamus translationem omnium fratrum in actis positorum, fr. Henrici Maynardi [et] fr. Nicolai Weger ex provincia Saxoniae ad conventum Treverensem; fr. Ioannis Danielis, fr. Conradi Institoris, fr. Iodoci Modesbach de provincia Saxoniae ad conventum Confluentinum provinciae Theutoniae, fr. Gotfridi Han de conventu Maguntino ad conventum Confluentinum, fr. Ioannis Burchardi magistri ad conventum Argentinensem P.

(1) De fr. Antonio de Caieta cf. l. c. pag. 71.
(2) De fr. Michaele de Saravezzia cf. SSOP. II, 38.
(3) De fr. Stephano Gay cf. supra pag. 88.
(4) De fr. Balthasare Mendel cf. l. c. pag. 93.
(5) De fr. David Bron cf. l. c. pag. 124.
(6) De fr. Antonio Criado cf. l. c. pag. 88.
(7) De fr. Dominico de Cataro cf. l. c. pag. 90.
(8) De fr. Michaele de Augusta cf. l. c. pag. 76.
(9) De fr. Matthaeo Sturin (Sturnii) cf. l. c. pag. 75.
(10) De fr. Petro Martini cf. l. c. pag. 19.

Alemania de congregatione Terrae Laboris ad provinciam s. Dominici, fr. Antonii Hyvibrersensis magistri ex conventu Albiensi ad conventum Fanjovis, fr. Bernardi Lamberti a conventu Altivillaris ad conventum Agenni provinciae Tolosanae, fr. Henrici Nicardi, fr. Nicolai Urger ex provincia Saxoniae ad conventum Trevirensem [provinciae] Teutoniae, fr. Engelgardi Pistoris, fr. Vincentii Berden, fr. Aegidii Estercher ad conventum Herbipolensem, fr. Ioannis Danielis, fr. Conradi Institoris, fr. Iodoci Modesbach de provincia Saxoniae ad conventum Confluentinum provinciae Teutoniae, fr. Humberti Alberti de conventu Chamberiaci ad conventum Gebennensem, fr. Gotfridi Han de conventu Maguntino ad conventum Confluentinum, fr. Ioannis Burchardi (1) magistri ad conventum Argentinensem, fr. Ioannis de Canali de conventu Chamberiaci provinciae Franciae ad conventum Carpentoracti, fr. Heverardi magistri ex conventu Wormatiensi, fr. Alexii Burcher ex conventu Bernensi, hos ad conventum Thuricensem provinciae Teutoniae; fr. Petri Albarethi ex conventu Rutenensi provinciae Tolosanae ad conventum Aemiliani, fr. Iacobi Scaloni a conventu Barchinonensi ad conventum Balagarii provinciae Aragoniae.

Item. Approbamus concordiam factam inter conventum Vapini et nobilem virum de s. Marcello dominum de Vallesorris.

Approbamus reformationem conventus Montispessulani et Avinionensis factam per reverendum patrem fratrem provincialem provinciae Provinciae et concedimus ei, quod possit recipere fratres benivolos ad vitam regularem venientes cum licentia sui provincialis vel vicarii et facere filios conventus Montispessulani; quodque possit de consilio discretorum fratres, qui adoptati sunt in filios dicti conventus adversantes vitae regulari filiatione ipsa privare.

Approbamus concessionem et auctoritatem datam a priorissa et sororibus monasterii beatae Mariae de Prulliano diocesis sancti Papuli senescalliae Tholosanae domino Ioanni de Ballaris presbitero et vicario perpetuo ecclesiae parochialis sanctae Mariae loci de Fortis dioecesis praedictae, ut possit fundare unum obitum seu capellaniam ex fructibus dicti vicariatus.

Item. Concessionem factam ab eisdem priorissa et sororibus domino Ioanni de Fargis presbytero, utriusque iuris bacchalario, syndico eiusdem monasterii, ut possit condere testamentum et ordinare de bonis acquisitis in administratione bonorum dicti monasterii.

29) beatae Mariae *om.* S. — 31) loci *om.* S.

(1) De fr. Ioanne Burchardi cf. SSOP. II, 114.

Istae sunt translationes.

Transferimus fr. Bernardum Armandi magistrum, fr. Guilelmum Roque, fr. Dominicum Roque, fr. Michaelem Berbeti, fr. Reginaldum Gastulo magistrum, fr. Ioannem Gerlandi, fr. Sebastianum Clari, hos ex congregatione Franciae ad provinciam Tolosanam.

Fr. Bernardum de Luca a conventu Lectorii ad conventum suum originalem Marciaci, fr. Sancium Gervasii magistrum a conventu Condomiensi ad conventum suum originalem Altivillaris provinciae Tolosanae captantes eorum incorporationem in dictis conventibus, a quibus transferuntur.

Fr. Pauli de Lenclano de conventu Venusino ad conventum Varri, fr. Benedictum de Petra Roya de conventu Certiae maioris sanctae Mariae de Libera ad conventum s. Dominici de Summa, fr. Antonium Marcionis de Neapoli de conventu Aversano ad conventum s. Dominici de Summa, omnes provinciae regni Siciliae.

Fr. Nicolaum de Ferrandina a conventu Messanae provinciae Trinacriae ad congregationem Apuliae et conventum Ferrandinae, fr. Marcum Fribergrot et fr. Vitum Panger ad conventum Augustensem provinciae Teutoniae, fr. Iacobum de Prato a conventu Pratensi ad conventum Calliensem, fr. Iohannem de Como de conventu Comensi provinciae s. Petri Martyris ad conventum Fulginei provinciae Romanae, fr. Hieronymum Gianottum (1) de Pistorio ex conventu s. Romani de Luca ad conventum s. Dominici de Pistorio.

Fr. Alphonsum de Castro magistrum, fr. Paulum de Espinar, fr. Christophorum de Gamire, fr. Thomam de Fuentes omnes ex provincia Hispaniae ad provinciam Aragoniae.

Fr. Andream conversum de conventu Fribergensi provinciae Saxoniae ad conventum Wratislaviensem provinciae Poloniae, fr. David de Mirabello de conventu Casali ad conventum Franchae Villae, fr. Marcum de Laude ad conventum Claraschi provinciae s. Petri Martyris, fr. Wilhelmum de Bohemia ex conventu Ratisbonensi ad conventum Litomericensem provinciae Bohemiae, fr. Hugonem de Leidis ex conventu Bremensi ad conventum Harlemensem provinciae Saxoniae congregationis [Hollandiae], fr. Stephanum de Farenilla de conventu Siracusano ad conventum s. Dominici de Messina, fr. Ioannem de Smiroldu ex conventu Plotiae

2) fr. Bernardum — Moduni congregationis Apuliae] Marcum Friberget et fr. Vitum Panget ad conventum Augustensem provinciae Theutoniae. — Fr. Wilhelmum de Bohemia de conventu Ratisponensi ad Lithomiricensem provinciae Boemiae. — Fr. Hugonem de Leidis ex conventu Bremensi ad conventum Harlemensem provinciae Saxoniae congregationis Hollandiae P.

(1) De fr. Hieronymo Gianotto cf. l. c. pag. 75.

ad conventum suum originalem s. Dominici de Messina, fr. Sebastianum Poglisotum a conventu Tauromenii ad conventum s. Dominici de Messina, si eum velit recipere, omnes provinciae Trinacriae.

Fr. Aloysium Hispanum ex provincia regni Siciliae congregationis Apuliae ad provinciam Baeticae a reverendo illius provinciali alicui conventui assignandum, fr. Andream de Manganes de conventu Benaventano ad conventum Zamorensem, fr. Iohannem de Hontiverosa a conventu Segoviensi ad conventum s. Mariae de Francia, fr. Bartholomaeum de s. Maria a conventu Civitatis Regalis provinciae Baeticae ad conventum s. Mariae de Nieva provinciae Hispaniae, fr. Garciam de Chinchilla a conventu de Chinchilla provinciae Baeticae ad conventum s. Mariae de Nieva provinciae Hispaniae, fr. Alfonsum de Iaceba a conventu Civitatensi ad conventum s. Mariae de la Peña de Francia.

Fr. Nicolaum de Trano ex conventu Andriae ad conventum Tranensem provinciae regni Siciliae, fr. Petrum de Surtino sive de Orologio ex quocumque conventu ad conventum Siracusanum provinciae Trinacriae, ubi recepit habitum, fr. Franciscum de Moduno de conventu Bituntino ad conventum Moduni congregationis Apuliae.

Istae sunt acceptationes.

Acceptamus vel potius acceptanda committimus in conventus ordinis reverendissimo magistro generali loca Mataloni, Briatici in provincia regni Siciliae, et sancti Vincentii villae de Ontinyent provinciae Aragoniae, sancti Antonii de Camerata in provincia Trinacriae.

Acceptamus oratorium sanctae Mariae de Ascrone et oratorium sanctae Mariae in finibus Ocleti inferioris in provincia sancti Petri Martyris.

Acceptamus ad beneficia et suffragia ordinis R. P. fr. Ioannem Mariam Canisianum ex nostro ordine per sanctissimum dominum nostrum in abbatem generalem ordinis Vallisumbrosae assumptum.

Istae sunt assignationes.

Conventui Parisiensi assignamus ad legendum sententias pro primo anno 1515 in magnis scholis in loco intraneis debito fr. Antonium Sanguin (1) conv. Ebroicensis; in parvis scholis fr. Amadeum Megreti (2) conventus Lugdunensis ; ad legendum bibliam fr. Stephanum Cymbali conventus Lexoviensis. Pro anno secundo 1516 in magnis scholis in loco ex-

25) finibus] foribus P. — 31) conventui — Vergaria *om.* S.

(1) De fr. Antonio Sanguin cf. supra pag. 118.
(2) De fr. Amadaeo Meygreti cf. l. c.

traneis debito fr. Franciscum de Victoria (1) provinciae Hispaniae, in parvis scholis fr. Ioannem Carineau (2) conv. Metensis; ad legendum bibliam fr. Nicolaum Gregorii conventus Trecensis. Pro tertio anno 1517 in magnis scholis in loco intraneis debito fr. Claudium Campaniste (3) conventus Catalaunensis, in parvis scholis fr. Ioannem de Vero (4) conventus Belvacensis; ad bibliam. . . . . Pro quarto anno 1518 in magnis scholis in loco extraneis debito fr. Adelbertum Dionysii de provincia Provinciae, in parvis scholis fr. Carolum Pinelli conventus Nannetennis, ad legendum bibliam . . . .

In studentem pro rata (?) forma fr. Franciscum de Sevris conventus Tolosani, fr. Wilhelmum Andreson pro rata provinciae Scotiae, fr. Nicolaum Lang pro rata nationis Hiberniae, fr. Petrum Manrique pro rata provinciae Hispaniae.

Conventui Coloniensi provinciae Theutoniae damus in regentem fr. Conradum Kollin (5) magistrum, in biblicum fr. Ioannem de Vienna (6), de reliquis officialibus diffinitorium capituli provincialis providebit.

In studentes assignamus fr. Christianum Michaelis, fr. Hermannum de Zutphania, fr. Wilhelmum Gladbach, fr. Petrum As, fr. Ioannem Molitoris, fr. Nicolaum de Horn, fr. Iacobum Wedlich, fr. Adrianum de Haga, fr. Ioannem de Lewardia, fr. Thomam Brisich, fr. Robertum de Swetia, fr. Tilmannum de Syburgo, fr. Ioannem Echt, fr. Sergium Hattingen, fr. Thomam de Buren, fr. Petrum de Haghis, fr. Anselmum de Novimagio, fr. Antonium de Columbaria, fr. Dominicum de Swollis, fr. Ioannem Halvet, fr. Wibrandum de Lewardia, fr. Franciscum Hasselt, fr. Wichmannum de Brunswich, fr. Ioannem Hoelmer.

Conventui Viennensi provinciae Theutoniae assignamus in regentem fr. Martinum Hopper (7) magistrum, de reliquis officialibus et studentibus diffinitorium capituli provincialis providebit.

Conventui Heydelbergensi eiusdem provinciae assignamus in regentem fr. Michaelem Vehe (8) magistrum, ad legendum sententias fr. Vincentium Wisberch et fr. Ioannem Baell eiusdem provinciae; de magistro studentium providebitur in capitulo provinciali a diffinitorio; in studentem theologiae fr. Dominicum de Swidnicz conventus Wratislaviensis

(1) De fr. Francisco de Victoria cf. l. c.
(2) De fr. Ioanne Carineau cf. l. c.
(3) De fr. Claudio Campaniste cf. l. c.
(4) De fr. Ioanne de Vero cf. l. c. pag. 119.
(5) De fr. Conrado Kollin cf. l. c. pag. 74.
(6) Forte idem ac Ioannes Illing, de quo Brunner l. c. pag. 4.
(7) De fr. Martino Huppaur cf. supra pag. 53.
(8) De fr. Michaele Vehe cf. l. c. pag. 74.

provinciae Poloniae; de reliquis providebit reverendus pater provincialis.

Conventui Lovaniensi eiusdem provinciae damus in regentem fr. Michaelem Salmanticensem (1) de Hispania magistrum, in baccalarium ad legendum sententias pro primo anno fr. Theodoricum Boerzze, in magistrum studii pro primo anno fr. Ioannem de Insulis, pro secundo fr. Theodoricum Boerzze, in studentes fr. Matthaeum de Busco, fr. Ioannem de Bergis.

Conventui Friburgensi eiusdem provinciae assignamus in regentem fr. Michaelem de Augusta (2) magistrum, in baccalarium ad legendum sententias pro duobis annis fr. Wendelinum de Constantia examinatum, in biblicum fr. Nicolaum de Argentina, pro tertio anno in baccalarium fr. Nicolaum de Argentina examinandum.

Conventum Granatensem provinciae Bethicae erigimus in studium generale et damus in regentem fr. magistrum Alexium (3), ad legendum sententias pro forma et gradu fr. Hieronymum de Vergaria.

Conventui Bononiensi provinciae s. Dominici damus in regentem pro primo, secundo et tertio anno fr. Vincentium de Vicentia (4) magistrum; ad legendum sententias pro primo anno fr. Chrysostomum de Casali (5), quem postea ad magisterium licentiamus; ad legendum extraordinarie pro forma et gradu fr. Felicem de Cracovia (6) provinciae Poloniae, pro secundo et tertio anno fr. Ludovicum de Landriano (7), cui substituimus fr. Chrysostomum de Mirandula; in magistrum studentium pro primo anno fr. Bartholomaeum de Bononia (8), pro secundo fr. Iohannem de Bergamo, pro tertio fr. Angelum de Faventia, cui substituimus fr. Ludovicum de Verona. In studentes fr. Vitum de Mathera et fr. Augustinum de Balneolo pro rata provinciae regni Siciliae; fr. Paulum de Aretio et fr. Archangelum de Florentia pro rata provinciae Romanae; fr. Adrianum de Cracovia pro rata provinciae Poloniae; fr. Franciscum Thim pro rata provinciae Saxoniae usque ad complementum sui triennii; fr. Stephanum de Cassano (9) pro rata provinciae Terrae Sanctae; fr. Ioseph de Cattania pro rata provinciae Trinacriae.

16) conventui — Velazquez *om.* P.

(1) De fr. Michaele Salmanticen. cf. l. c. pag. 144.
(2) De fr. Michaele de Augusta cf. l. c. pag. 145.
(3) De fr. Alexio cf. l. c. pag. 120.
(4) De fr. Vincentio de Vicentia cf. l. c. pag. 123.
(5) De fr. Chrysostomo de Casali cf. l. ç. pag 143.
(6) De fr. Fel. de Cracovia cf. l. c. pag. 70.
(7) De fr. Ludovico de Landriano cf. l. c. pag. 119.
(8) De fr. Bartholomaeo de Bononia cf. l. c.
(9) De fr. Stephano de Cassano cf. SSOP. II, 93.

Conventui Salmantino provinciae Hispaniae assignamus in regentem fr. Petrum Legionensem (1) magistrum, ad legendum sententias fr. Martinum de Pedrasta.

Conventui Vallisoletano assignamus in regentem fr. Alphonsum Bustillo (2) magistrum, ad legendum sententias fr. Vincentium de Valentia.

Conventui Toletano assignamus in regentem fr. Franciscum Castillejo (3) magistrum, ad legendum sententias fr. Petrum de s. Maria.

Conventui Abulensi, ubi constituimus studium generale, de novo assignamus fr. Ioannem Hurtado (4) magistrum, ad legendum sententias fr. Thomam de Cayas.

Collegio s. Gregorii Vallisoletano assignamus in regentem fr. Dominicum de Parraga magistrum, ad legendum sententias fr. Dominicum Velazquez.

Istae sunt absolutiones.

Absolvimus ab officio provincialatus provinciae Theutoniae venerandum patrem fr. Laurentium Ufkirchen et instituimus in vicarium eiusdem provinciae venerandum patrem fr. Paulum Huq (5) priorem conventus Wormatiensis cum solita auctoritate vicariorum, quousque prior provincialis electus et confirmatus et praesens in provincia extiterit.

Absolvimus ab officio prioratus provincialis provinciae Bohemie venerandum patrem fr. Paulum Wezzerlin, qui officio renunciavit et a capitulo provinciali illius provinciae, quantum in eis fuit, renuntiatio acceptata fuit propter eius senium et impotentiam et facimus eum vicarium cum auctoritate solita vicariorum, quousque prior provincialis electus, confirmatus et praesens in provincia extiterit, damusque ei auctoritatem confirmandi novum provincialem canonice electum. Quod si ipse ab humanis discesserit, possit ipsum provincialem confirmare primus diffinitor capituli provincialis, in quo eligetur; quem si eligi contigerit, possit id facere secundus diffinitor.

Absolvimus reverendum provincialem provinciae Romanae, quia complevit quadriennium suum, et facimus eum vicarium, quousque provincialis electus et confirmatus et praesens in provincia extiterit.

---

17) Ufkirchen] Ushuchen P. — 22) Wezzerlin] Wergerlin S.

---

(1) De fr. Petro Legionen. cf. supra pag. 72.
(2) De fr. Alphonso Bustillo cf. l. c. pag. 82.
(3) De fr. Francisco Castillejo cf. l. c. pag 119.
(4) De fr. Ioanne Hurtado cf. l. c. pag. 144.
(5) De fr. Paulo Hug cf. l. c. pag. 124.

Absolvimus reverendum provincialem provinciae regni Siciliae, quia complevit tempus suum et facimus eum vicarium, quousque etc. ut supra.

Absolvimus reverendum provincialem Trinacriae, quia complevit quadriennium suum, et facimus eum vicarium, quousque etc. ut supra.

Istae sunt poenitentiae.

Damnamus fr. Aegidium Charonelli (1) provinciae Franciae ad carcerem et privamus eum voce activa et passiva et omni officio ordinis ac mandamus unicuique praesidenti in provincia illa, ut, ubicumque eum habere poterunt, incarcerent ac detineant cum invocatione brachii saecularis, si opus fuerit, propter rebellionem ipsius et intrusionem eiusdem in officio provincialatus post absolutionem a dicto officio factam a magistro ordinis cum multis poenis adiunctis et specialiter carceris, si se gereret pro provinciali Franciae. Et si obstinatus perseveraverit in huiusmodi pertinacia et intrusione dicti officii, ipsum procul dubio gravissima culpa reum habitu ordinis privamus et eiectum ab ordine denuntiamus et declaramus.

Damnamus fr. Vincentium de Casali confessum in iudicio tot crimina et propter (invictam) transgressionem praecepti sub poena gravissimae culpae, ut apparet ex processu contra eum facto per reverendum provincialem Graeciae nobis exhibito, ad poenam gravissimae culpae, hoc est privationem habitus, nisi infra quindecim dies a notitia praesentium iter arripuerit et recta via continuaverit ac se praesentaverit reverendissimo salutarem suscepturus poenitentiam.

Privamus habitu ordinis fr. Matthaeum Nisseum provinciae Dalmatiae propter suam incorrigibilitatem, quae apparet in processu contra eum facto per reverendum provincialem etc. ut supra.

Privamus habitu ordinis fr. Hieronymum de Ravenna propter suam incorrigibilitatem, quae apparet in processu contra eum facto per reverendum provincialem Graeciae et nobis exhibito, nisi infra sex menses a notitia praesentium comparuerit coram reverendissimo magistro poenitentiam salutarem suscepturus.

Istae snnt commissiones.

Committimus reverendissimo magistro ordinis omnem nostram auctoritatem et facultatem addendi, mutandi, minuendi, dispensandi et breviter omnia et singula faciendi et immutandi, quae generale capitulum posset, etiamsi talia forent, quae mandatum exigerent magis spe-

---

25) Nisseum] Misseum S.

---

(1) De fr. Aegidio Charonelli cf. l. c. pag. 141.

ciale, volentes, quod simplici verbo eius credatur, approbantes etc. et pro insertis habentes omnes et singulas eius litteras.

Committimus et concedimus singulis huius capituli reverendis provincialibus et diffinitoribus praesentibus, quod quilibet possit facere duos iubilarios in provincia sua alias idoneos et aetatis quinquaginta annorum et recipiendi unum apostatam in sua provincia, servatis constitutionibus et cum litteris testimonialibus.

Committimus rationabilibus de causis nos moventibus reverendo patri fr. Francisco Archeri (1) magistro, provinciali provinciae Provinciae visitationem provinciae Tolosanae in capite et in membris, et facimus eum vicarium reverendissimi magistri generalis super conventus et monasteria quaecumque eiusdem provinciae cum plenissima facultate absolvendi quoscumque officiales etiam reverendum patrem provincialem, si videbitur expedire, praecipiendi, excommunicandi, puniendi, ordinandi, capitulum provinciale, si oporteat, pro electione convocandi et omnia alia faciendi, quae reverendissimus magister ordinis posset, si personaliter praesens esset; praecipientes omnibus et singulis eiusdem provinciae personis a iurisdictione provincialis non exemptis, ut ipsi in omnibus obediant, volentes hanc auctoritatem durare, quamdiu fuerit in provincia illa.

Committimus reverendis sacrae theologiae magistris fr. Petro Martini (2), priori conventus Bituricensis et fr. Antonio Damas Matisconensis conventus provinciae Franciae, ut super excessibus fr. Vincentii Mignoti conventus Aurelianensis, fr. Claudii Rolini conventus Gratianopolitani, fr. Ioannis Magni, fr. Stephani Maioris conv. Poliniaci, fr. Ioannis Boni, fr. Martini Alberti conventus Lugdunensis et fr. Ioannis Parisoti delatis per capitulum provinciale Gratianopolitanum eiusdem provinciae huic capitulo, diligenter inquirant et forment processus; dantes eis ad hoc plenissimam auctoritatem citandi, praecipiendi, excommunicandi, testes cogendi, processus formandi et omnia alia ad haec opportuna faciendi usque ad sententiam diffinitivam exclusive, quam reservamus reverendissimo magistro generali ferendam; mandantes dictis commissariis, ut omni passione semota recte incedant et quantocius processus, quos fecerint, reverendissimo magistro generali mittant, et volumus eis ab omnibus obediri.

Ista sunt suffragia pro vivis.

In primis pro sanctissimo domino papa Leone decimo, qui dedit

---

9) Archeri] Matthaei P. — 24) Rolini] Volini S. — 25) Maioris] Marionis S. — 26) Parisoti] Perisoti S.

---

(1) De fr. Francisco Archeri cf. supra pag. 123.

(2) De fr. Petro Martini cf. l. c. pag. 145.

capitulo plenariam indulgentiam, et est ordini nostro plurimum affectus, quilibet sacerdos unam missam.

Pro serenissimo et catholico rege Aragonum et utriusque Siciliae, qui dedit huic capitulo largissimam eleemosynam, quilibet sacerdos tres missas.

Pro reverendissimo domino domino protectore et coetu dominorum cardinalium, quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo principe Bisignani, qui et ipse largissime benefecit capitulo huic, quilibet sacerdos unam missam.

Pro serenissima regina Ioanna, quae largissimam eleemosynam dedit capitulo et illud muneribus suis ornavit, quilibet sacerdos unam missam.

Pro inclita civitate Neapolitana, quae pinguem contulit eleemosynam, quilibet sacerdos unam missam.

Pro omnibus benefactoribus huius capituli quilibet sacerdos unam missam, et nihilominus recipimus eos participes in omnibus bonis, quae per ordinem fiant, donec sit pro eis satisfactum in conspectu divinae maiestatis.

Pro bono statu et reformatione ordinis ac pro reverendissimo magistro ordinis et eius societate et reverendo procuratore ordinis quilibet sacerdos unam missam.

Pro illis, qui per litteras ad beneficia ordinis sunt acceptati, quilibet sacerdos unam missam.

Ista sunt suffragia pro defunctis.

In primis pro anima reverendissimi domini Matthaei de Ursinis cardinalis ex nostro ordine assumpti, qui perpetuam eleemosynam reliquit capitulo generali, quilibet sacerdos unam missam.

Pro animabus omnium fratrum et sororum nostri ordinis quilibet sacerdos unam missam.

Pro animabus eorum, qui dum viverent, fuerunt recepti per litteras reverendissimi ad beneficia ordinis, quilibet sacerdos unam missam.

Loco missae clerici septem psalmos poenitentiales, conversi triginta pater noster dicant.

Sententias iudicum approbamus et volumus in suo robore permanere.

Auctoritatem diffinitorum adhuc existentium volumus durare usque ad diem dominicum inclusive.

Mandamus acta capituli per reverendos provinciales et socios provinciarum diligenter conscripta et correcta atque sigillo ordinis signata ad provincias deferri.

---

8) Bisignani] Bessiani P.

Sequens capitulum, quod erit diffinitorum, assignamus in conventu Vallisoletano provinciae Hispaniae hinc ad triennium videlicet ·MDXVIII· in festo pentecostes celebrandum.

Concedit reverendissimus magister ordinis generalis omnibus fratribus et sororibus ac personis tertii habitus licentiam, ut pro semel possint sibi eligere confessorem et absolvi ab omnibus praeteritis usque ad notitiam harum et dispensari in irregularitatibus, sicut possent a sua reverendissima paternitate.

Datum Neapoli in conventu sancti Dominici ·II· iunii ·MDXV·

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HAEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS ROMAE CELEBRATI IN CONVENTU SANCTAE MARIAE SUPER MINERVAM IN FESTO PENTHECOSTES ·XXIII· MAII ANNO DOMINI ·M°·D°·X°·VIII°· (1).

Sub reverendissimo in Christo patre fratre Garsia de Loaysa (2), sacrae theologiae professore, in eodem capitulo unanimiter electo, diffinientibus communiter reverendis provincialibus et diffinitoribus provinciarum videlicet:

fr. Ioanne Francisco magistro provinciali provinciae s. Dominici,
fr. Michaele de Genua (3) magistro provinciali provinciae Romanae,
fr. Hieronymo de Monopoli (4) magistro provinciali provinciae Regni Siciliae,
fr. Everhardo de Clivis (5) magistro provinciali provinciae Teutoniae,
fr. Ladislao de Quinque ecclesiis (6) mag. provinciali provinciae Hungariae,

1) Haec — Germaniae *ante* In *om. cod. impr.*

(1) Acta huius capituli prima, quod sciam, praelum subierunt; quae repeto servato scribendi tunc modo et interpunctionis.

(2) De fr. Garsia de Loaysa cf. supra pag. 124.

(3) De fr. Michaele de Ianua cf. l. c. pag. 47.

(4) De fr. Hieronymo de Monopoli cf. l. c. pag. 116.

(5) De fr. Everhardo de Clivis cf. l. c. pag. 93.

(6) De fr. Ladislauo de Quinque Ecclesiis cf. l. c. pag. 47.

fr. Zacharia (1) magistro provinciali provinciae Graeciae,
fr. Francisco de Vorirasia baccalaureo prov. provinciae Terrae sanctae,
fr. Francisco Arceri (2) magistro provinciali provinciae Provinciae,
fr. Balthasare Mendolin (3) magistro provinciali provinciae Bohemiae,
fr. Vincentio de Bucchia (4) magistro provinciali provinciae Dalmatiae,
fr. Hieronymo de Cherio (5) magistro provinciali provinciae s. Petri Martyris,
fr. Hermanno Rab (6) magistro provinciali provinciae Saxoniae,
fr. Petro Iacobo magistro provinciali provinciae Trinacriae,
fr. Ioanne Cude magistro provinciali provinciae Scotiae,
fr. Iacobo de Chalcar magistro prov. provinciae inferioris Germaniae,
fr. Hieronimo de Peñafiel diffinitore provinciae Hispaniae,
fr. Ioanne de Fenario (7) magistro diffinitore provinciae Tolosanae,
fr. Ioanne Lamberti magistro diffinitore provinciae Franciae,
fr. Alberto de Utino (8) magistro diffinitore provinciae s. Dominici,
fr. Prospero de Roma (9) magistro diffinitore provinciae Romanae,
fr. Mauro de Bitonto (10) magistro diffinitore provinciae Regni Siciliae,
fr. Michaele Vehe (11) magistro diffinitore provinciae Teutoniae,
fr. Thoma Fulgentii baccalaureo diffinitore provinciae Hungariae,
fr. Felice de Cracovia (12) magistro diffinitore provinciae Poloniae,
fr. Guilelmo Alden magistro diffinitore provinciae Angliae,
fr. Ioanne de Sala magistro diffinitore provinciae Aragoniae,
fr. Sebastiano Berardi baccalaureo diffinitore provinciae Provinciae,
fr. Martino Sturin magistro diffinitore provinciae Bohemiae,
fr. Martino magistro diffinitore provinciae s. Petri Martyris,
fr. Thoma de Ragusio (13) magistro diffinitore provinciae Dalmatiae,

---

17) Vehe] Ulre S.

---

(1) De fr. Zacharia de Ravenna cf. l. c. pag. 123.
(2) De fr. Francisco Arceri cf. l. c. pag. 153.
(3) De fr. Balthasare Mendel cf. l. c. pag. 145.
(4) De fr. Vincentio de Bucchia cf. SSOP. II. 119.
(5) De fr. Hieronymo de Cherio cf. supra pag. 93.
(6) De fr. Hermanno Rab cf. l. c. pag. 2.
(7) De fr. Ioanne de Fenario cf. l. c. pag. 82.
(8) De fr. Alberto de Utino cf. l. c. pag. 144.
(9) De fr. Prospero de Roma cf. l. c. pag. 22.
(10) De fr. Mauro de Bitonto cf. l. c. pag. 75.
(11) De fr. Michaele Vehe cf. l. c. pag. 149.
(12) De fr. Fel. de Cracovia cf. l. c. pag. 150.
(13) De fr. Thoma de Ragusio cf. l. c. pag. 54.

fr. Ioanne de Telis magistro diffinitore provinciae Saxoniae,
fr. Sebastiano baccalaureo diffinitore provinciae Portugalliae,
fr. Ioanne Spens diffinitore provinciae Scotiae,
fr. Petro Aladonela diffinitore provinciae Trinacriae,
fr. Dominico Melagareso praesentato diffinitore provinciae Baeticae,
fr. Andrea de Delphi diffinitore provinciae inferioris Germaniae.

In dei filio sibi charissimis universis et singulis patribus et fratribus ordinis Predicatorum frater Garsias de Loaysa sacre theologie professor ac totius eiusdem ordinis generalis magister et servus Salutem et Spiritus Sancti consolationem.

Regimini totius ordinis: impari licet virtute prepositus intuendum mihi diligentius iudico: et quantum meis humeris est additum onus: et cui in hac re successerim precessori. Onus quippe maximum cerno et meis viribus importabile, ni divinum adsit auxilium vestris precibus obtinendum. Precessor quoque quantus extiterit et nostis et novi. Is enim collapsum ordinem sapientia, virtute et prudentia instauravit, ut preclara eius gesta omittam, que commune ecclesie commodum attulerunt: et multo amplius expectantur allatura: cum dignis eiusdem meritis ad senatum illum supremum evectus est. Prefuit is ut diligentissimus pater totis incumbens viribus subditorum saluti atque utilitati ordinis, ob quod et satis et opus fore mihi non dubito eius semper inherere vestigiis: et cepta sectari. atque utinam mihi desuper concedatur ut dignus inveniar tanti patris ac ducis operum emulator: ut ordinem ab eo erectum servare, ab eo tutatum manu tenere, ac decore ditatum sub eiusdem alis servare valeam. Erit hoc si vestris continuis adiuvabor orationibus. Quod ut efficiatis instanter obsecro. Erit quoque quoad mea interest si predicti ducis, quod mihi penitus cordi est, directioni inherens: in nullo prorsus ab eius declinem lumine.

Accingimini ergo obsecro ad sancta nostri ordinis instituta servanda, ad maiorum sectanda vestigia: obedientiam, ceteraque religionis vota totis viribus complectimini. cerimonialia ordinis ornamenta non spernite. studium quoque omni favore prosequimini ac fervore: quo proximorum salutem: ad quam ordo noster institutus dignoscitur: procurari non dubitamus. Sic fiet ut bonitate, disciplina, ac scientia conquisitis et veri predicatorum ordinis professores inveniamini: et ad illius consortium pertingere: qui cepit et facere et docere. Hoc rogo instanter et obsecro.

Bene valete et deum pro me orate.

Iste sunt confirmationes.

Confirmamus hanc: quod diffinitor generalis capituli pro tempore proximi futuri ante ultimum annum electus legitimus sit diffinitor: si

alius non fuerit postea legitime electus. Et idem dicimus de illius socio quod valeat et sit eodem modo legitime socius : et in anno electionis magistri ordinis sit elector : si non est alius elector electus. et tam diffinitor quam socius habeant litteras testimoniales : non tantum a priore provinciali, sed a toto diffinitorio : alias nullo admittantur modo, nec ad diffinitionem nec ad electionem magistri generalis in anno electionis. Et habent duo capitula : et hoc ultimum per modum ordinationis interim servetur.

Confirmamus hanc : quod qui ordinantur sine legitima licentia ordinis sint ipso facto carceri addicti ad minus per quatuor menses : ibidem secundum arbitrium prelati penis aliis puniendi : et postmodum non permittantur exequi ordines ipsos sine speciali licentia magistri ordinis : et hoc interim per modum ordinationis volumus servari. Et hec habent duo capitula.

Confirmamus hanc : quod de presentatione beatissime virginis Marie fiat ubique totum duplex ·II· Kal. Decembris. Et de beato Ioseph fiat ubique duplex ·19· Marcii. De divisione Apostolorum fiat totum duplex ·15· Iulii. Et de beata Anna matre matris dei fiat totum duplex ·22· Iulii. Et hec habent tria capitula.

Confirmamus hanc : quod appellans ab absolutione facta vel facienda ab officio prioratus provincialis vel conventualis vel vicariatus ex pretextu gravaminis : ipso facto sit absolutus ab illo officio. Volentes quod in istis ratio gravaminis tam proprii quam communis non habeat locum : quoad appellandum. Et hec habet tria capitula.

Confirmamus hanc : quod ad nullum iudicem extra ordinem nisi ad sedem apostolicam : cui immediate ordo noster subditus est : aliquod membrum ordinis illique subditus pro iustitia recurrat : sub pena absolutionis ipso facto si est prelatus : et privationis vocis active et passive : etiam ipso facto quoad alios. Et habet tria capitula.

Confirmamus hanc : quod fratres extra conventus quorum sunt filii assignati ad tempus id est ad exercitium seu officium certo et determinato tempore durans : completo illo certo tempore, ex quo sunt absoluti a tali assignatione, intelligantur assignati in conventibus quarum sunt filii. nisi eos superior alibi assignaverit. Assignati autem simpliciter numquam intelligantur assignati in conventibus quorum sunt filii : nisi reassignentur. Et hec habet tria capitula.

Confirmamus hanc : quod in locis ubi Completorium dicitur de die coram secularibus : sic quod possint fratres ab eis videri : disciplina detur exclusis secularibus : aut de nocte post matutinas : exceptis noctibus vigiliarum Nativitatis et Annunciationis dominice : in quibus omittantur. Et hec habet tria capitula.

Item. Infrascripta quantum ex nostra pendet auctoritate correctas ut infra confirmamus.

Imprimis in prologo constitutionum ubi dicitur volumus et declaramus ut constitutiones nostre. etc. mutetur sic: volumus et declaramus quod regula et constitutiones nostre non obligent nos ad culpam sed ad penam: penis tamen absolutionis ab officio, privationis vocis active et passive, gravioris culpe, et aliis maioribus quantumcumque: tam in constitutionibus quam extra: nisi sit pena excommunicationis late sententie, nullus sit subiectus: nisi superveniat declaratio prelati in particulari: respectu huius, quantumcumque etiam notorium facti: aut iuris: aut utriusque interveniat.

Preceptum autem in regula nostra nullum nisi quod de natura sua est: ratione trium votorum, vel divine aut ecclesiastice legis: contineri volumus et declaramus. Et idem in constitutionibus: nisi ubi ponitur pena excommunicationis: aut formaliter exprimitur per verbum preceptivum in virtute Spiritus Sancti et sancte obedientie. Et hoc idem in ordinationibus, in prelatorum verbis et litteris intelligi volumus.

Penam excommunicationis et excommunicationem late sententie per nulla verba tam in constitutionibus quam extra in nostro ordine intelligimus: nisi ubi explicite et verbaliter pena excommunicationis et excommunicatio late sententie exprimuntur. Porro prelati non faciant precepta obligantia ad mortale peccatum: in ira exteriori: precipue contra subditos turbatos. et si fecerint irrita sint et inania: facta tamen valeant quoad quascumque temporales penas. Precepta quoque in scriptis facta: censeantur sine ira facta. Nec faciant precepta quieto animo, nisi in scriptis, extra necessitatis articulum. preter commune preceptum quod fit in visitatione: facta tamen valeant. Nec damnent aliquem ad penam gravioris culpe: aut carceris: aut privationis habitus: nisi in iudicio confessum vel convictum: et in scriptis. et si secus factum fuerit: irritum sit et inane.

In eodem prologo ubi dicitur. interpretationes regule et constitutionum: mutetur sic. Interpretationes regule vel constitutionum facte a generali capitulo non habeant vim constitutionis: nisi per tria capitula continua in modum aliarum constitutionum per viam inchoationis et continuationis confirmate fuerint et approbate. Ordinationes tam capitulorum generalium: quam magistri ordinis: quoad vim precepti et censurarum ecclesiasticarum cum ipsis expirare volumus. Vita vero capituli usque ad sequens capitulum intelligitur: quoad reliqua vero quomodolibet per generale capitulum vel magistrum ordinis facta durare volumus: donec revocate fuerint per similem potestatem. excepto si quem magister ordinis vicarium totius ordinis instituisset: hunc enim volumus

cum ipso expirare. Ab inferioribus autem capitulis et prelatis quomodolibet ordinata: cum ipsis tamquam ab homine ordinata expirare volumus, exceptis supprioribus, confessoribus, tam fratrum quam monialium, vicariis monialium: et magistris personarum utriusque sexus tertii habitus: et officialibus conventuum absque iurisdictione. Hos enim volumus durare cum ea quam habent auctoritate: donec revocentur ab habente auctoritatem destituendi eosdem. Ordinationes autem visitatorum durent quousque per generalem vel superiorem potestatem fuerint revocate. Porro prelati omnes a multitudine preceptorum et ordinationum abstineant: ne laqueum animabus subditorum iniiciant. Nec propter defectum unius vel paucorum: quem vel quos non audent corrigere: communitatem involvant. Nulla quoque potestate in ordine nostro in communi vel particulari: aliquid ordinetur vel prohibeatur: cum hac pena quod non possit absolvi a peccatis suis. Priores tamen possunt aliquos determinatos casus peccati mortalis sibi reservare: ut viderint expedire. Possunt quoque adiicere transgressoribus penas aliquas: quas nec (!) fecerint [non] poterint alii confiteri nisi ipsis prioribus.

In capitulo secundo de inclinationibus: ubi dicitur: et in gratiarum actione inclinamus solum ad Pater noster. dicatur: ad utrumque Pater noster.

In capitulo septimo de infirmis: ubi dicitur. nec alii fratres comedant nisi in communi refectorio: vel hospitum domo: addatur. nec provinciales nec magistri in theologia etiam actu legentes comedant in cameris: sed communiter in refectorio: vel hospitio: vel domo infirmorum. vel in domo debilium. Ibidem. Conventus sui. addatur. Conventum suum dicimus esse cuius est filius.

In capitulo ·8· de minutione ubi dicitur. minutio quater fiat in anno: dicatur. fieri possit.

In capitulo decimo de vestitu. ibi lintheamina in infirmariis nostris non habeantur. mutetur et dicatur. Concedimus quod possint haberi et similiter in cameris hospitum. Ibidem. Tunice usque ad cavillam pedum. Addatur. inclusive: et non plus descendant.

In capitulo tertiodecimo. de recipiendis. Addatur. pueri intra quartumdecimum annum aut non recipiantur: aut si in aliquibus conventibus oportet eos communiter recipere: recipiantur de consensu Capituli conventus a priore et non alias. nec retineri possint in aliquo conventu ubi non sit novitiorum similium congregatio: cum proprio dormitorio et magistro: ita quod alibi non recipiantur nisi statim mittantur ad huiusmodi conventus: in quibus profitebuntur pro conventibus in quibus acceperunt habitum. et a quibus conventibus de vestimentis provideri debeat.

In capitulo decimonono de novitiis post illum versum. Similiter omnes fratres. addatur. nullus frater etiam prior recipiat depositum cuiuscumque secularis: nisi in communi deposito conventus. Contrarium autem faciens incurrat penam gravioris culpe.

In eodem capitulo addatur. Mandamus universis fratribus quatenus novitios volentes redire ad seculum libere permittant: redditis sibi omnibus que secum attulerant: nec sint eis molesti propter hoc: exemplo illius qui discipulis aliquibus recedentibus: aliis remanentibus dixit: Nunquid et vos vultis abire?

Item. Nullus recipiatur ad professionem ut clericus: nisi sciat plene et expedite legere et dicere divinum officium: tam diurnum quam nocturnum solus. et sciat vel sit abilis in proxima dispositione ut sciat grammaticam. et per duos menses ante finem probationis examinatores recipiendorum teneantur eum examinare de hiis: et referre priori et capitulo, et si inventus fuerit multum deficiens in predictis: vocetur in capitulo novicius et ibidem assignetur certum tempus prolixius probationis: vel declaretur ei quod nunquam veniet terminus probationis: nisi postquam iterum in capitulo vocato et pro sufficienti approbato octo adhuc dies ad minus relinquantur. Ultra autem hoc ne pueri recepti ad habitum inveniant se potius natos sub iugo religionis quam illum elegisse: evitenturque inconvenientia multa: statuimus ut ei cui ante inchoatum quintumdecimum annum religionis habitus datus est: nunquam elabatur annus probationis quantumcumque decurrente temporis spatio: nisi vocatus post expletum decimumsextum etatis annum a prelato in capitulo coram conventu terminum ad minus trium mensium acceperit ad deliberandum an profiteri velit: ita quod annus probationis cum taxato illo termino terminetur: ac per hoc ex tunc incurretur professio tacita. Et ut hoc inviolabiliter observetur, presenti statuto cuilibet ante inchoatum quintumdecimum annum pro tempore recepto ad habitum assignamus annum probationis modo dicto. Mandamus autem sub pena absolutionis ab officio et gravioris culpe prelato, ut quando vocatus fuerit novitius ad terminum professionis suscipiendum, expresse protestetur eidem, quod professio sua obligabit eundem ad tria vota: castitatis scilicet paupertatis et obedientie secundum regulam beati Augustini et institutionibus (!) ordinis predicatorum: et non secundum quod hodie et fit et servatur, et quod statim elapso termino sibi taxato nisi contradictum ab ipso vel a religione fuerit, incurrat professionem etiam si non aliter profiteatur. Novitios quoque recedentes sine licentia cum habitu a conventu: nisi infra octo dies ad eundem redierit (!). pro refutatis ab ordine habemus, et si ad alium conventum declinaverit et fuerit in illo acceptatus pro novicio: volumus annum probationis inchoari ab illo die

quo in ipso altero conventu fuerit acceptatus. quod si nullibi acceptatus pro novicio fuerit post exitum sine licentia pro refutato et non novicio haberi talem volumus quanto tempore sic permanet.

In capitulo decimo quinto de professione addatur: In quolibet conventu habeatur liber particularis, in quo scribantur omnes qui faciunt professionem: ibi notando annum, mensem et diem et nomen prelati recipientis ad professionem et sub quo magistro.

In capitulo decimo octavo de graviori culpa ibi: Si quis crimen capitale. addatur. id est pena mortis in seculo puniendum.

Ibidem. Si quis procuraverit quod ipse vel alius eximatur a potestate prelati sui: mutetur et dicatur sic. Si quis procuraverit quod ipse vel alius eximatur via non iuridica a potestate prelati sui.

Ibidem. ad tempus sequestretur a consortio fratrum. addatur. pena autem sequestrationis tunc tantum locum habeat quando propter peccatum mortale ad penam gravioris culpe est damnatus.

Ibidem ubi dicitur. ac donec per magistrum ordinis etc. dicatur. donec per magistrum etc.

In capitulo decimonono de gravissima culpa addatur. Frater propter mortale crimen damnatus legitime ad penam gravioris culpe et recusans illam ferre: eiiciatur mature et iudicialiter de ordine per priorem provincialem vel illius vicarium congregationis sue de consilio discretorum in scriptis. ita quod appareant autentice gesta et cum processu et sententia cum subscriptione discretorum. nullus autem cum habitu ordinis ob quamcumque causam etiam criminalem a sua provincia vel congregatione deiici possit simpliciter vel ad tempus nisi a magistro vel generali capitulo.

In capitulo vicesimo de apostatis ibi. nisi per diffinitores generalis capituli. addatur. vel magistrum ordinis.

Ibidem. Quicumque litteras magistri etc. eandem sententiam addatur excommunicationis latam et privationem dictarum.

In distinctione secunda capitulo primo de domibus concedendis. Reducatur constitutio ad formam antiquam clarius sic. Conventus citra numerum duodenarium fratrum professorum: quorum decem ad minus sint clerici: et sine licentia etc.

Ibidem. non fiant. addatur. nec permittantur fieri in domibus etc. Et in fine versus. In ecclesiis tamen permitti poterint. volumus autem quod fiat cum maturo consilio peritorum in arte: considerato loco illo in ligno vel in alia materia formula totius domus construende quam non liceat transgredi pro voluntate varia presidentium: sed iuxta illam edificetur. in domibus autem constructis mandamus nullam fieri constructionem aut edificationem notabilem in fabrica a priore vel procu-

ratore nisi de licentia prioris provincialis et consilio atque assensu patrum. Oppositum autem presumens facere: absolvatur in penam sic quod per triennium nec ibi nec alibi presit.

In secundo capitulo de electione prioris ibi: alias nec eligi. exprimatur sic. nullus eligatur aut confirmetur in priorem nisi sciat grammatice loqui absque falsa latinitate: et bene intelligere grammaticam: et ita instructus saltem in moralibus divine scripture ut sciat competenter proponere verbum dei in dicto conventu. quod si secus factum fuerit in conventibus integrum numerum fratrum habentibus confirmator absolvatur: et per triennium omni officio ordinis privetur.

Ibidem addatur. electiones seu postulationes in nostro ordine per scrutinium si solum observatum est quod maior pars medietate consenserit ante publicationem scrutinii: possunt a confirmatore pro canonicis approbari. et semper intelligatur confirmatorem supplere defectus electionis qui eius subsunt potestati quando sine clausula diminutiva confirmat electionem.

Ibidem. si vero de aliena fuerint provincia. dicatur sic. si vero de aliena fuerint provincia postquam per annum continuum in aliquo uno et eodem conventu aliene provincie assignati morati fuerint admittantur ad electiones in illa provincia sicut alii. et hoc tam si ad tempus quam si simpliciter ad alienam provinciam quis assignetur.

Ibidem. nulli autem presidenti ordinis liceat alicui extra obedientiam etc. addatur. nisi prelatis ex ordine assumptis supra socios eis deputatos et quamdiu sunt eorum socii: et nisi super apostatas et vagos: hoc est sine ordinis licentia extra ordinem commorantes quamdiu sic extra manent super quos volumus non solum magister ordinis sed priores provinciales et vicarii possint potestatem concedere omnibus ecclesiasticis personis.

Ibidem. fratres vero nostros etc. vel alias in minoribus etc. dicatur sic. fratres vero nostros tam in episcopatu precise titulati vel alias infra episcopatum constitutos et beneficiatos vel exemptos ab ordine exceptis magistro sacri palatii et penitentiariis perpetuis domini pape: qui sequuntur curiam Romanam: eorumque sociis in nostris conventibus.

In capitulo tertio de electione prioris provincialis. instante vero prioris provincialis electione etc. addatur in fine. nisi ipso priore petente vel ob causam criminis vel gravis scandali vel in capitulo provinciali a diffinitorio illius tunc post electionem prioris provincialis factam licet pendentem quoad confirmationem. instare autem electionem prioris provincialis dicimus quandocumque provincia non habuerit priorem provincialem absentem vel presentem.

Ibidem. ea que acquisierunt tempore provincialatus. addatur. pro

medietate [provincie] et pro medietate ad conventum suum cuius est filius. et subdatur. alia vero omnia sint conventuum suorum quorum sunt filii. et idem dicimus de bonis procuratoris ordinis.

In capitulo quinto de electione diffinitorum capituli generalis et provincialis: ibi. diffinitor et socius solum de suis provinciis. addatur. quarum sunt filii.

Ibidem ubi dicitur. socii etiam priorum ad capitulum provinciale etc. de suis conventibus dicatur: de conventibus in quibus sunt assignati.

In capitulo octavo de capitulo generali corrigatur sic. capitulum generale una vice ultra montes alia vice citra montes alternatim celebretur.

Ibidem post illum versum. magistris vero in sacra theologia etc. addatur. baccalariis qui legitime incorporati in universitate sententias solemniter legunt aut legerint post suppriores: ubique in toto ordine locum damus.

In capitulo duodecimo de predicatoribus statuimus quod in qualibet provincia a presidente et diffinitoribus instituantur aliqui viri docti et zelum religionis habentes examinatores et approbatores omnium eorum predicatorum et confessorum quos non constat manifeste doctos esse. ita quod nullus talium nisi approbatus in scriptis sufficiens et idoneus ad predicandum vel confessiones extraneorum audiendum: predicet populo etiam in villulis: aut audiat confessiones extraneorum sub pena carceris: nihilominus presidentes hoc permittentes ab officiis absolvantur.

Ibidem. nullus fiat predicator generalis etc. addatur sic. nisi in provincia illa gloriose predicaverit. ita quod saltem per tres quadragesimas cum bona gratia in aliqua bona civitate seu terra vel aliquibus bonis civitatibus seu terris predicaverit.

In capitulo decimo tertio de itinerantibus ante illum versum. precipimus autem etc. addatur. fratres nostros beneficiatos vel etiam habilitatos solummodo ad beneficia inhabiles reddimus ad prelationem seu supprioritatem in ordine: nec aliquis eorum possit activam vel passivam vocem quomodolibet in ordine habere nisi per annum ante beneficio et habilitatione legitime renunciaverit: ita quod renunciatio sit legitime acceptata publico instrumento testante. renunciatio autem cum regressu aut quacumque reservatione fructuum: nisi huiusmodi fructus mere et integraliter proveniant ad communem utilitatem conventus et non tantum alicuius particularis persone: non acceptetur nec alicuius momenti habeatur.

Item capitulo decimoquarto de studentibus de bonis fratrum. mutetur et dicatur sic. bona fratris defuncti quoad illa que ab aliqua pro-

vincia vel conventu habuit illius erunt: que vero aliter acquisivit sint conventus cuius est filius si in alio conventu non est assignatus simpliciter: sed ad tempus propter studium vel officium aliquod. que vero hereditario iure obvenerunt vel obveniunt erunt conventus sui originalis: etiam si alterius conventus factus est filius. Si vero est assignatus in aliquo alio conventu simpliciter ac pro tali ibidem presentialiter et conventus ille consuevit prout tenetur providere talibus de toto victu et vestitu et aliis huiusmodi: tam tempore sanitatis quam infirmitatis dividentur hec aliter acquisita mobilia equis proportionibus inter conventum in quo est assignatus. immobilia vero non hereditaria successione obvenientia semper erunt conventus cuius est filius.

Ibidem nec aliquis habilitetur aut assignetur in aliqua universitate ad legendum pro forma et gradu magisterii in theologia etc. subsequatur sic. nisi sit sufficiens ad lecturam huiusmodi solemniter perficiendam: nec aliquis fiat magister in theologia nisi sit sufficiens ad hoc quod sit regens in aliquo studio generali: ubi in veritate viget studium theologie. Iudicetur autem sufficientia hec nisi sit manifesta per examinatores deputandos a provinciali et diffinitoribus capituli provincialis: qui sub iuramento absolute referant: est vel non est iudicio nostro sufficiens ad legendum sententias: vel ut sit regens in studio ubi in veritate viget studium theologie. et nihilominus per sue provincie provinciale capitulum vel illius diffinitorium sit expositus et a magistro ordinis vel capitulo generali tantummodo assignari vel licentiari possit. Si quis autem absque dicte sufficientie iudicio baccalariatus vel magisterii in theologia gradum etiam cum licentia magistri vel capituli generalis assecutus fuerit pro non baccalario vel magistro habeatur in ordine nostro in omnibus et per omnia: dantes facultatem cuilibet diffinitorio ut constito notorie de insufficientia promoti sibi subditi absque iudicio vel examine sue sufficientie hic statuto: declarent ipsum pro non promoto in universo ordine habendum.

Item statuimus quod si quis nefandum crimen concubitus contra naturam homicidii vel propinati etiam non subsecuto effectu veneni commiserit perpetuo carceri sit addictus: a quo nec per magistrum ordinis nec etiam per capitulum generale possit per annos viginti liberari: et nihilominus penis aliis puniatur secundum prelati discretionem.

Item nullus ordinetur in subdiaconum nisi sciat grammaticam ita quod loqui et scribere latine sciat absque falsa latinitate. et si est subdiaconus non fiat diaconus. et si est diaconus non fiat sacerdos. Prelatus autem quilibet exponens aliter aliquem absolvatur in penam ab officio et per triennium omni officio ordinis privetur et pene gravioris culpe subiaceat. Et hec habent tria capitula.

Iste sunt ordinationes.

Ordinamus ut nulla provincia. congregatio aut conventus acceptet aliquem in magistrum in theologia sine licentia speciali magistri ordinis aut generalis capituli sub pena absolutionis ab officio. quam omnes presidentes contrafacientes ipso facto incurrant. patres vero consentientes sint per quinquennium ipso facto ab omni officio ordinis et paternitate conventus privati. et si apostolice littere in contrarium exhibite fuerint cum omni reverentia recipiantur : sed non acceptentur : cum experientia teste sciverimus multos Romanos pontifices huiusmodi litteras noluisse esse in gravamen ordinis : et huiusmodi promotiones sunt in gravamen ordinis manifeste : dum et minus sufficientes aut ignorantes et contemptis prelatis quibus voto professionis sunt alligati fiunt magistri non pro uno conventu sed pro toto ordine. et suspendant acceptationem usque ad consultationem apostolice sedis per magistrum ordinis faciendam. et hoc precipimus in virtute sancte obedientie inviolabiliter observari sub dictis penis : cum hoc sit in totius ordinis preiudicium : et ad nos pertinet acceptare vel consultare ut de iure communi concessum est.

Ordinamus quod si contigerit conventum aliquem de cetero eximi et subtrahi a iurisdictione et cura prioris provincialis transeat cum onere suo integraliter tam quoad contributiones quam quoad collectas pro expensis diffinitorum euntium ad capitulum generale non obstante quacumque consuetudine et quocumque privilegio : ita quod semper transferri et acceptari cum onere suo integro ut dictum est [intelligatur].

Ordinamus ut quilibet ordinatus habeat litteras testimoniales vel ab ipso episcopo ordinante vel a preside loci ubi est ordinatus cum subscriptis testibus qui ordinationi interfuerunt : quod si non fecerint non permittantur exequi in susceptis ordinibus.

Prohibemus districte omnibus et singulis presidentibus et fratribus provinciarum congregationum et conventuum quorumcumque ne instituant procuratores ad defendendum se vel alios ordini subiectos coram quibuscumque iudicibus secularibus contra precepta et obedientiam magistri ordinis et si secus factum fuerit sit irritum et inane.

Ordinamus et mandamus quod visitantes conventus inquirant diligenter et provideant ut cum effectu serventur munda et nitida que ad altaris ministeria pertinent. docentes minus doctos ea que sub precepto debent servari munde scilicet oratoria. vasa. palee altaris. corporalia. vestimenta. iuxta capitulum ultimum extra de custodia eucharistie concedentes visitatoribus alias impotentibus potestatem absolvendi priores et alios officiales quorum negligentia hec non serventur ut decet. Inquirant quoque et provideant ut in ieiuniis ecclesie conventus omnes ita provideant fratribus in refectorio de cibo hora prandii ut omnes possint ieiu-

nare et ieiunent. nullique in huiusmodi ieiuniorum tempore panis quasi ad cenandum detur in sero : sed tantum in communi potus cum aliquo comestibili per modum medicine ne potus lavet stomachum : alioquin priores absolvantur et fratres non ieiunantes absque legitima causa et licentia puniantur gravis culpe pena : et precipimus omnibus patribus ut hanc ordinationem faciant servari : inquirant quoque de confessoribus etiam fratrum qui et quam idonei sunt instituti a priore ne fratres tam morantes in conventu quam hospites confiteantur cui voluerint.

Reformationi ordinis operam dare volentes cum effectu mandamus prioribus provincialibus : et reliquis presidentibus provinciarum congregationum ac nationum sub pena absolutionis ab officiis suis. In quolibet conventu iuxta constitutiones preter priorem sit lector. et in communi provideatur de cibo et potu in refectorio : non solum de pane et de vino. et ubi non est facultas vestiendi fratres de domibus ut fieri deberet : donec conventus ad vitam simpliciter regularem reducatur teneatur quilibet conventus singulis annis ad exponendum pro quolibet hebdomadario et iuvene ac converso non habente aliunde unde se vestiat duos aureos ultra calceorum aliorumque huiusmodi provisionem que omnino dare debent in vestitu. scilicet cappa. scapulari. tunica. subtunica : vel tunicellis : ita tamen quod non assignentur. hii (vero) aurei fratri in pecuniis sed (non) in solutione panni illi fratri oportuni ne provisio hec vestimentorum in alios convertatur usus : lucra autem missarum ad communitatem conventus pertineant. et quod ommissis omnibus serviatur infirmis decumbentibus et provideatur saltim pauperibus de communibus bonis conventus omni excusatione remota non minus quam priori decumbenti provideri deberet et quod contra fratres suspectos de aliqua familiaritate procedatur secundum constitutiones monendo. precipiendo. puniendo. et quod frater nullus solus per civitatem vadat nec vestes omnino longas habeat ut tangant terram. Nec cum birretis extra conventus incedat : nec caligas aut diploides nisi albi coloris et de panno habeat. priores aut magistri et patres qui huic sancte reformationi resistere ausi fuerint tamquam nostri ordinis destructores omnibus gratiis ordinis cum legitime constiterit nisi resipiscant priventur per superiores vel visitatores.

Ordinamus quod fratres fugitivos qui scilicet sine licentia legitima hoc est prioris provincialis. vel vicarii congregationis de sua provincia seu congregatione recesserint. nullus audeat ultra triduum absque speciali licentia magistri ordinis in posterum concedenda retinere. Si quis autem eos acceptare in conventu suo. provincia. vel congregatione presumpserit sit a suo officio provincialatus. vicariatus seu prioratus absolutus ipso facto revocantes omnem facultatem cuicumque concessam op-

positum faciendi. Volumus enim huiusmodi fugitivos ad suam provinciam seu congregationem redire et petere veniam ac puniri iuxta provincie vel congregationis morem : prohibemus quoque ne quis fugitivos huiusmodi faciat ad quemcumque sacrum ordinem promoveri. contrarium autem faciens presidens sit ipso facto absolutus a suo officio et nihilominus pene gravioris culpe addictus et ordinatus non permittatur ministrare in ordine sic suscepto.

Ordinamus et sub pena privationis omnis officii per triennium mandamus universis prioribus provincialibus et vicariis generalibus aut quibuscumque inferioribus ut nullum fratrem extra provinciam aut congregationem suam eiiciant tam cum litteris dimissoriis ad magistrum ordinis quem sine litteris sed si frater incorrigibilis est exutus legitime habitu ordinis ex ordine eiiciatur si autem hoc non meretur tolleretur et corrigatur ab ipsa sua provincia seu congregatione revocantes per presentes omnem facultatem in contrarium concessam cuicumque presidenti congregationi vel provincie volentes et declarantes clausulas et facultates appositas et apponendas in litteris confirmationis cuiuscumque non se extendere ad hoc. Similiter nullus prior conventualis audeat eiicere aliquem ex conventu sed si aliquis sit qui non expediat conventui consulatur prius superior et expectetur illius mandatum.

Mandamus universis et specialiter presidentibus et magistris ut videant diligenter constitutiones ac acta capitulorum. nullum enim excusat ignorantia iuris quod scire tenetur propter quod mandamus sub pena absolutionis presidentibus provinciarum congregationum et conventuum quod habeant acta presentis capituli et communicent omnibus fratribus et in conventibus magnis acta capitulorum generalium conscribantur et in communi habeantur.

Precipimus omnibus reverendis provincialibus et vicariis generalibus presertim provinciarum Hispanie. Aragonie. Portugalie et Bethice sub pena excommunicationis et absolutionis a suis officiis ne mittant fratres ad collegium de Alcala de Henares extra ordinem : sed potius revocent iam missos : et damus auctoritatem reverendo provinciali Hispanie : ut fratres illic existentes possit inde eiicere et inobedientes punire.

Precipimus in virtute Spiritus sancti et sancte obedientie omnibus presidentibus provinciarum. congregationum et conventuum sub pena absolutionis a suis officiis quam contrafaciendo ipso facto incurrant ne quovismodo permittant mulierculas in conventibus servire : vel morari in coquina et aliis offici[n]is : et si aliqui conventus iam receperunt donatarias. vel prebendarias omnino expellantur a conventibus infra mensem.

Prohibemus omnibus et singulis fratribus sub pena carceris quam contrafaciendo ipso facto incurrant ne confessiones audiant in hebdomada

sancta in basilica s. Petri de Urbe sine speciali licentia reverendissimi magistri ordinis. vel eo ab Urbe absente sine licentia reverendi procuratoris seu vices eius gerentis in scriptis obtenta. contrafacientibus autem reverendus procurator predictam penam infligat invocato. si opus sit. auxilio brachii secularis et si impune evaserint manus reverendi procuratoris in suis provinciis subiiciantur eisdem penis.

Prohibemus sub pena gravioris culpe. quam contrafacientes ipso facto incurrant. omnibus et singulis fratribus. cuiuscumque conditionis sint. ne quis libros quosvis a se vel alio fratre ordinis noviter compositos edat in publicum vel imprimi faciat sine expressa licentia reverendissimi generalis magistri in scriptis obtenta et sine premisso diligenti examine et approbatione doctorum virorum: revocantes omnem gratiam cuicumque in contrarium a quavis potestate ordinis concessa et nihilominus servetur circa editionem [et] impressionem huiusmodi librorum ordinatio concilii Lateranensis et alia de iure servanda.

Prohibemus omnibus fratribus ordinis ne quis vadat ad urbem Romanam sine licentia sui provincialis vel vicarii generalis sue provincie vel congregationis et hoc sub pena carceris.

Mandamus presidentibus et patribus conventuum exemptorum a prioribus provincialibus ut solitas contributiones eisdem persolvant concedentes prioribus provincialibus pro tempore potestatem habentibus: ut post elapsum tempus solutionis possint dictorum conventuum presidentes ac patres compellere per preceptum et per pene gravioris culpe comminationem. condemnationem ac declarationem. volentes quod si quis in hoc eisdem inobediens declaratus propterea fuerit ab eisdem incidisse in penam gravioris culpe a solo reverendissimo magistro ordinis restitui possit. revocantes omnem gratiam cuicumque in oppositum concessam cum quibuscumque excogitabilibus clausulis declarantes hanc esse nostram deliberatam voluntatem.

Precipimus in virtute Spiritus sancti et sancte obedientie sub pena excommunicationis late sententie quam contrafacientes ipso facto incurrant quamque unica pro trina canonica monitione premissa (quam) ferimus in scriptis ne quis subtrahat conventus a iurisdictione provincialium sine auctoritate summi pontificis vel reverendissimi magistri generalis.

Mandamus omnibus et singulis reverendis provincialibus sub pena absolutionis a suis officiis [ut] omni studio et diligentia curent reformare conventus suos maxime in tribus essentialibus et subditis ut illis secundum professionem suam obediant.

Iste sunt declarationes.

Declaramus quod fratres extra ordinem quomodolibet etiam cum

licentia sedis apostolice existentes subsint correctioni, punitioni et potestati presidentium provinciarum et congregationum in quorum terminis manent. prohibentes ne detur de novo alicui licentia standi extra ordinem. iis tamen qui extra ordinem consueti sunt stare si expediens visum fuerit permittimus ut confirmetur licentia.

Declaramus et volumus quod quevis pene extra constitutiones apposite ipso facto incurrende. nisi sint excommunicationis late sententie exigant declarationem superioris in particulari nisi ipsemet reus seipsum declaret : nullus tamen presidens potest declarare se ipsum absolutum ab officio suo propter quamcumque transgressionem admissam.

Declaramus quod ex commissione que fit priori provinciali a diffinitorio capituli provincialis : ut omnia facere que ipsum diffinitorium posset. non potest provincialis absolverere fratrem aliquem a penis gravioris culpe et aliis que alias provinciali per constitutiones non conceduntur.

Declaramus quod assignati in his actis ad legendum bibliam vel sententias non possint incorporari in aliqua universitate. et licentiati ad suscipiendum magisterium in theologia non possint gradum huiusmodi suscipere nisi examinati a reverendissimo magistro generali : vel eius speciali commissione per litteras facta.

Declaramus quod non solum beneficiati sed etiam ad beneficia extra ordinem obtinenda habilitati : omnino sunt inhabiles ad quecumque officia intra ordinem obtinenda. approbantes et innovantes litteras reverendissimi magistri generalis olim nunc cardinalis sancti Sixti quas de hac re ad totum ordinem misit.

Iste sunt denunciationes.

Denunciamus sanctissimum dominum nostrum papam creasse provinciam inferioris Germanie ex aliquibus conventibus qui fuere de provinciis Francie. Theutonie et Saxonie nominatim in litteris sue sanctitatis expressis in quorum numero sunt conventus Atrebatensis et Audomari. quibus precipimus sub penis privationis omnium gratiarum et ordinis et graduum atque officiorum et carceris quam contrafaciendo ipso facto incurrant ut provinciali pro tempore dicte provincie inferioris Germanie obediant : precipimus quoque priori provinciali pro tempore et omnibus fratribus provincie Francie sub penis absolutionis a suis officiis et carceris quam contrafaciendo ipso facto incurrant ne se de illis conventibus visitandis vel gubernandis quovis modo impediant aut eis officiales instituant : vel confirment cum non sint amplius de dicta provincia Francie (1).

(1) Qua de re cf. BO. IV, 323 n. 37.

Denunciamus sanctissimum dominum nostrum per litteras sanctitatis sue in forma brevis revocasse congregationem vite communis provincie Theutonie et litteras quascumque apostolicas institutionis eiusdem submisisse que omnes conventus et monasteria eius reverendo provinciali pro tempore illius provincie cui ex nostris constitutionibus subesse debent. quassasse quoque omnem appellationem a quovis interpositam ab executione et effectu litterarum huiusmodi: precipimusque omnibus et singulis personis utriusque sexus dictorum conventuum et monasteriorum sub pena excommunicationis late sententie quam una pro trina canonica admonitione premissa ferimus in his scriptis et sub penis privationis omnium gratiarum ordinis: et aliorum officiorum graduum et carceris ut mandato apostolico et submissioni prememorate pareant. committentes reverendo provinciali ut inobedientes penas dictas incidisse declaret: et illas eis infligat cum effectu: et sub eisdem penis prohibemus ne de cetero presidentes vel fratres dictorum conventuum et monasteriorum presumant aliquam congregationem vel conventiculum facere sine licentia reverendi provincialis in scriptis obtenta.

Denunciamus sanctissimum dominum nostrum papam dedisse litteras apostolicas in forma brevis subsequentis tenoris.

Vide BO. IV, 361 n. 79.

Denunciamus omnibus quod festum sancte Chaterine de Senis ubique debet celebrari dominica prima Maii. Si tamen in aliquibus locis esset scandalum apud seculares si dimissis festis apostolorum vel invetionis sancte crucis quando in dominica prima eveniunt festum sancte Catherine transferri in aliam dominicam et in casu translationis huiusmodi sanctissimus dominus noster papa concessit vive vocis oraculo ut etiam indulgentie quas consequuntur visitantes ecclesias nostras in festo illo censeantur translate.

Denunciamus conventus Gripesivaldensis et Passivalcensis translatos auctoritate sanctissimi domini nostri pape de provincia Polonie ad provinciam Saxonie debere manere in eo statu in quo nunc sunt. attamen reverendo provinciali dicte provincie Polonie et fratribus dictorum conventuum datur locus agitandi hanc rem in proximo generali capitulo in quo finaliter decidetur cuius provincie esse debeant. nullum enim preiudicium volumus esse iuri provincie Polonie per translationem iam factam.

Denunciamus in Lateranensi concilio fuisse ordinatum ut pacta et conventiones inter fratres et prelatos atque curatos pro tempore inita valeant nisi per subsecutum capitulum generale proximum vel provinciale refutata fuerint et refutatio huiusmodi intimata fuerit et debito tempore et idcirco precipimus omnibus ne faciant pacta vel conventiones cum

quacumque persona ecclesiastica sine precedenti requisitione generalis vel provincialis capituli et eius bene de re informati consensu in scriptis obtento. quod si necessitas urgeret aliquod pactum vel conventionem firmari antequam possit consensus capituli generalis vel provincialis requiri non firmetur nisi cum hac conditione si immediate sequens capitulum generale vel provinciale debite informatum ac requisitum consenserit et tunc consensus eius requiratur.

Iste sunt acceptationes.

Acceptamus locum in Molinis quem illustrissimus dux Borbonii dedit ordini et erigimus in conventum in provincia Francie sub cura vicarii generalis congregationis Gallice cui illum unimus et damus illi in priorem fratrem Iohannem Gregorii. in lectorem fratrem Iohannem Parisii. eidemque incorporamus fratrem Guillelmum Anselmi et fratrem Michaelem Prenecrii.

Acceptamus locum sancti Vincentii in Chamaiore diocesis Lucensis in provincia Romana et damus ei in vicarium fratrem Santium de Luca cum potestate substituendi alium loco sui vicarium et locum in civitate Ferrentina nationis Campanie dicte provincie et damus ei in vicarium fratrem Petrum Martyrem de Papia (1).

Acceptamus collegium sancti Thome in provincia Bethica edificatum a reverendissimo domino archiepiscopo Hyspalensi cum privilegiis. gratiis et ordinationibus ad instar collegii Vallisoletani: et ponimus illic studium generale.

Acceptamus conventum sancti Dominici constructum in insula maris Indici que Hispaniola nominatur. et volumus [ut] tam ipse quam alii conventus et loca in insulis illius maris edificati et edificandi sint membra provincie Bethice et illius reverendo provinciali subiiciantur.

Acceptamus et approbamus congregationem Gallicam factam a reverendissimo olim generali magistro Thoma de Vio Caietano (2) nunc cardinali sancti Sixti ex mandato summi pontificis ad instantiam Christianissimi Francorum regis reformationemque conventuum Cenomanensis. Lugdunensis et unionem eorum ad dictam congregacionem factam auctoritate apostolica ad instantiam dicti regis christianissimi (3).

Acceptamus in conventum in provincia Ungarie domum edificatam per dominum Moysem magistrum curie regis Ungarie et committimus reverendo provinciali dicte provincie ut ei provideat de priore. lectore et sufficienti numero fratrum.

---

(1) De fr. Petro M. de Papia cf. supra pag. 74.

(2) De fr. Thoma de Vio Caietino cf. supra pag. 124; BO. IV, 345 n. 57.

(3) Qua de re cf. BO. IV, 313 n. 27.

Acceptamus in provincia Trinacrie locum in civitate Montis regalis sub titulo sancte Marie de pace et locum in terra Millitelensi sub titulo sancte Marie annunciate.

Acceptamus ad beneficia nostri ordinis illustrissimos comitem et comitissam de Urenia ducem de Giron et dominam Menciam de Guzman eius uxorem cum eorum liberis.

Acceptamus ad beneficia nostri ordinis serenissimas dominas Mariam sponsam, Annam filiam serenissimi regis Ungariae, quae id instanter per suas litteras petierunt.

Acceptamus collegium fundatum et erectum a serenissimo rege Portugalie circa conventum Ulixbonensem cum gratiis et privilegiis et ordinationibus apostolicis que illi collate et facte sunt (1).

Acceptamus locum pro conventu edificando in provincia Tholosana sub cura reverendi provincialis qui adest in diocesi Tarbiensi.

Iste sunt approbationes.

Approbamus magisterium fratris Antonii Villegas provincie Hispanie.

Approbamus unionem omnium conventuum provincie Saxonie sub reverendo eius provinciali factam per reverendissimum dominum dominum cardinalem sancti Sixti generalem magistrum olim nostri ordinis cum capitulis in litteris unionis huiusmodi positis.

Approbamus reformationem monasterii Vincemensis eiusdem provincie et illi incorporamus sorores illuc ex Banberga pro illius reformatione adductas.

Approbamus litteras reverendissimi domini domini cardinalis sancti Sixti olim generalis magistri concessas provinciali Saxonie et gratias in illis factas.

Approbamus reformationem in provincia Scocie a reverendo eius provinciali factam et volumus eam ab omnibus illius fratribus observari.

Approbamus pactum initum inter dominum decanum Dunclidensem et reverendum provincialem provincie Scocie super fundationem quinque vel sex studentium in conventu universitatis sancti Andree.

Item pactum initum inter eundem provincialem Scocie et secretarium regis Scocie super translatione antique domus ordinis ad hospitale Montis rosarum.

---

5) ducem] Petrum *add.* S.— 7) Acceptamus — petierunt *e cod.* S.— 22) Vincemensis] Vireidensis *cod. impr.* — 28) Approbamus — Theutoniae *om.* S.

---

(1) De fundatione collegii Ulisbonensis cf. l. c. pag. 345 n. 58.

Approbamus ea que reverendus provincialis Tholosanus defunctus magister Iohannes de Cruce (1) ordinavit de fratribus in monasterio Pruliani deputatis.

Approbamus reformationem conventuum Montis Albani et sancti Emiliani provincie Tholosane. Avinionis et Montispessulani provincie Provincie. Treverensis. Confluentini. Rotwilensis provincie Theutonie factas a reverendis provincialibus dictarum provinciarum et similiter monasteriorum que reformavit reverendus provincialis Theutonie.

Acceptamus et approbamus congregationem vite regularis in natione Hibernie cum gratiis et privilegiis ei per bone memorie magistrum Vincentium Bandellum (2) generalem ordinis in favorem vite regularis concessis hoc adiicientes quod priores conventuales durent in officiis suis secundum tenorem nostrarum constitutionum : vicarii autem illius congregationis finito triennio officii sui sint ipso facto absoluti a suo officio : possint tamen reeligi et confirmari. precipimusque reverendo provinciali Anglie et eius vicario ac presidentibus pro tempore conventuum dicte provincie sub pena absolutionis a suis officiis quam contrafaciendo ipso facto incurrant et sub pena excommunicationis ne recipiant fratres fugitivos congregationis illius nec impediant communitates seu personas a pio proposito vite regularis et favore eorum.

Iste sunt absolutiones.

Absolvimus priorem provincialem provincie Francie et damus in vicarium eiusdem provincie fratrem Marcum Cuscot magistrum cum potestate huiusmodi vicariorum quousque prior provincialis electus. confirmatus et presens in provincia extiterit.

Absolvimus fratrem Iohannem de Riperia (3) magistrum a prioratu conventus Condomiensis et a vicariatu provincie Tholosane casamusque electionem de eo factam in priorem provincialem eiusdem provincie cui damus in vicarium reverendum patrem fratrem Iohannem de Fenario (4) magistrum diffinitorem huius capituli cum plena auctoritate vicariorum quousque prior provincialis electus. confirmatus et presens in provincia extiterit.

Absolvimus priores conventuum Atrebatensis et sancti Audomari provincie inferioris Germanie. vel potius declaramus eos non fuisse nec esse priores utpote institutos ab eo qui nullam in eos iurisdictionem habuit.

---

(1) De fr. Ioanne de Cruce cf. supra pag. 22.
(2) De fr. Vincentio Bandello cf. l. c. pag. 80.
(3) De fr. Ioanne de Riperia cf. l. c. pag. 89.
(4) De fr. Ioanne de Fenario cf. l. c. pag. 156.

Iste sunt assignationes.

Conventui Hyspalensi provincie Bethice assignamus ad legendum sententias fratrem Vincentium Peraca.

Conventui Cordubensi eiusdem provincie assignamus fratrem Sebastianum de Vargas ad eandem lecturam.

Conventui Granatensi eiusdem provincie ad similem lecturam assignamus fratrem Reginaldum de Aguilera.

Conventui Bononiensi damus in regentem pro tribus annis fr. Chrysostomum de Casali (1) magistrum ; in bacchalarium pro duobus primis annis fr. Hieronymum de Papia (2), pro tertio et quarto fr. Ludovicum de Genua (3) ; in magistrum studentium pro primo anno fr. Matthiam de Mediolano, pro secundo fr. Thomam Mariam de Bononia, pro tertio fr. Cornelium de Mediolano, pro quarto fr. Thomam de Doxillo.

Iste sunt translationes.

In primis transferimus fr. Donatum ex [conventu] Barlassino et fr. Martinum de Francavilla ex conventu Alexandrino et fr. Matthaeum de Albinga ex conventu Albingae ad conventum sancti Dominici de Genua ; fr. Ioannem et Augustinum ex conventu Iporegio ad conventum Montis Capelli ; fr. Gregorium de Castagnolis ex conventu Calvisani ad conventum Pinaroli ; fr. Vincentium de Laude ex suo conventu Nothensem ; fr. Thomam de Collo ex conventu Morbiniensi ad conventum sancti Dominici de Panormo ; fr. Dionysium de Mediolano ex conventu sanctae Mariae de Florentia ad conventum sanctae Mariae Gratiarum de Mediolano ; fr. Hieronymum de Lesina ex conventu sancti Dominici de Venetiis ad conventum Pharensem provinciae Dalmatiae.

Transferimus fratrem Garsiam de sancto Laurentio Bethice provincie ad conventum Rupisgallicane provincie Hyspanie.

Iste sunt commissiones.

Committimus reverendissimo magistro generali omnem nostram auctoritatem et facultatem addendi. minuendi. mutandi. dispensandi et breviter omnia et singula faciendi que generale capitulum posset. etiam si talia forent que mandatum exigerent magis speciale : volentes quod simplici eius verbo credatur.

Committimus et concedimus singulis huius capituli reverendis provincialibus et diffinitoribus presentibus quod quilibet possit facere unum

8) Conventui — Doxillo *e cod.* S. — 15) In primis — Dalmatiae *e cod.* S.

(1) De fr. Chrysostomo de Casali cf. l. c. pag. 150.
(2) De fr. Hieronymo de Papia cf. l. c. pag. 70.
(3) De fr. Ludovico de Ianua cf. l. c. pag. 90.

iubilarium in provincia sua alias idoneum quinquaginta annorum etatis et unum apostatam in suis provinciis cum litteris testimonialibus: et diffinitores qui affuerunt sine suis provincialibus faciant binos iubilarios et totidem recipiant apostatas et provinciales qui defuerunt nec toto nec parte huius privilegii gaudeant.

Committimus reverendo provinciali Polonie totalem curam monasterii sororum sancte Catherine in Poznania.

Committimus reverendo provinciali Hyspanie futuro ut in conventu sancti Dominici de Benalac possit instituere studium sive collegium et ordinare illic lectores et studentes instar studii conventus Salmanticensis.

Istae sunt poenitentiae.

In primis quia fr. Dominicus conversus, qui se nominat aliquando de Pisis, aliquando de Venetiis, aliquando de Candia, multa et enormia furta et scelera in diversis locis commisit et a carcere, in quem a reverendissimo magistro ordinis condemnatus fuerat, fugit, idcirco damnamus eum ad carceres, praecipientes omnibus praesidentibus conventuum, ut eum, ubicumque invenerint, incarcerent et non liberent inde sine expresso reverendissimi magistri ordinis generalis mandato.

Item. Quia fr. Andreas de Ragusio olim conversus, habitum clericorum per se ipsum et sacros ordines sine licentia recepit et a carcere, in quem iussu reverendissimi magistri ordinis et cardinalis sancti Sixti condemnatus fuerat, fugit, idcirco eum damnamus ad carceres et praecipimus praesidentibus, ut eum, ubicumque invenerint, carceri mancipent et non liberent sine expresso mandato reverendissimi magistri ordinis.

Item. Approbamus quaecumque facta et iudicata a capitulo provinciali provinciae sancti Petri Martyris contra fr. Gasparem de Voragine magistrum; et reverendissimus magister ordinis absolvit eum ab inquisitione Ianuensi.

Item. Quia fr. Vincentius de Casali (1) non paruit sententiae reverendissimi domini cardinalis de Flisco, protectoris ordinis nostri, per quem dictum fuit, fuisse rite contra eum factum in capitulo Neapolitano generali, et nisi poenitentiam acceptaret, poenae gravissimae culpae subiaceret, idcirco eum a nostro ordine expellimus et eiicimus et ubique pro eiecto haberi volumus.

Item. Quia fr. Alause provinciae Tholosanae maxima et multa scelera commisit et a carceribus frequenter fugit, idcirco eum expellimus a

---

2) et *post* testimonialibus — gaudeant *om.* S. — 12) In primis — expolient *e cod.* S.

---

(1) De fr. Vincentio de Casali cf. l. c. pag. 152.

nostro ordine et mandamus omnibus praesidentibus, ut ubicumque eum invenerint, habitu ordinis nostri expolient.

Ista sunt suffragia.

Imprimis pro sanctissimo domino nostro papa qui non solum indulgentiam plenariam capitulo dedit sed etiam magnificentissimam elemosynam dedit pro capitulo generali et est ordini nostro plurimum affectus quilibet sacerdos tres missas.

Item. Pro reverendissimo domino domino cardinali de Flisco nostri ordinis protectore qui largam elemosynam dedit capitulo generali quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro reverendissimo domino domino cardinali sancti Sixti ex nostro ordine assumpto et toto collegio reverendissimorum cardinalium quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro serenissima regina Neapolitana et nobilibus dominis et civibus Neapolitanis qui largas dederunt elemosinas capitulo generali et pro civibus Romanis et aliis benefactoribus huius capituli quilibet sacerdos unam missam. quos omnes recipimus participes in omnibus bonis que fiunt per totum ordinem quousque fuerit pro eis satisfactum in conspectu divine maiestatis.

Item. Pro receptis per litteras ad beneficia ordinis quilibet sacerdos unam missam.

Ista sunt suffragia defunctorum.

Imprimis pro anima reverendissimi domini Matthaei de Ursinis cardinalis ex nostro ordine assumpti : qui perpetuam reliquit elemosynam capitulo generali quilibet sacerdos unam missam.

Pro serenissimo rege Hispaniae Ferdinando, qui ordini nostro devotissimus fuit et in habitu ordinis sepultus, quilibet sacerdos unam missam.

Pro animabus omnium fratrum et sororum ordinis defunctorum, quilibet sacerdos unam missam.

Pro animabus eorum qui dum viverent. recepti fuere per litteras ad beneficia ordinis quilibet sacerdos unam missam.

Loco misse clerici septem psalmos penitentiales et laici 30 pater noster dicant.

Sententias iudicum approbamus et volumus in suo robore permanere.

Auctoritatem diffinitorum volumus durare usque ad feriam secundam inclusive.

Mandamus acta huius capituli per reverendos provinciales et diffinitores diligenter conscripta et correpta atque sigillo ordinis sigillata ad suas provincias deferri. et ad minus quater in anno legi.

---

26) Pro — missam *e cod.* S. — 32) 30] 20 S.

Sequens capitulum quod erit diffinitorum ponimus in conventu Valentino provincie Aragonie hinc ad triennium in anno millesimo quingentesimo vigesimo primo celebrandum in festo pentecostes.

Concedit reverendissimus generalis omnibus et singulis fratribus et sororibus ordinis licentiam ut semel possint sibi eligere confessorem fratrem ordinis: qui eos possit absolvere a preteritis usque ad notitiam harum: et dispensari in irregularitatibus sicut possent a sua reverendissima paternitate.

Datum Rome in conventu sancte Marie super Minervam ultima maii. millesimi quingentesimi decimi octavi. Laus deo.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HAEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS IN CONVENTU S. PAULI VALLISOLETANO PROVINCIAE HISPANIAE CELEBRATI SUB REVERENDISSIMO PATRE MAGISTRO GARCIA DE LOAYSA (1) SACRAE THEOLOGIAE CLARISSIMO PROFESSORE TOTIUS ORDINIS PRAEDICATORUM GENERALI MAGISTRO IN FESTO PENTECOSTES 24. MAII ANNO 1523.

Diffinientibus reverendis diffinitoribus suarum provinciarum:
fr. Ioanne Hurtado (2) magistro diffinitore provinciae Hispaniae,
fr. Vitali de Becanis (3) magistro diffinitore provinciae Tolosanae,
fr. Paulo de Acrecio baccalaureo diffinitore provinciae Romanae,
fr. Angelo de Centis magistro diffinitore provinciae Trinacriae,
fr. Ludovico de Castro Pavino magistro socio diffinitore prov. Aragoniae,
fr. Ioanne Cabonis magistro diffinitore provinciae Provinciae,
fr. Petro Martyre de Terdona (4) bachalaureo dif. prov. s. Petri Martyris,
fr. Petro Stacio magistro diffinitore provinciae Portugalliae,
fr. Alberto de las Casas (5) diffinitore provinciae Bethicae.

---

8) ultima] vigesima tertia S.

---

(1) De fr. Garsia de Loaysa cf. supra pag. 157.
(2) De fr. Ioanne Hurtado cf. l. c. pag. 151.
(3) De fr. Vitali de Becanis (Bathanis) cf. l. c. pag. 144.
(4) De fr. Petro Martyre de Terdona cf. l. c. pag. 74.
(5) De fr. Alberto de las Casas cf. SSOP. II, 118.

Epistola reverendissimi magistri ad totum ordinem.

In Dei filio sibi charissimis universis et singulis patribus et fratribus totius ordinis praedicatorum fr. Garcias de Loaysa sacrae theologiae professor ac totius ordinis eiusdem generalis magister et servus salutem et Spiritus Sancti consolationem.

In eas temporum calamitates incidimus, ut quod in primis proposueram, posteaquam sum magisterio totius ordinis permittente domino praefectus, nunquam potuerim ad calcem usque perducere, ut scilicet gregem mihi creditum et per christianum orbem diffusum visitarem, ut si quid fortasse claudicans aut morbidum reperirem, admonitis fomentis infusoque vino et oleo curarem. Si quid vero floridum est, quod fructus honestatis et regularis vitae produceret, eodem quasi in hortum meum descendens pomorum meorum fructum comederem, quae a meis maioribus consita, ac laborum, vigiliarum studiorumque sudoribus irrigata magnam olim foecunditatem ac dulcedinem afferebant. Negatum itaque mihi est, et in haec usque tempora dilatum, quod cum accessu ad vos meo non posset, profectione ad me vestra explendum esse cogitabam, quod tamen secus evenisse videns quam putaram, literis saltim posteaquam coram constitutus nequeo, vos conveniam.

Appello vos itaque omnes, singulos mihi ante ora constituo, non arguo, non increpo, sed oro, obsecro et divini nominis interpositione commoneo, ut ita vestrae professioni, in quam sponte intrastis, incumbatis, ut non solum nomine, sed re ipsa patris nostri beati Dominici vos esse filios ostendatis, memores, quid promiseritis, non oblitos, in quam militiam nomen dederitis.

Duo enim sunt, quae praecipue vos, sub imperatore et duce mereri declarabunt, si vestram primum, si proximorum quoque salutem curaveritis; in hoc enim vitae institutum, et pater noster sanctissimus, et quicumque ex tam nobili plantario processerunt, totis praecordiis ac votis accurrerunt, ut se et proximos ad rectitudinis ac beatae vitae portum de errorum tramite et inundati mundi squallore revocarent.

Has duas ob res calcato mundo, neglectisque omnibus tot egregia facinora, tot virtutum insignia, tot gesta illustria confecerunt, ut iam non sit in orbe angulus, quem bene gestis maiorum nostrorum non refertum esse videamus, quorum si filios nos esse volumus, ut debemus, iisdem nobis vestigiis insistendum est, atque eodem studio et pulvere decertandum, ut videlicet, quae nostram primum, deinde quae proximorum interesse cognoverimus, peragamus, et in nobis si quid concisum depravatumque est, totum fere video in paupertatis voto consistere, quam ita vovemus, ut nihil tamen nobis deesse patiamur.

Hinc nefaria illa· in quibusdam pecuniarum bonorumque detentio. Hinc illa communium rerum destitutio, inde domorum templorumque casus et strages, dum propria complures communibus anteponunt; ita enim in quorumdam animos cupido illa habendi ac retinendi irrepsit, ut trapezitas multos, ac patres familias, non mendicos, non paupertatis professores, non evangelicae veritatis tibicines, non Christi, ubi caput declinaret non habentis, pedisequos, non demum praedicatores praedicatorumque filios videamus. Age iam vulnus hoc in nostro capitulo nunc curabimus, plagamque istam sanctarum institutionum fasciis alligabimus.

Permittite, rogo vos, patres filiique reverendi huiusmodi curationibus ad salutem restitui, recipite ac servate, quae pro convellenda penitus proprietate sancivimus; neque enim asperum quidpiam aut iniucundum afferimus, sed ita omnia salutis plena, ut nihil tamen amaritudinis afferant, sed omnia sunt melle linita, atque omni suavitate respersa.

Alterum est, ut ita in nostram salutem incumbamus, ut tamen, quae sunt proximorum nullo pacto negligamus; ita enim illa oportet facere, ut haec nequaquam omittamus; alioquin claudicabimus, si dextro tantum pede, sinistro sublato, ingredi tentemus, hoc est, si nostro tantum, et non alieno fructui institerimus.

Quo vero tandem adminiculo hac in re melius utemur, aut quo alterius vehiculo ad optatum terminum, quam litterarum studio sacrarum deducemur, quibus tanquam ignitis facibus ac flammantibus corda populorum frigentia calefiant, et subditis tenebris ad aspectum lucis candidum reducantur. Quod si aliquo umquam christiano populo fuit commodum et salutare, nunc est maxime necessarium, cum vineam domini truculentus aper exterminet, et singularis ferus flagitiosis et perversis dogmatibus Christi fidem depascatur; pro qua tutanda maiores olim nostri scribendo atque praedicando, vitas, corpora, animasque posuere. Accingimini ergo, patres ac fratres charissimi, quasi boni vinitores, non solum ad excolendam religiosis moribus, sed etiam sanctis studiis ac praedicationibus orthodoxam fidem protegendam, ut quae fuit praedicatoris Christi sanguine fundata atque apostolicis mox tubis ac praeconis in hoc pulcherrimum aedificium erecta non solum ab impendenti casu et ruina, quam videtur minitare, conservetur, sed in antiquum nitorem et inconcussam sinceritatem florens atque integra redigatur.

Bene valete atque deum pro me orate.

Istae sunt inchoationes.

Inchoamus hanc, quod de beato Lazaro Quatriduano episcopo Marsiliensi et confessore fiat officium totum duplex 17 decembris, et dicatur officium editum a fr. Mathaeo Bandello (1); denunciantes, quod illi, qui

(1) De fr. Matthaeo Bandello cf. SSOP. II, 155.

interfuerint in ecclesia, dum praedictum officium celebratur, aut qui illud recitaverint, indulgentiam septem annorum et totidem quadragenarum ex indulto Leonis X. consequuntur, et qui missae praesentes fuerint decem annos et totidem quadragenas.

De beata Martha hospita Christi fiat festum duplex, cum eisdem gaudeat privilegiis et indulgentiis.

De beato quoque Sebastiano martyre, quia universaliter a populo christiano solemniter celebratur, fiat festum totum duplex.

Idem dicimus de festo sanctae Luciae, quod sub duplici ; nec non de festo decollationis sancti Ioannis Baptistae, de utroque festo sanctae Crucis, quod sub toto duplici celebrentur ; de beata vero Barbara fiat ubique festum simplex.

Inchoamus hanc, quod de beata Maria Magdalena fiant octavae ad instar octavarum beati Augustini, et facultatem damus provinciae Hispaniae, ut si per capitulum provinciale fuerit institutum, quod similiter fiant octavae de beato Iacobo apostolo, similiter ad instar octavarum beati Augustini.

Istae sunt confirmationes.

Confirmamus hanc, quod diffinitor capituli generalis pro tempore proximi futuri ante ultimum annum electus legitimus sit diffinitor, si alius non fuerit postea legitime electus. Idem dicimus de socio illius, qui valeat, et sit eodem modo legitimus socius, et in anno electionis magistri ordinis sit elector, si non est alius elector electus. Et tam diffinitor quam socius habeant litteras testimoniales non tantum a priore provinciali, sed a toto diffinitorio, aliter nullo modo admittantur, nec ad diffinitionem, nec ad electionem magistri ordinis, nisi aliter de iure constiterit ; et haec habet tria capitula.

Confirmamus hanc, quod qui ordinantur sine legitima licentia ordinis, sint ipso facto carceri addicti ad minus per quatuor menses, ibidem secundum arbitrium praelati poenis aliis puniendi, et postmodum non permittantur exequi ordines ipsos sine licentia speciali magistri ordinis ; et haec habet tria capitula.

Istae sunt ordinationes.

In primis ad tollendum detestabile ac pestiferum vitium proprietatis et ad observandam professam paupertatem praecipimus omnibus et singulis fratribus, ubilibet in toto ordine constitutis, cuiuscumque gradus aut conditionis existant, in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae et sub poena gravioris culpae, ne quis praesumat scienter apud se vel aliam personam, cuiuscumque gradus et conditionis, in deposito vel aliter, aut alibi ultra viginti et quatuor horas retinere et habere pecunias aut res aureas vel argenteas quascumque quomodolibet acquisitas ad suum

vel cuiusvis alterius secularis vel regularis personae usum, vel cuicumque fratri vel seculari mutuo dare, aut sine licentia praelato mutuo accipere, vel quomodolibet dispendere, vel alienare; contra faciens in aliquo istorum ultra poenam gravioris culpae, quam incurrat, et quam ipso facto absque declaratione incurrisse et ad eam condemnatum esse declaramus in utroque foro, et tamquam proprietarius furti iudicio condemnetur, et ex nunc omnia et singula apud huiusmodi quoquo modo detenta, ubilibet constituta communitati et conventui, in quo fuerit assignatus praesenti statuto applicamus et applicata esse decernimus et declaramus. Omnes autem pecuniae et res aureae vel argenteae sive ex eleemosinae intuitu a parentibus, consanguineis, amicis vel aliis personis datae, sive alias undecumque, et ex quacumque causa quomodolibet ad fratrem aliquem devenientes ponantur in una arca forte claudenda duabus ad minus vel tribus clavibus, forma et magnitudine diversis, quarum unam praesidens, reliquas diversi patres seniores teneant, ita quod nullo pacto etiam ad cuiuscumque magistro ordinis inferioris praeceptum in manu unius unquam tempore omnes claves serventur; omnia quoque, quae frater acquisierit in officiis praedicationis, audientiae confessionum, lectoriae in quacumque facultate, seu ex arte aliqua mechanica, ad communitatem conventus veniant, cui assignatus est, ad quem cum venerint, statim omnia, fraude et dolo semotis, ponant ad pedes praelati pro bono et utilitate communitati. Et quamvis omnia, quae acquisierit monachus et religiosus, acquirat monasterio et non sibi, et praeterea ad communem usum conventus debent venire, et ex communi debet omnibus provideri, quia tamen adhuc quaedam domus et conventus in diversis provinciis ordinis semel a pristina observantia collapsi adhuc ad vitae reformatae statum, ut cupimus, non pervenerunt, ideo permittimus huiusmodi de vita communi et laxiori nuncupatis, et adhuc non reformatis, seu in conventibus adhuc non reformatis assignatis, donec conventus huiusmodi ad observantiam reducantur, ut si iudicio praesidentis et patrum simul congregatorum habeat huiusmodi frater aliquam necessitatem pro indumentis, libris, infirmitate vel magna inopia parentum vel consanguineorum usque ad secundum gradum, possint illis de acquisitis ex dictis officiis portionem aliquam dimittere, non tamen apud illum, sed ex communi arca, ut praemissum est, servandam; sub eisdem quoque praecepto et poena ac bonorum applicatione mandamus, ut quicumque frater habuerit quamcumque possessionem vel res mobiles sive haereditario iure sive quovis alio titulo, statim infra mensis spatium a notitia praesentium illas consignet conventui suo originali; valde enim absurdum est, ut frater aliquis habeat possessiones, quas toti ordini nonnisi ex dispensatione papae licet. Contrafacientes supradictas

poenas incurrisse declaramus, et applicata esse omnia communitati conventus illorum originalis praesenti statuto decernimus. De fructibus tamen talium possessionum et rerum dari poterit illi fratri talis portio, si necesse fuerit, quae sufficiat illius necessitatibus ad arbitrium reverendi provincialis pro tempore, vel patrum sui conventus originalis. Sub eisdem praecepto et poenis, quas contrafacientes incurrisse ex nunc ipso facto declaramus, ne quis negociationem exerceat quarumcumque rerum et mercimoniarum, cum prohibitum sit clericos ipsos seculares, nec dum religiosos, qui se arctiori vinculo alligarunt, negotiari. Eleemosynae vero intuitu personae a quibuscumque personis cuivis fratri ex conventibus adhuc non reformatis et huiusmodi assignato, datae sint pro illius necessitatibus vel honestis utilitatibus. Studentes quoque, quandiu sunt in studio, quia omnibus non providetur a conventu in quo student de libris et indumentis, acquisita ex officio praedicationis et audientiae confessionis possunt retinere ; ita tamen quod in omnibus casibus praedictis nullus sub dictis poenis et conditionibus, ut praefertur, pecuniam apud se retineat, sed semper in arca communi modo praedicto, nec expendatur sine licentia praelati. Praecipimus autem praesidentibus et depositariis pro tempore tam provinciae quam conventuum in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae et sub poena excommunicationis latae sententiae et absolutionis a suis officiis, quam incurrisse statim declaramus, ne quis quaesito colore etiam praetextu urgentis necessitatis pecuniam iuxta praedictas moderationes in usum fratrum depositas sine eorum voluntate, ad quos pertinent, expendant, sed teneant illas non pro illorum voluntate, sed honesta utilitate vel necessitate dare et expendere, ita tamen quod semper omnium expensarum causa et quantitas scribatur in libro rationum. Et sub eisdem poenis praecipimus, ut fratribus ad alios conventus legitime assignatis, dum illuc pergere voluerint, depositatae ab eis pecuniae reddantur, et pro eorum viatico et aliis necessitatibus. Qui autem in aliquo praemissorum contrafaciens dictas poenas incurrerit, volumus, quod a nemine possit absolvi aut restitui, nisi per diffinitores capituli generalis vel per solum magistrum ordinis, nisi prius paruerit ordinationibus et praeceptis praedictis ; tunc enim ad ordinariorum auctoritatem pro absolutione illum remittimus ; ne autem fratres cogantur in vitium proprietatis incidere, mandamus sub poenis absolutionis a suis officiis et gravioris culpae praesidentibus, ut fratribus de competenti victu et vestitu provideant, et sub eisdem poenis, ut infirmi tam maiores, quam minores sint bene et honeste tractati, sicut priori provideretur, ita ut non cogantur ire ad hospitalia vel domos secularium ; instituaturque infirmarius vir charitativus, qui eorum curam gerat ; praecipimusque reverendis provincialibus pro tempore, ut priores, quos in hoc

invenerint negligentes, statim, alia causa non quaesita, absolvant et poenae gravioris culpae per spatium dierum octo puniant et castigent.

Ordinamus, quod ubi est consuetudo pulsandi organa, nunquam symbolum fidei, quod in missa cantatur organis, vel ex toto, vel ex parte pulsetur in quovis etiam solemni die, ne fidem quam profiteri palam tenemur et populo praedicare, sub modulis organorum videamur occultari. Hymnus quoque angelicus « Gloria in excelsis deo » in festis de praecepto et dominicis diebus aut aliis, quae a populo solemniter celebrantur, semper cantetur a choro, aut si aliquando visum fuerit expedire, dictus hymnus alternatim a choro et organis cantetur, ita quod nunquam organis tantum dictus hymnus pulsetur. Antiphonae autem quaecumque nunquam ab organis, sed semper per totum annum a choro cantentur, nisi aliquae repetantur, ut in festo toto duplici, et tunc poterunt semel pulsari cum organis sive sit ante vel post « Magnificat » et « Benedictus ». Sequentia autem pro tempore etiam solemnissimis diebus nunquam organis pulsentur, sed unus versus a cantoribus, alter a toto choro alternatim cantentur. Ut autem ordinatio praedicta efficaciam habeat, mandamus praesidentibus conventuum et choro sub poena absolutionis ab officiis suis ipso facto incurrenda, ut hanc ordinationem inviolabiliter servent.

Prohibemus districte omnibus et singulis praesidentibus et fratribus provinciarum et congregationum et conventuum quorumcumque, ne instituant procuratores ad defendendum se vel alios ordini subiectos coram quibuscumque iudicibus saecularibus contra praecepta et obedientiam magistri generalis, et si secus factum fuerit, sit irritum et inane.

Praecipimus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae praesidentibus provinciarum, congregationum et conventuum sub poena absolutionis a suis officiis, quam contrafacientes ipso facto incurrant, ne quovis modo permittant, mulierculas in conventibus servire vel morari in coquina vel aliis huiusmodi officinis, et si aliqui conventus recepenint donatarias vel praebendarias, omnino expellantur a conventibus infra mensem.

Prohibemus omnibus et singulis fratribus sub poena carceris, quam contrafacientes ipso facto incurrant, ne confessiones audiant in hebdomada sancta in basilica sancti Petri de Urbe sine speciali licentia magistri reverendissimi generalis, vel eo ab Urbe absente, sine licentia reverendi procuratoris seu vices eius gerentis in scriptis obtenta; contrafacientibus autem dictus reverendus procurator dictam poenam infligat.

Prohibemus sub poena gravioris culpae, quam contrafacientes ipso facto incurrant, omnibus et singulis fratribus, cuiuscumque conditionis sint, ne quis libros quosvis a se vel ab alio fratre noviter compositos

edat in publicum vel imprimi faciat sine expressa licentia reverendissimi generalis in scriptis obtenta et sine praemisso diligenti examine et approbatione doctorum virorum, revocantes omnem gratiam a quavis potestate ordinis concessam, et nihilominus servetur circa editionem et impressionem huiusmodi librorum ordinatio concilii Lateranensis et alia de iure servanda.

Prohibemus omnibus fratribus ordinis, ne quis vadat ad urbem Romam sine licentia sui provincialis vel vicarii generalis sive provinciae sive congregationis, et hoc sub poena carceris.

Mandamus praesidentibus et patribus conventuum exemptorum, ut prioribus provincialibus solvant solitas contributiones. Concedentes prioribus provincialibus pro tempore potestatem, ut post elapsum tempus solutionis, possint dictorum conventuum praesidentes et patres compellere per praeceptum et poenae gravis culpae comminationem et condemnationem et declarationem ; volentes quod, si aliquis in hoc eis inobediens propterea declaratus fuerit ab eisdem incurrisse in poenam gravioris culpae, a solo reverendissimo magistro restitui possit. Revocantes omnem gratiam cuicumque in oppositum concessam cum quibuscumque excogitabilibus clausulis ; declarantes, hanc esse nostram deliberatam voluntatem.

Praecipimus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae et sub excommunicatione latae sententiae, quam contrafacientes ipso facto incurrant, quamque una pro trina canonica monitione praemissa ferimus in scriptis, ne quis subtrahat conventus a iurisdictione provincialis sine auctoritate summi pontificis vel magistri ordinis.

Mandamus omnibus et singulis provincialibus sub poena absolutionis ab officiis suis, ut cum omni studio et diligentia curent reformare conventus suos, maxime in tribus essentialibus votis, et subditos, ut illis secundum professionem obediant.

Quoniam fons vivus, quo universus ordo noster aquis sapientiae irrigari solet, est conventus noster Parisiensis, et licet reverendissimus generalis zelo reformationis accensus, quasdam ordinationes factas in capitulo congregationis Nannetensis de dicto conventu Parisiensi, quoad numerum recipiendorum et tempus residentiae confirmaverit, illuc vocatis magistris et patribus gravibus, qui Parisius cum omnium pertinentium ad conventum experimento et certa scientia longo tempore fuerunt conversati, et illis auditis comperimus conventum non gravari, sed iuvari multitudine studentium, et mores eadem multitudine non perire, sed defectu regionis praelatorum, ideo, textu constitutionum de duobus mittendis aut tribus, exceptis provinciis etc. et dicta confirmatione reverendissimi non obstantibus, praesenti statuto ordinamus, quod de cae-

tero fratres, qui cum licentia et voluntate reverendissimi ac reverendorum provincialium et vicariorum congregationum mittantur Parisius cum sufficienti provisione in quantocumque numero recipiantur ad studendum in artibus sive in theologia. Volumus tamen et praecipimus, ut venientes per priorem et regentes aut per alios magistros rigide examinentur de litteratura, de aptitudine ad litteras, ac de affectu religionis. Praecipientes in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae ac sub poena absolutionis a suis officiis vicario congregationis Gallicanae et priori conventus Parisiensis et regentibus et caeteris omnibus, ne in fraudem huius nostrae ordinationis et absque alio impedimento legitimo aliquem audeant remittere seu recusare.

Item quia promovendos ad lecturam sententiarum in quibuscumque universitatibus, et maxime in studio Parisiensi, longo exercitio studii lectionum oportet esse exercitatos, eodem praecepto et sub eisdem poenis praefatis vicario et priori et regentibus et aliis quibuscumque praecipimus, ne aliquem sufficientem provisum, studiosum et bene morigeratum occasione trium vel quatuor annorum et supra audeant remittere absque speciali revocatione reverendissimi aut suorum praelatorum.

Item volentes providere, ne vagatione fratrum religio solvatur, ordinamus et volumus, ut si quis studentium eundo ad actus scholasticos, exceptis tantummodo bachalaureis Parisiensibus, processionem studentium dimiserit eundo vel redeundo, hoc ipsum sit causa sufficiens suae expulsionis a conventu, nisi forte priori cum consilio visum fuerit hanc expulsionem in poenam gravioris culpae commutare.

Item ordinamus, quod si aliquis extraneorum aliquod crimen commiserit, propter quod secundum nostras constitutiones incurrat poenam gravioris culpae, ipso facto ultra poenam possit expelli a conventu Parisiensi.

Declaramus etiam magistros et bachalaureos Parisienses nationis extraneorum ad consilium strictum conventus Parisiensis pertinere, et ut doctrina sancti doctoris Parisius et ubique ad utilitatem ecclesiae fructificet, imponimus vicario congregationis et priori ac toti consilio conventus Parisiensis, ut omnem curam et diligentiam adhibeant, ut ad minus tres lectiones quotidie de sancto Thoma in schola suo nomini sacra legantur cum suis conferentiis et frequentia circulorum et aulicarum.

Monemus omnes et singulos totius ordinis fratres ac praesertim qui litteris et praedicatione praecellent, et in domino hortamur, nec non si meritum obedientiae volunt, iniungimus illis, ut contra pestifera et virulenta Martini Luteri dogmata, quae paulatim serpentia in tantam perniciem eruperunt magnamque stragem in ecclesia ac ruina minantur, non solum orationibus, sed sanctis praedicationibus totis conatibus se

opponant privatim ac publice in templis, domi, foris, apud populares, proceres et quoscumque principes orthodoxam fidem contra illius figmenta et haereses tueantur.

Istae sunt denuntiationes.

Denuntiamus sanctissimum dominum felicis memoriae Leonem X. divisisse provinciam Regni, quae hactenus fuit, in duas, quarum una antiquum nomen retinet, altera vero provincia sancti Thomae appellatur.

Denuntiamus eiusdem memoriae Leonem X. nostro ordini affectuosissimum inter plurima, quae in nostrum ordinem beneficia contulit, etiam hoc per litteras suae sanctitatis in forma brevis contulisse, quod infrascripti tenoris est:

Leo papa X. Dilectis filiis magistro generali et fratribus ordinis praedicatorum salutem et apostolicam benedictionem.

Exposuit nobis venerabilis fr. noster Nicolaus, episcopus Albanensis sacrosanctae Romanae ecclesiae cardinalis, vestri ordinis protector, quod videlicet inter privilegia fratribus ordinis minorum concessa ab apostolica sede, hoc unum esse dicatur, ut quoties sancti Francisci, sancti Antonii de Padua nec non sancti Ludovici et sancti Bonaventurae ac sanctae Clarae festivitates, et eorum octavae occurrunt tempore, quo civitates, oppida et loca, in quibus huiusmodi festa celebrantur, ecclesiastico interdicto, etiam apostolica supposita sunt auctoritate, dictis festivitatibus et eorum octavis respective durantibus, interdictum huiusmodi suspendere et in ecclesiis domorum suarum pulsatis campanis, apertis ianuis, nominatim excommunicatis et interdictis exclusis, missas et alia divina officia alta voce celebrare possint, et omnia privilegia eidem ordini minorum et eius professoribus concessa ex eiusdem sedis benignitate sint dicto ordini et vobis communicata, vosque tam illorum, quam forsan specialis indulti vobis concessi desuper vigore, ut alias in aliquibus mundi partibus in sanctorum Dominici, Petri Martyris, Thomae de Aquino et Vincentii ac Catharinae de Senis festivitatibus et eorum octavis respective durantibus in ecclesiis domorum vestrarum similiter facere consuevistis. Tamen, quia super hoc vobis, eo quod de dictorum fratrum minorum, ac specialibus vestris privilegiis, legitimam ubique fidem sine magna impensa facere non potestis, ab aliquibus posset molestia vel impedimentum afferri, dictus episcopus nobis humiliter supplicavit, ut vobis supra hoc de opportuno remedio providere ex simili benignitate dignaremur. Nos autem ad tantorum sanctorum merita et venerationem debitam respectum habentes, huiusmodi inclinati supplicationibus devotioni vestrae, ut quoties dictae festivitates sanctorum Dominici, Petri Martyris, Thomae de Aquino et Vincentii ac sanctae Catharinae de Senis, et eo-

rum octavae quomodocumque etiam per translationem celebrandae occurrerint in tempore, quo civitates, oppida et loca ecclesiastico interdicto, etiam auctoritate apostolica sunt supposita, in ecclesiis domorum vestrorum et monasteriorum, quorum cura vestro ordini est commissa, nisi ecclesiae ipsae vel vos nominatim interdicti sitis, vel causam dederitis interdicto, vel etiam foveatis, possitis, pulsatis campanis, apertis ianuis, interdictis et excommunicatis exclusis, alta voce missas et alia divina officia diurna et nocturna in diebus festivitatum earumdem et octavis earum respective durantibus, etiam si per octavas ipsas et in die octavarum non nisi memoria de sanctis ipsis fieret, libere et licite celebrare auctoritate apostolica concedimus per praesentes et volumus, ut quoties dictarum festivitatum et octavarum earumdem celebrationes qualibet ex causa etiam extra tempus interdicti transferrentur, etiam indulgentiae dictas ecclesias in festivitatibus huiusmodi et per earum octavas visitantibus pro tempore concessae, ad tempus celebrationis huiusmodi sint et censeantur translatae; quodque ad effectum praemissorum nullam de indultis et privilegiis praedictis fidem facere teneamini, sed praesentes et earum transcripta, quibus manu notarii publici subscripta et sigillo alicuius in dignitate ecclesiastica constituti munita eam prorsus fidem, quae ipsis praesentibus adhiberetur, decernimus esse adhibendam, ubique sufficiant. Non obstantibus ordinationibus et constitutionibus apostolicis in provincialibus et synodalibus conciliis statutis et consuetudinibus, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis. Quibus omnibus illis alias in suo robore permansuris ex certa scientia expresse derogamus caeterisque gratiis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die 23 iulii 1518 pontificatus nostri anno ·VI·

Istae sunt declarationes.

Declaramus, quod assignati in his actis ad legendum sententias non sunt assignati pro forma et gradu magisterii, nisi ubi expresse haec particula addatur. Declaramus tales nullum habere locum alium, quam suae professionis, nisi in actibus scholasticis, aut habere privilegium aliquod aut exemptionem, nisi actu legerint et lecturam compleverint, sed qui inventi fuerint viriliter in studio litterarum desudasse et reipsa profecisse, poterunt postmodum suo tempore non tamen absque capituli generalis vel magistri ordinis expressa et in scriptis habita licentia ulterius promoveri. Illi autem, qui in his actis ad legendum bibliam vel sententias fuerunt assignati pro forma et gradu magisterii, non possint incorporari in aliqua universitate, et licentiati ad magisterium in theologia suscipiendum, non possint gradum huiusmodi suscipere, nisi servatis omnibus, quae continentur in additione novae constitutionis in capitulo de studentibus.

Declaramus omnes iubilarios factos hucusque et in posterum faciendos in toto ordine nulla alia exemptione gaudere, quam non eundi ad officium nocturnum, et ut ad officium hebdomadariae non notentur; in his enim duobus propter infirmitatem et senectutem a labore illis parcimus, in aliis autem omnibus nulla prorsus exemptione aut gratia praetextu iubilariatus gaudere declaramus.

Istae sunt acceptationes.

Acceptamus conventum s. Mariae de Gratia in villa, quae dicitur Lepe, provinciae Bethicae aedificatum ab illustrissimo domino marchione de Ayamonte.

Acceptamus locum sancti Vincentii in Monte Albano provinciae Aragoniae in conventum erigendum, ita tamen ut in receptione ecclesiae ordini a populo collatae nihil in praeiudicium contineatur libertatis et immunitatis ecclesiasticae aut nostri ordinis privilegiorumque nobis a sede apostolica concessorum, et si secus factum fuerit, recusamus et reiicimus et refutamus praedictam ecclesiam, non autem locum et domum, quae tale praeiudicium non continent, cum sint fundata in solo ad ordinem pertinente, quod sic non contingit de ecclesia.

Acceptamus conventum sanctae Mariae de consolatione de Gotor reductum per reverendissimum magistrum ordinis ad conventum de loco et domo ordinis in provincia Aragoniae, cui dedit priorem et ad regularem observantiam reformavit, volentes in suo robore permanere omnia et singula a reverendissimo magistro ordinis constituta in favorem praedicti conventus pro conservatione vitae regularis.

Istae sunt approbationes.

Approbamus magisterium fr. Ioannis de Salamanca (1) provinciae Hispaniae, fr. Dominici de Alcaraz (2) provinciae Hispaniae, fr. Petri Oduardi (3) conventus Parisiensis congregationis Gallicanae, fr. Ioannis Gorneli, fr. Ioannis de Anisio, fr. Raymundi de Abbatia provinciae Tholosanae, fr. Ioannis Apaysi, fr. Iacobi Armandi, fr. Antonii Gilberti (4) iunioris provinciae Provinciae cum conditionibus tamen, quas per litteras reverendissimus magister ordinis expressurus est, quibus non servatis, nullius sit roboris praesens approbatio quoad istos tres supra scriptos provinciae Provinciae.

Item. Approbamus magisteria fr. Angeli de Centis (5) et fr. Em-

---

(1) De fr. Ioannne de Salamanca cf. supra pag. 68.

(2) De fr. Dominico de Alcaraz cf. l. c. pag. 144.

(3) De fr. Petro Oduardi (Oudardi) cf. l. c. pag. 118.

(4) De fr. Antonio Gilberti cf. l. c. pag. 76.

(5) De fr. Angelo de Centis cf. l. c. pag. 178.

manuelis de Estazo, diffinitores praesentis capituli, et fr. Didaci Nogueza provinciae Portugalliae.

Approbamus lecturam fr. Michaelis Moguela provinciae Aragoniae.

Approbamus licentiaturam fr. Guillermi Martini conventus Rutenensis provinciae Tholosanae.

Approbamus lecturam fr. Sancii de Calveria, fr. Ioannis Racoli, fr. Ioannis de Brabio provinciae Tholosanae, fr. P. Romani provinciae Provinciae, fr. Iacobi Raimundi eiusdem provinciae.

Approbamus sententiam datam per diffinitores provinciae Provinciae in capitulo Cistaricensi contra fr. Antonium Boyni conversum conventus Acquensis, qui in habitu albo sine licentia assumpto multa scelera commisit.

Approbamus et confirmamus pacta et conventiones initas inter conventum s. Pauli Cordubensis provinciae Bethicae cum domino Ferdinando Alfonso milite Cordubensi super collegium in dicto conventu construendo, ita tamen quod collegium visitetur et collegiales eidem assignentur iuxta tenorem bullae erectionis dicti collegii (1).

Approbamus sententiam datam in capitulo provinciali provinciae Romanae contra fr. Petrum Franciscum Cambium de Florentia, volumusque in suo robore permanere.

Approbamus fr. Sebastianum de Avero provinciae Portugalliae in praedicatorem generalem.

Istae sunt translationes.

Transferimus fr. Ioannem de Olerto provinciae Hispaniae a conventu Salamantino ad conventum Ovetensem, fr. Dominicum de Alcantara a conventu Corunae ad conventum Petraefixae provinciae Hispaniae, fr. Ioannem Portugalensem conversum a provincia Hispaniae de conventu Vallisolitano ad conventum Caesaraugustanum provinciae Aragoniae, fr. Dominicum de Segovia conversum a conventu s. Petri Dominarum ad conventum s. Pauli Palentini provinciae Hispaniae, fr. Cyprianum de Alcovendas de conventu sancti Dominici de Scala Coeli ad conventum s. Pauli Cordubensem, fr. Petrum Alos a conventu Palentino provinciae Hispaniae ad conventum Caesaraugustanum provinciae Aragoniae, fr. Laurentium de Ebora a provincia Hispaniae ad provinciam Portugalliae, fr. Ioannem de Contreras a provincia Bethicae a conventu Hispalensi ad conventum Segovianum provinciae Hispaniae, fr. Damianum Angel (2) praesentatum a suo conventu ad conventum Murciensem provinciae Bethicae, fr. Ioannem de Nieva a conventu Malaticano provinciae Bethicae ad conventum s. Petri Dominarum provinciae Hispaniae.

(1) Cf. BO. IV, 340 n. 52.

(2) De fr. Damiano Angel cf. supra pag. 90.

Istae sunt assignationes.

Conventui Salmaticensi provinciae Hispaniae assignamus ad legendum sententias fr. Reginaldum Carrillo pro primo anno. Pro secundo fr. Didacum de Astudillo. Conventui Toletano eiusdem provinciae assignamus ad legendum sententias fr. Didacum de Aiala. Conventui Segoviensi eiusdem provinciae assignamus ad legendum sententias fr. Dominicum Galindo. Conventui Abulensi eiusdem provinciae assignamus ad legendum sententias fr. Sebastianum de Olmedo (1). Conventui de Benalac eiusdem provinciae assignamus ad legendum sententias fr. Antonium de Espinosa omnes de provincia Hispaniae pro forma et gradu magisterii.

Conventui s. Pauli Hispalensi provinciae Bethicae assignamus in regentem pro tribus annis fr. Vincentium Mariam praesentatum. In bachalaureum pro tribus annis fr. Antonium Romero pro forma et gradu magisterii. Collegio s. Thomae Hispalensi eiusdem provinciae assignamus in regentem fr. Antonium Criado (2) magistrum pro tribus annis. In bachalaureum pro primo anno fr. Dominicum de Murcia, pro secundo fr. Dominicum de Baltanas (3), pro tertio fr. Didacum de Alcantara omnes pro forma et gradu magisterii. Conventui s. Pauli Cordubensi assignamus in regentem pro tribus annis fr. Michaelem de Araoz, in bachalaureum pro tribus annis fr. Lucam Metinensem pro forma et gradu magisterii.

Istae sunt absolutiones.

Absolvimus, cassamus et irritamus electionem factam a provincia Provinciae de fr. Antonio Gilberti (4) magistro electo in provincialem, nulla eius culpa aut exigentibus demeritis, sed ob quasdam rationabiles causas nobis cognitas, mandamusque, ut ad electionem alterius procedant, damusque in vicarium provinciae et electionis fr. Albertum Virateli (5) magistrum, quem volumus sub praecepto et poena excommunicationis praedictum vicariatum accipere et exequi, quousque provincia provincialem habeat confirmatum et praesentem; absolventes et absolutum esse nunciantes quemcumque alium vicarium, qui praedictae provinciae praesideret.

Suspendimus ab officio provincialatus provincialem provinciae Portugalliae propter transgressionem praecepti a reverendissimo magistro illi facti, inhabilitamusque eum per spatium sex annorum ad officium provincialatus, nolumusque illum a praedicta suspensione et inhabilitatione

(1) De fr. Sebastiano de Olmedo cf. SSOP. II, 168.
(2) De fr. Antonio Criado cf. supra pag. 145.
(3) De fr. Dominico de Baltanas cf. SSOP. II, 170.
(4) De fr. Antonio Gilberti cf. supra pag. 82.
(5) Forte idem ac A. Villareti (Vilereti), de quo l. c. pag. 88.

posse absolvi et in gradum pristinum restitui, nisi forsan vicario provinciae, quem instituimus per praesentes reverendum patrem fr. Gregorium Pardo (1) magistrum provinciae Hispaniae, propter illius humilitatem et probitatem videatur. Cui vicario damus omnem auctoritatem absolvendi, instituendi, destituendi, puniendi et incarcerandi, excommunicandi, et omnia et singula faciendi, quae provinciales possunt in suis provinciis. Mandantes sub praecepto in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae omnibus fratribus et sororibus, aut quibuslibet ad praedictam provinciam Portugalliae pertinentibus, ut illi in omnibus secundum suam professionem obediant; volumusque durare vicariatum et potestatem illi concessam, quousque fuerit provincialis praesens in provincia et confirmatus.

Istae sunt poenitentiae.

Removemus a conventu Genuensi s. Dominici fr. Ludovicum de Genua (2), et remittimus eum ad provincialem, ut alibi assignet eum; necnon condemnamus eum ad poenam gravioris culpae (et) propter enormem excessum intentatum contra priorem suum, nec volumus restitui per aliquem inferiorem reverendissimo magistro.

Istae sunt commissiones.

Committimus reverendissimo magistro ordinis omnem nostram auctoritatem et facultatem addendi, minuendi, mutandi, dispensandi, et breviter omnia et singula faciendi, quae generale capitulum posset, etiamsi talia forent, quae mandatum exigerent magis speciale; volentes, quod simplici eius verbo credatur.

Committimus et concedimus singulis huius capituli diffinitoribus praesentibus, ut quilibet possit recipere unum apostatam in suis provinciis cum litteris testimonialibus.

Ista sunt suffragia pro vivis.

In primis pro sanctissimo domino nostro papa Adriano sexto, et pro reverendissimo cardinali de Flisco nostri ordinis protectore, nec non pro reverendissimo cardinali s. Sixti quilibet sacerdos unam missam.

Pro clementissimo et potentissimo domino domino Carolo Caesare semper Augusto toti ordini affectissimo, qui oppulentissimam et Caesaream dedit eleemosynam praesenti capitulo illudque sua praesentia, ter veniens ad conventum, decoravit, quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimis dominis domino duce de Alva, duce de Alburquerque, marchione de Denia, marchione de Villena, domino Comestabile, domino Admiranto quilibet sacerdos unam missam.

---

(1) De fr. Gregorio Pardo cf. l. c. pag. 90.

(2) De fr. Ludovico de Ianua cf. l. c. pag. 175.

Pro receptis ad beneficia ordinis quilibet sacerdos unam missam.

Ista sunt suffragia pro defunctis.

In primis pro anima reverendissimi domini Matthaei cardinalis de Ursinis ex nostro ordine assumpti, qui perpetuam reliquit eleemosynam capitulo generali, quilibet sacerdos unam missam.

Pro animabus fratrum et sororum ordinis defunctorum quilibet sacerdos unam missam.

Pro animabus eorum qui, dum viverent, recepti fuerunt ad beneficia ordinis per litteras, quilibet sacerdos unam missam.

Loco missae clerici septem psalmos et laici triginta pater noster.

Sententias iudicum approbamus et volumus in suo robore permanere.

Auctoritatem diffinitorum durare volumus usque ad secundam feriam inclusive.

Mandamus acta huius capituli per reverendos diffinitores diligenter conscripta et correcta ac sigillo ordinis sigillata ad suas provincias deferri et ad minus quater in anno legi.

Et quia ex impedimento bellorum et pestis non omnes diffinitores convenerunt, mandamus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae provincialibus seu praesidentibus provinciarum infrascriptis, ut praesentia acta mittantur ad alias provincias infrascriptas, quam citius fieri poterit, ad expensas provinciarum, ad quas mittuntur. Videlicet provincialis Tholosanus vicario congregationis Franciae, provincialis autem Franciae vicario congregationis Gallicanae, et provincialis Angliae necnon inferioris Germaniae provinciali Theutoniae. Provincialis Theutoniae provinciali Saxoniae, provinciali Datiae et Poloniae. Provincialis s. Petri Martyris provinciali s. Dominici et vicario congregationis Lombardiae. Provincialis s. Dominici provinciali Dalmatiae. Provincialis Dalmatiae provinciali Ungariae et Bohemiae. Provincialis Romanus provinciali Regni et vicario congregationis s. Marci. Provincialis Regni provinciae s. Thomae.

Sequens capitulum, quod erit provincialium, assignamus Florentiae in conventu s. Mariae de Novella provinciae Romanae, anno domini 1526 hinc ad triennium ponimus celebrandum in festo penthecostes.

Concedit reverendissimus magister omnibus et singulis fratribus et sororibus, ut sibi possint semel eligere confessorem ordinis, qui eos possit absolvere de omnibus praeteritis usque ad notitiam harum, et dispensari possint in irregularitatibus, sicut posset sua reverendissima paternitas dispensare.

Datum Vallisoleti in conventu s. Pauli die 24. maii 1523.

In nomine domini nostri Iesu Christi
et beatae virginis matris eius et beati patris nostri Dominici. Amen.

HAEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS
ROMAE CELEBRATI
IN CONVENTU S. MARIAE SUPER MINERVAM
IN FESTO PENTECOSTES
DIE 3 IUNII ANNO DOMINI ·M°·D°·XXV°· IUBILAEI
SUB REVERENDISSIMO
PATRE FRATRE FRANCISCO SILVESTRO FERRARIENSI (1)
SACRAE THEOLOGIAE PROFESSORE
IN EODEM CAPITULO UNANIMITER ELECTO
MAGISTRO GENERALI

Diffinientibus communiter reverendis prioribus provinciarum atque diffinitoribus earum videlicet:
fr. Vitale de Bechanis (2) magistro provinciali Tholosae,
fr. Petro Martini (3) magistro provinciali Franciae,
fr. Ioanne de Liniaco (4) magistro provinciali sancti Dominici,
fr. Philippo Strozzi (5) provinciali provinciae Romanae,
fr. Thoma de Aversa (6) provinciali Regni Siciliae,
fr. Ioanne Garsiae magistro provinciali Trinacriae,
fr. Ioanne Cambonis magistro provinciali Provinciae,
fr. Leandro (7) Bononiensi provinciali Terrae sanctae,
fr. Luca Gallo magistro provinciali s. Petri Martyris,
fr. Balthassare Mendel (8) magistro provinciali Bohemiae,
fr. Vincentio Buccia (9) magistro provinciali Dalmatiae,
fr. Andrea Ugonis provinciali inferioris Germaniae,
fr. Vito de Mathera (10) magistro provinciali provinciae s. Thomae.

---

(1) De fr. Francisco Silvestro Ferrarien. cf. SSOP. II, 59; supra pag. 143.
(2) De fr. Vitale de Bechanis cf. l. c. pag. 178.
(3) De fr. Petro Martini cf. l. c. pag. 153.
(4) De fr. Ioanne de Liniaco cf. l. c. pag. 61.
(5) De fr. Philippo Strozzi cf. Masetti l. c. pag. 35.
(6) De fr. Thoma de Aversa cf. supra pag. 2.
(7) De fr. Leandro Alberti cf. SSOP. II, 157, 825.
(8) De fr. Balthassare Mendel cf. supra pag. 156.
(9) De fr. Vincentio Buccia (Buchia) cf. l. c.
(10) De fr. Vito de Mathera cf. l. c. pag. 150.

Diffinitoribus vero:

fr. Petro Matthei (1) magistro diffinitore provinciae Tholosanae,
fr. Gulielmo Andoni magistro diffinitore provinciae Franciae,
fr. Dominico Rolingio diffinitore provinciae s. Dominici,
fr. Nicolao Columbo (2) magistro diffinitore provinciae Romanae,
fr. Sebastiano de Montellis (3) magistro diffinitore provinciae Regni,
fr. Aloysio de Catanea magistro diffinitore provinciae Trinacriae,
fr. Gregorio Transilvano diffinitore provinciae Ungariae,
fr. Adriano de Polonia (4) magistro diffinitore provinciae Poloniae,
fr. Michaele Mayvella diffinitore provinciae Aragoniae,
fr. Petro Nicolai de Datia diffinitore provinciae Datiae,
fr. Antonio Turcimandi diffinitore provinciae Provinciae,
fr. Andrea de Voragine (5) magistro provinciae s. Petri Martyris,
fr. Gregorio de Iadra (6) magistro diffinitore provinciae Dalmatiae,
fr. Petro de Novomagio magistro diffinitore prov. inferioris Germaniae,
fr. Antonio de Caramanico (7) magistro diffinitore provinciae s. Thomae.

Littera magistri ordinis directa fratribus omnibus praedicatorum ordinis.

Frater Franciscus Silvester Ferrariensis sacrae theologiae professor ac totius praedicatorum ordinis generalis universis patribus et fratribus ordinis eiusdem salutem et spiritum gratiae salutaris.

Divinus nos apostolus monet, ut qui praeest, in sollicitudinem praesit. Propterea, inquam, quod nisi vigilaverit pastor, evenire facillime possit, ut dispergatur grex, dilanietur, dissipetur.

Quare cum divino numine, sine quo nihil aut in coelis agitur, aut disponitur in terris, effectum sit, ut sacro nostro praedicatorum ordini, quamquam immeritus, omniumque minimus praefectus sim, meae partes esse duxi huiusce nostri ordinis integritati salutique pro viribus intendere. Maiores itaque, qui in sollicitudinis meae partes sunt assumpti, hortor in domino, ut omne studium omnemque diligentiam adhibeant, quo in nostris coenobiis religiose sancteque vivatur, studeantque malis moribus, qui religionis nostre decorem commaculant, (et) evulsis, bonos mores inserere, quibus noster ordo ornari possit et extolli.

---

(1) De fr. Petro Matthaei cf. MOPH. VIII, 432.
(2) De fr. Nicolao Columbo cf. SSOP. II, 72.
(3) De fr. Sebastiano de Montellis cf. supra pag. 71.
(4) Videtur esse idem ac Adrianus de Cracovia, de quo l. c. pag. 150.
(5) De fr. Andrea de Voragine cf. l. c. pag. 117.
(6) De fr. Gregorio de Iadra cf. l. c. pag. 50.
(7) De fr. Antonio de Caramanico cf. l. c. pag. 123.

Hoc ipsum autem agi facile poterit, si ad communem victum, si ad obedientiam, si ad studia, si ad spiritualia exercitia inducenda mentem animumque intenderint. Quid enim aliud, patres, nobis, qui praefecturam gerimus, agendum est, quam ut supremi pastoris nostri vestigia sectantes oves perditas requiramus? Enitamurque eas omnibus, quibus possumus modis, ad gregem reducere in pristinamque et antiquam religionis nostrae formam. Bonus enim pastor animam suam ponit pro ovibus suis.

Ceterum minores moneo obsecroque in Christo Iesu, ut suae professionis meminerint diligenterque cogitare perspiciant, quae religiosos viros deceant, qui religiosorum huiusmodi mores esse debeant; quae sint eae leges, quibus propria se obstrinxerunt voluntate. Debet enim religiosorum vita, quando mundana omnia profitendo reiecerint, sancta esse atque divinis rebus addicta. Obedientia illis prae omnibus est colenda, servanda; castimonia, paupertas, quam servator noster Christus tantopere commendavit, diligenda.

Est et praeter haec praedicatorum ordini studiis noctu et interdius incumbendum, quippe quod nostrum sit christianam fidem Romanamque sedem ad sanguinem tueri, contraque haereticos gladium spiritus, quod est verbum Dei, assumere. Nostrorum namque patrum exemplo, quid ad praedicatorum ordinem spectet, edocti sumus. Nonne diu pater noster Dominicus totam suam in augenda christiana fide, in extirpandis haeresibus vitam expendit? Nonne et Petrus ille martyr ad mortem usque haereticos est persecutus? Nonne angelicus Thomas hoc sibi tantummodo visus est institutum praescripsisse, ut suis litterarum monumentis catholicam fidem confirmaret, Romanam tueretur sedem, omnes haeresum sectas e christianorum finibus eliminaret? Quid? Nonne Vincentius, Antoninus caeterique religionis nostrae sanctissimi patres multis sudoribus pro augenda, pro instituendisque christianis moribus elaborarunt?

Sitis ergo, charissimi filii, nostrorum patrum aemulatores, sitis nostrarum legum observatores, sitis sacrarum amatores litterarum, ut labentem prope christianam religionem sustinere, reparare, defendere valeatis. Nihil aliud summus pontifex noster Clemens septimus cogitat, sompniat, loquitur, quam christianae reipublicae pacem, quam christianarum legum reparationem, quam propagationem fidei, quam morum integritatem. Sitis illi pro viribus adiumento, sitis integritatis eius buccinatores, sitis haeresum eversores, Romanaeque sedis perpetui defensores, quo tamquam fideles vineae domini cultores summi illud nanciscamini praemium, quod suis cultoribus se daturum dominus est pollicitus.

Valete meque continuis vestris apud Deum precibus iuvate.

Datum Romae anno salutis ·MDXXV· die ·X· iunii.

Breve emanatum a sanctissimo domino nostro Clemente papa septimo pro electione magistri generalis.

Dilectis filiis vicario generali, provincialibus, diffinitoribus et electoribus in domo sanctae Mariae super Minervam.

Clemens papa septimus. Dilecti filii salutem et apostolicam benedictionem. Cum in hac vestra generalis capituli celebratione vobis et ordini vestro magister generalis creandus sit, qui his maxime plenis et periculorum et solicitudinum temporibus cum iustitia et integritate regere sciat sitque vitae exemplar apud omnes, gravis ac doctrina praestans, in quo scientiae ac litterarum genere vester ordo in primis quasi peculiari a deo summo ornamento insignitus fuit, Nos solicito animo intendentes, ut haec electio vestra in veritate et spiritu sancto, postpositis privatis cupiditatibus peragatur, ac is curae et gubernationi totius ordinis praeficiatur, quem et vitae continentia exornet et consilii prudentia commendet et doctrinae splendor insigniat, cuius administratione et vigilia iste ordo dilectissimus, quo in primis sancta dei illustratur ecclesia, uberes et deo acceptos suorum operum bonorum pariat fructus, ac in tantis haeresum et dissentionum fidem Christi oppugnantibus procellis sub optimo rectore solitam suam in vera religione defendenda virtutem exerceat. Quamquam de uniuscuiusque vestrum sinceritate et recto animo bonam opinionem habeamus, tamen pro nostri officii debito hanc curam etiam ad nos pertinere noscentes, sub quorum oculis facienda est haec electio, vos et unumquemque vestrum in domino hortamur ac in virtute sanctae obedientiae necnon sub omnipotentis dei ac beati Dominici auctoris vestri nostraeque indignationis et anathematis et excommunicationis latae sententiae poena requirimus ac monemus, ut in voto suffragioque praebendo publicum religionis vestrae bonum et honorem dei ante oculos vobis proponentes, omnesque cupiditates proprias, omnes affectus caritatis et sanguinis omnino reiicientes ad eum generalem creandum mentem et studium dirigatis, quem potissimum existimaveritis et ordini et fidei et regularibus ordinis institutis et toti christianae reipublicae optime consulturum, qui, ut diximus, vita, doctrina, consilio maxime praefulgeat. Verum si quis vestrum aut ambitione sua aut alterius affectione corruptus, quod non credimus, a respectu dei et utilitatis communis ad suam aliquam cupiditatem deflexerit, annuntiamus illi nostram iram et omnipotentis dei beatique Dominici perpetuam indignationem incursurum, cuius aeternum iudicium in sua damnatione sensurus sit, necnon anathematis vinculum, in quod eum ipso facto incedere volumus rite et pie soluturum, in quo ipsum deum et beatum Dominicum vestris intentionibus, conscientiis et mentibus testem habituri estis et iudicem, quemadmodum venerabilis frater Felix, episcopus

Theatinus, praelatus noster domesticus, latius vobis exponet, cui fidem habebitis.

Datum Rome apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die secunda iunii MDXXV, pontificatus nostri anno secundo.

Istae sunt confirmationes.

Confirmamus, quod de beata Martha hospita Christi fiat festum duplex.

De beato Sebastiano martyre fiat festum totum duplex.

De sancta Lucia et de decollatione sancti Ioannis fiat festum duplex.

De utroque festo sanctae crucis fiat festum totum duplex.

De sancta Barbara fiat festum simplex.

De sancta Maria Magdalena fiant octavae ad instar octavarum beati Augustini.

Istae sunt ordinationes.

Ordinamus et sub poena absolutionis a suis officiis praesidentibus conventuum mandamus, ut fratribus de competenti victu et vestitu provideant secundum facultatem domus; volumusque, ut infirmi tam minores quam maiores bene et honeste tractentur, ne cogantur ad hospitalia vel domos saecularium accedere, instituaturque infirmarius, vir charitativus, qui diligentem eorum curam gerat. Praecipimus autem reverendis provincialibus pro tempore, ut priores, quos in hoc negligentes invenerint, statim alia causa non quaesita absolvant in poenam.

Item ordinamus ad tollendas rebelliones, dissentiones et conspirationes, ut nullus ad superiores recurrat contra provincialem pro eius absolutione impetranda aut pro impetrando visitatore, nisi habeat commissionem a maiori parte priorum illius provinciae; oppositum vero faciens ipso facto poenae gravioris culpae sit subiectus.

Mandamus sub poena absolutionis a suis officiis, quam contrafaciendo incurrant ipso facto, conventuum praesidentibus provinciarumque et congregationum, ne quovis modo permittant mulierculas in conventibus servire vel in coquina aut aliis officinis morari.

Prohibemus omnibus et singulis fratribus ordinis sub poena carceris, quam contrafaciendo ipso facto incurrant, ne in hebdomada sancta in basilica sancti Petri de Urbe confessiones audiant absque reverendissimi generalis vel reverendi procuratoris aut eorum vices gerentis licentia in scriptis obtenta.

Item ordinamus, quod fratres exempti ab ordine vel manentes extra ordinem sub praetextu cuiuscumque licentiae deferant mantellum recisum a lateribus cum bireto rotundo in capite, et casu quo inventi fuerint cum cappis iuxta ritum aliorum fratrum manentium in conventibus,

mandamus praesidentibus conventuum, ut adhibeant omnem curam, ut coherceantur, adhibito, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Item ordinamus, quod fratres, postquam fuerint in conventibus, ubi sunt assignati, teneantur consignare omnem pecuniam, quam penes se habuerint depositario conventus sub poena applicationis ipsarum ad conventum, et si fratres fuerint de vita communi, depositarius servet eas pro necessitatibus eorum.

Ordinamus, quod fratres manentes extra ordinem sine licentia superiorum, postea si redierint ad ordinem etiam cum licentia superiorum, non possint habere aliquid praelationis officium aut vicariatus infra decennium sine expressa licentia reverendissimi magistri ordinis in scriptis obtenta.

Prohibemus sub poena gravioris culpae, quam contrafaciendo ipso facto incurrant, omnibus et singulis ordinis nostri fratribus, ne quis libros quoscumque a se vel alio fratre noviter compositos imprimi faciat vel edat in publicum sine expressa licentia reverendissimi magistri ordinis in scriptis obtenta et sine praemisso examine diligenti et approbatione doctorum virorum.

Prohibemus omnibus et singulis fratribus ordinis, ne quis ad Romanam urbem vadat absque licentia sui provincialis vel vicarii generalis suae provinciae aut congregationis, et hoc sub poena carceris.

Mandamus praesidentibus et prioribus conventuum a prioribus provincialibus exemptorum, ut solitas contributiones eisdem provincialibus debitas persolvant, concedentes eisdem pro tempore existentibus, ut post lapsum solutionis tempus possint dictorum conventuum praesidentes et patres compellere per processum et poenae gravioris culpae comminationem, condemnationem et declarationem, volentes, ut si quis ob hanc causam ab eisdem fuerit declaratus in poenam gravioris culpae incidisse, a solo reverendissimo magistro ordinis restitui possit.

Praecipimus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae ac sub excommunicationis latae sententiae poena, quam contrafacientes ipso facto incurrant, quamque una pro trina canonica monitione ferimus in his scriptis, ne quis conventum aliquem a iurisdictione provincialium subtrahere audeat absque summi pontificis vel reverendissimi magistri ordinis auctoritate et assensu.

Ordinamus, quod fratres discoli et vagabundi, qui non habent assignationem reverendissimi generalis aut suorum provincialium, remittantur et nullo modo admittantur ad studium Parisiense. Volumus tamen, quod reverendissimus generalis et provinciales et congregationum vicarii, quilibet eorum seorsum, possit mittere ad dictum studium, quosque idoneos iudicaverint; ex quibus duo statim assignati iuxta nostra-

rum tenorem constitutionum censeantur. Reliqui vero nisi infra terminum mensis a vicario congregationis assignati fuerint, pro assignatis habeantur.

Item ordinamus, quod studentes tam provinciarum quam congregationum in dicto studio Parisiensi, postquam per sex annos in theologia audierint, non computando annos artium, pro non assignatis habeantur et ad suos conventus revertantur, nisi provinciales eorum aut vicarii eos de novo assignaverint in eodem studio.

Item ordinamus ad tollendos superfluos discursus studentium, quod fratres, qui ultra quatuor menses extra conventum Parisiensem aut alios conventus, ubi vigent studia, manserint, nisi ob legitimam causam id fecerint, ad suos conventus remittantur.

Item ordinamus et inviolabiliter observari volumus, quod studentes morantes in studio Parisiensi non exponant ultra tres francos pro aulica. Respondentes vero de circulo theologiae non exponant ultra ·xii· solidos Turonenses. Quoad alia vero quae praedictum studium cõncernunt, ordinationes ultimi capituli generalis approbamus per omnia, praeterquam si in eis inveniatur, quod sibi possint ex missis, sermonibus et aliis huiusmodi pecunias procurare.

Item ordinamus et statuimus studium generale in conventu Barolitano provinciae sancti Thomae cum omnibus gratiis, privilegiis, indultis, exemptionibus et aliis dari consuetis huiusmodi studiis generalibus in ordine nostro.

Item instituimus et ordinamus generale studium in conventu Cosentino congregationis Calabriae.

Item simili modo instituimus et ordinamus studium generale Cibiniense provinciae Ungariae et in conventu Roschildensi provinciae Daciae cum solitis et similibus gratiis.

Monemus omnes et singulos fratres ordinis nostri et praesertim eos, qui litteris seu praedicatione praecellunt, et in domino hortamur, necnon si meritum obedientiae volunt, illis iniungimus, ut contra pestifera et virulenta Martini Lutheri dogmata, quae paulatim serpentia in tantam perniciem irruperunt magnamque stragem in ecclesia Dei ac ruinam minantur, non solum orationibus, sed sanctis praedicationibus totis conatibus se opponant, privatimque ac publice, domi, foris, apud populos, proceres et quoscumque principes orthodoxam fidem contra illius figmenta et haereses tueantur tamquam boni pastoris nostri catuli adversus fures latratus edentes, imitatores effecti maiorum nostrorum, qui pro succidendis haeresibus ac impiis dogmatibus de ecclesia funditus evellendis soliti sunt non solum preces ac studia, sed ipsum sanguinem ac vitam exponere, ut possint salutem ecclesiae, neglectu suorum corporum, ultro ad mortem properando redimere.

Denuntiationes.

Denuntiamus sanctissimum dominum nostrum Clementem papam septimum hoc anno de mense ianuario vivae vocis oraculo concessisse omnibus et singulis fratribus et sororibus nostris ac personis utriusque sexus de tertio habitu nuncupatis collegialiter viventibus ad preces reverendissimi magistri tunc vicarii ordinis indulgentiam iubilei, visitantibus tamen altaria IV seu quater in die altare unum in ecclesiis nostris triginta diebus continuis seu interpellatim, sicque intimatur omnibus, qui non acceperunt, quod possunt accipere.

Item denuntiamus eundem sanctissimum dominum nostrum Clementem septimum litteras in forma brevis pro officio sancti Antonini et sanctae Catherinae de Senis infrascripti tenoris edidisse.

Vide BO. VII, 127 n. 116.

Item denuntiamus restitutum et habilitatum ad omnia officia et gratias ordinis fratrem Gulielmum de Casanova, fratrem Gulielmum de Bello, fratrem Gulielmum de Somniaco provinciae Tholosanae, qui fuerunt in poena gravioris culpae.

Item denuntiamus restitutos ad gratias ordinis et habilitamus ad omnia officia fratrem Vitalem de Gabino, fr. Vitalem de Ristallo et fr. Raymundum de Somaco eiusdem provinciae Tholosanae, qui fuerunt in poena gravioris culpae.

Item denuntiamus restitutum voci activae et passivae fr. Vincentium de Brunna provinciae Bohemiae.

Item denuntiamus restitutum ad gratias ordinis et habilitamus ad officia eiusdem fr. Paulum Lemonensem magistrum ex provincia Castellae.

Item denuntiamus restitutum ad gratias ordinis fr. Stephanum de Liniaco provinciae s. Dominici, et fr. Nicolaum de Tollye provinciae Germaniae inferioris, confessorem domini de Simacho.

Declarationes.

Declaramus, quod si quis provincialis vel vicarius congregationum aut conventualis prior occasione litterarum vel sigilli aut registri, licentiae vel confirmationes et universaliter pro confirmatione, concessione cuiuscumque gratiae aliquod munus etiam sponte oblatum susceperit, poenam absolutionis a suis officiis incurrisse, prout in capitulo nono distinctione secunda, ubi de electione magistri agitur, continetur et alias declaratum fuit.

Item declaramus, quod si quis conventus carens priore suo, aliquo casu et legitimo impedimento occurrente non elegerit priorem, provincialem non posse de conventuali priore providere, nisi prius vocales et conventum talem requisierit et monuerit, ut ad aliquam electionem vel

postulationem procedant infra certum tempus, et si secus factum fuerit a priore provinciali, id totum irritum sit et inane.

Item similiter declaramus eos non esse conventuales priores, qui a suo conventu electi vel postulati non sunt vel confirmati a priore provinciali sive vicario, ad quos spectat ; et si quis fuerit institutus prior a priore provinciali ob devolutam electionis auctoritatem et confirmationis, teneatur in suis litteris confirmationis confirmator explicare devolutae ad se auctoritatis et potestatis providendi de priore causam. Quam causam propensam in suis confirmationis litteris, si falsam invenerint fratres illius conventus, ad quem talis prior mittitur, non teneantur eum pro priore recipere vel acceptare.

Item declaramus, quod priores, qui praesunt conventibus non habentibus numerum duodenarium, habeant vocem in electione prioris provincialis.

Item declaramus , quod possint eligi in priores conventuales , qui saltem materna lingua sciunt proponere verbum Dei.

Item declaramus, quod existentes in poena gravioris culpae in una provincia non possint absolvi in alia, etiamsi fuerint assignati in illa.

Item nolumus, quod fratres alterius provinciae recipiantur in aliqua absque licentia sui provincialis aut magistri ordinis.

Item declaramus, quod assignati in his actis pro bacchalariatu ad legendum sententias, non sunt assignati pro forma et gradu magisterii, nisi ubi expresse haec particula fuerit addita, declaramusque tales nullum habere alium quam suae professionis locum nisi in actibus scholasticis.

Item declaramus nullum fratrem nostri ordinis in urbe primarium aut quomodocumque ab ordine exemptum habere vocem activam aut passivam neque aliquam praelationem in ordine habere posse.

Item declaramus fr. Andream de Pernione esse filium conventus sancti Benedicti de Messana , non obstante quod acceperit habitum in conventu sancti Dominici de Leontino et fr. Antonium de Abattellis esse filium conventus sancti Dominici de Panormo, non obstante translatione facta in conventu Valisoleti.

Acceptationes.

Acceptamus locum sancti Petri in Galatina provinciae sancti Thomae pro conventu ; de priore et caeteris officialibus reverendus provincialis providebit.

Item acceptamus monasterium monialium nostri ordinis fundatum auctoritate summi pontificis et dioecesani in oppido Lewardensi partium Phrisiae provinciae inferioris Germaniae (1).

---

(1) Cf. BO. IV, 442 n. 21.

Approbationes.

Approbamus vitam sancti Antonini archiepiscopi Florentini a reverendo procuratore ordinis fratre Vincentio de sancto Geminiano (1) editam.

Item approbamus eius officium ab eodem compositum et multis indulgentiis a sanctissimo domino nostro Clemente septimo munitum.

Item approbamus filiationem seu translationem fratris Bernardi de Lencha in conventu Lectorensi et translationem fratris Inquerandi de Sutura licentiati Germaniae inferioris ad provinciam Tholosanam et affiliationem eius ad conventum sancti Emiliani dictae provinciae; fratris Gulielmi Petri de congregatione Franciae ad provinciam Tholosanam et affiliationem eius in conventu Regulae.

Item approbamus translationem fratris Laurentii Pulli de conventu Compendiensi ad conventum Nivernensem provinciae Franciae, fr. Iacobi Berfelini de conventu Fontiniacensi ad eundem conventum Nivernensem, et paternitatem fr. Petri Euchetti, et tsanslationem eius de conventu Parisiensi ad conventum Senonensem.

Approbamus translationem fr. Pauli de Milano, fr. Stephani Cathanei, fr. Matthaei de Soncino, fr. Archangeli de Milano factam ad conventum s. Dominici de Genua per reverendum patrem fratrem Lucam Gallum (2) nunc provincialem provinciae s. Petri Martiris.

Item approbamus et confirmamus provinciam inferioris Germaniae cum omnibus et singulis conventibus eius et praecipue quoad conventum Attrebatensem et sancti Audomari, praecipiendo omnibus et singulis fratribus dictae provinciae et dictorum conventuum, qui in alienis provinciis sine licentia sui provincialis morantur, in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae ac sub poena excorporationis a suis conventibus, quatenus post notitiam actorum praesentis capituli intra quatuor menses proxime sequentes reverendo provinciali dictae provinciae se praesentent, alioquin si contrafecerint, non teneantur eis postmodum de conventibus providere; eadem districtione praecipientes reverendis provincialibus aliarum provinciarum, ne ultra praedictum terminum eos tenere praesumant; quod si aliter fecerint, teneantur eis postmodum de conventu providere sine spe reditus ad suos conventus.

Item approbamus assignationem alias factam a reverendo patre fratre Hermano Rab (3) priore provinciali provinciae Saxoniae de fratre Mauritio Gagelman eiusdem provinciae conventus Hamburgensis in sacrae theologiae studentem pro rata dictae provinciae in conventu Bononiensi de anno domini ·MDXXIII· ·VI· aprilis, volumusque eum per huiusmodi as-

(1) De fr. Vincentio Mainardo de s. Geminiano cf. SSOP. II, 75.

(2) De fr. Luca Gallo cf. supra p. 194.

(3) De fr. Hermano Rab cf. l. c. pag. 156.

signationem posse et debere uti omnibus privilegiis et gratiis tam in principio quam in fine studii apud patres suae provinciae consuetis.

Item approbamus donationem factam inter Claudium Pitiati mercatorem et conventum Valentiae.

Item approbamus studium generale institutum in conventu Bituricensi provinciae Franciae per reverendum magistrum Vincentium Bandellum (1) approbantes lecturam et lecturas sententiarum fratris Ioannis Valeti, quem licentiamus ad magisterium, et magisteria omnium eorum, qui sententias legerint, et ad magisterium promoti sunt, et tali institutione mandantes reverendo provinciali dictae provinciae, ut laboret ad continuationem dicti studii, dantes eidem auctoritatem providendi praefato conventui de regentibus et aliis officialibus necessariis tam in theologia quam in artibus et assignandi ad sententiarum lecturam in facultate theologica pro gradu et forma magisterii et similiter in aliis universitatibus dictae provinciae.

Item approbamus generale studium institutum in conventu Burdegalensi provinciae Tholosanae cum suo regente magistro Ioanne de Fenario (2), prout fuit institutum per capitulum provinciale dictae provinciae et confirmatum auctoritate reverendi magistri tunc existentis.

Item facimus praedicatores generales fratrem Matthaeum de Zanto electorem pro rata provinciae Ungariae et fratrem Michaelem de Tregh provinciae Ungariae pro rata conventus Quinqueecclesiensis et fratrem Iacobum Goem provinciae Franciae conventus Dinanensis.

Approbamus [lecturam] fratris Thomae Nieto, fratris Iacobi de Portillo, fratris Didaci de Ayalla (3) provinciae Hispaniae, presentaturam fratris Didaci de Astudillo (4) dictae provinciae Hispaniae, quos licentiamus ad magisterium.

Item approbamus magisterium fr. Ioannis de Fraxino (5) conventus Tholosani, magisteria fr. Gulielmi Martini (6), fr. Dominici, fr. Thomae Michaelis et fr. Antonii de Petrutia provinciae Tholosanae. Licentiaturam fr. Francisci Raymundi, praesentaturam fr. Ioannis Garlandi, quem licentiamus ad alios gradus usque ad magisterium inclusive et fr. Arnoldi de Badito (7).

---

(1) De fr. Vincentio Bandello cf. supra pag. 174.
(2) De fr. Ioanne de Fenario cf. l. c.
(3) De fr. Didaco de Ayalla cf. l. c. pag. 191.
(4) De fr. Didaco de Astudillo cf. l. c. et SSOP. II, 94.
(5) De fr. Ioanne de Fraxino cf. SSOP. II, 90.
(6) De fr. Guilelmo Martini cf. supra pag. 190.
(7) De fr. Arnoldo de Badito cf. SSOP. II, 96, 332.

Similiter approbamus magisterium fr. Petri Vareoli conventus Aurelianenis provinciae Franciae, lecturam sententiarum fr. Dominici Sturat conventus Pruvinensis dictae provinciae, fr. Ioannis Roberti praesentati, ut possit promoveri ad alios gradus de consensu tamen congregationis suae. Idem dicimus de fr. Gregorio de Bosco.

Item approbamus lecturas fr. Ioannis Veiregiae, fr. Firmini Podentis, fr. Dominici de Ironis, quos licentiamus ad magisterium.

Approbamus lecturas fr. Petri Romani (1), fr. Romani Malleval., et fr. Petri Vignoli et magisterium fr. Gulielmi Cordonis, lecturam fr. Alberti Taurini, quem licentiamus ad magisterium.

Approbamus magisteria fr. Caroli Pinelli (2), fr. Ioannis Payoti, fr. Gervasii Bothorel, fr. Ioannis Fougert congregationis Gallicanae.

Item lecturam sententiarum in conventu Nannetensi dictae congregationis fr. Guidonis Sevelli, fr. Humberti Martinetti, fr. Stephani Batileri, quibus concedimus, quod possint promoveri ad gradum licentiarum.

Approbamus magisteria fr. Iacobi de Venetiis, fr. Isidori de Padua (3); lecturas fr. Ludovici de Genua (4) et fr. Hieronymi de Papia (5), quos licentiamus ad magisterium.

Item approbamus magisteria fr. Pauli de Aversa, fr. Sebastiani de Montellis (6) provinciae Regni Siciliae, fr. Alexandri et fr. Stephani de Cathanea provinciae Trinachriae, fr. Georgii de Transilvania et lecturam fr. Andreae de Quinque ecclesiis provinciae Ungariae, cui concedimus, quod possit suscipere magisterii insignia in conventu et universitate Budensi.

Approbamus magisteria fr. Adriani (7) et fr. Dominici conventus Cracoviensis et fr. Martini (8) de conventu Wratislaviensi provinciae Poloniae, lecturam fr. Thomae de Sichsolo, fr. Dominici Rosolarii et fr. Petri Episcopi praedictae provinciae et licentiamus eos ad bachalariatum et legendum sententias pro forma et gradu magisterii.

Approbamus magisterium fr. Michaelis de Mayvella provinciae Aragoniae, lecturas fr. Raphaelis Villar, fr. Petri Boxo, fr. Hieronymi Camerasa, fr. Christophori Lasquebas dictae provinciae Aragoniae, quos licentiamus ad magisterium.

---

(1) De fr. Petro Romani cf. supra pag. 190.
(2) De fr. Carolo Pinelli cf. l. c. pag. 149.
(3) De fr. Isidoro de Padua cf. l. c. pag. 75.
(4) De fr. Ludovico de Genua cf. l. c. pag. 192.
(5) De fr. Hieronymo de Papia cf. l. c. pag. 175.
(6) De fr. Sebastiano de Montellis cf. l. c. pag. 195.
(7) De fr. Adriano de Cracovia cf. l. c.
(8) De fr. Martino cf. l. c. pag. 73.

Approbamus magisteria fr. Innocentii de Cherio (1) et fr. Ioannis Mariae Bilionis de Saviliano provinciae s. Petri Martyris; lecturas sententiarum in conventu Parisiensi fr. Matthaei Oxae et fr. Hieronymi Pomerii (2) dictae provinciae.

Approbamus magisterium fr. Ioannis Nicolai prioris provincialis Daciae et licentiamus ad bachalariatum pro forma et gradu magisterii fr. Mauritium Suenonis eiusdem provinciae.

Approbamus magisterium fr. Iacobi Criton provinciae Scotiae, licentiamusque ad bacchalariatum fr. Alexandrum Cambel, fr. Alexandrum Barclai, fr. Alexandrum Lanson, fr. Iacobum Cheuvot, fr. Franciscum Carpitarii, fr. Ioannis Makcap, fr. Ioannis Makdorod, fr. Iacobi Pryson dictae provinciae Scotiae.

Approbamus magisteria fr. Andreae Ugonis prioris provincialis Germaniae inferioris, fr. Antonii de Gymittrio, fr. Gotofredi de Zitart, fr. Gulielmi de Wesalia, fr. Laurentii Paschalis de sancto Odomaro praefatae provinciae inferioris Germaniae.

Item approbamus magisteria fr. Viti de Mathera provincialis (3) provinciae sancti Thomae et fr. Alexandri de Tricasio eiusdem provinciae.

Licentiamus ad bacchalariatum pro forma et gradu magisterii fr. Nicolaum Bagnatorium de Brixia (4) in Romana provincia, in provincia vero Angliae ad gradum bacchalariatus.

Translationes.

Transferimus fr. Dominicum de Sexis a conventu Cocolibrii provinciae Aragoniae ad conventum Rivorum provinciae Tholosanae, fr. Hilarium de Calvisano a provincia sancti Petri Martiris ad conventum sanctae Mariae Magdalenae de Siccapio provinciae sancti Dominici, fr. Paulum de Mediolano (5) a provincia s. Petri Martiris ad conventum sanctae Mariae Magdalenae de Mutilano provinciae sancti Dominici, fr. Constantium de Atri provinciae sancti Thomae ad conventum sancti Dominici de Ancona provinciae sancti Dominici, fr. Ioannem Polycarpum de Sibenico provinciae Dalmatiae ad conventum Minervae de Urbe Romanae provinciae, fr. Iacobum de Aquila provinciae sancti Thomae ad dictum conventum Minervae, fr. Didacum de Mendoza de provincia Bethicae de conventu Hispalensi ad conventum Segobiensem provinciae Hispaniae, fr. Petrum Fundimar a conventu Rothomagensi congregationis Gallicanae

(1) De fr. Innocentio de Cherio cf. l. c. pag. 76.
(2) De fr. Hieronymo Pomerii cf. SSOP. II, 75.
(3) De fr. Vito de Mathera cf. supra pag. 194.
(4) De fr. Nicolao Bagnatorio cf. SSOP. II, 34, ubi corrigas, quae ibi de anno mortis Nicolai refert ECHARDUS.
(5) De fr. Paulo de Mediolano cf. MOPH. VIII, 401.

et fr. Dominicum Faverdi a conventu Lugdunensi ad conventum Belnae provinciae Franciae, fr. Ioannem Sati a dicta congregatione ad conventum Verdiniensem, fr. Ioannem Pousmotti de conventu Turonensi ad conventum Dinanensem, fr. Ioannem Bompan conversum a conventu Ebroycensi congregationis Gallicanae ad conventum Parisiensem.

Item transferimus fr. Ludovicum Collados a provincia Bethicae et conventu Grannatensi ad provinciam Aragoniae et domum sancti Iacobi Talerte, fr. Christoforum Lasquebas (1) a provincia Hispaniae et conventu de Villaton ad provinciam Aragoniae et domum sanctae Mariae Rosarii de Tudella, fr. Lupum de Gueto a provincia Hispaniae et conventu de Victoria ad provinciam Aragoniae et conventum Caesaraugustanum, fr. Paulum Clavarium Ianuensem ad conventum sancti Dominici de Neapoli provinciae regni Siciliae ad conventum sanctae Mariae de Chio provinciae terrae peregrinantium.

Item transferimus fr. Matthiam Pistoris de conventu Harlemesi ad conventum Helsinburgensem provinciae Datiae, fr. Mauritium Suenonis (2) de conventu Antverpiensi provinciae inferioris Germaniae ad conventum Ottoniensem provinciae Datiae, fr. Sebastianum Cresi conventus Atrebatensis congregationis Gallicanae ad provinciam Provinciae, fr. Hieronimum de Mantua a conventu sanctae Mariae Angelorum de Mantua ad conventum sancti Dominici de Camerto, fr. Leonardum de Buda a conventu Cassoviensi provinciae Ungariae ad conventum Budensem eiusdem provinciae, fr. Lucam clericum de Tysanan ad conventum Pestiensem dictae provinciae Ungariae, fr. Stanislaum de conventu Budensi ad conventum Cracoviensem provinciae Poloniae, fr. Thadaeum de Buccelanico a provincia sancti Dominici ad conventum Orthonae provinciae sancti Thomae, fr. Aloysium de Summa de provincia Regni ad conventum Therami provinciae sancti Thomae, fr. Aloysium de Monopolao de conventu Maltae ad conventum sanctae Cytae de Panormo, fr. Ioannem de Calabria de conventu Messanae ad eundem conventum sanctae Cythae de Panormo, fr. Dyonisium de Malta a conventu Maltae ad eundem conventum, fr. Franciscum de Gurerio a conventu Castriveterani ad eundem conventum sanctae Cythae, fr. Benedictum congregationis Calabriae a conventu Cosentino ad eundem conventum provinciae Trinacriae.

Item transferimus fr. Lucam de Ravenna a provincia Graeciae ad conventum sancti Dominici de Ravenna provinciae sancti Dominici,

8) Talerte] Trempensi (?) S.

(1) De fr. Christophoro Lasquebas cf. supra pag. 205.
(2) De fr. Mauritio Suenonis cf. l. c. pag. 206.

fr. Vincentium de Monopoli provinciae sancti Thomae ad conventum sancti Augustini de Padua provinciae sancti Dominici, fr. Antonium Pendelle a conventu Burdegalensi ad conventum Bituricensem provinciae Franciae et eum assignamus pro primo confessore in monasterio Vallis Angelorum prope Brugen.

Item transferimus fr. Alexium de Siracusis a conventu Bononiensi et provincia sancti Dominici ad conventum Siracusanum prov. Trinacriae.

Assignationes.

Conventui Parisiensi provinciae Franciae assignamus pro anno domini ·MDXXVI· pro loco extraneis debito in magnis scholis fr. Hieronimum Paschasii ad legendum sententias, cui substituimus fr. Petrum Ballati conventus Castrensis de congregatione Franciae. Eodem anno pro loco intraneis debito in parvis scholis fr. Petrum Deaurati conventus Blesensis congregationis Gallicanae, cui substituimus fr. Petrum de Trieve conventus Nanetensis eiusdem congregationis. Anno vero ·MDXXVII· in magnis scholis pro loco intraneis debito fr. Ioannem Micensis congregationis, [cui] substituimus fr. Hieronimum sancti Propositi; pro loco debito intraneis in parvis scholis fr. Egidium Bineti conventus Belvacensis provinciae Franciae, cui substituimus fr. Ludovicum Morelli conventus Rhemensis eiusdem provinciae. Anno domini ·MDXXVIII· pro loco intraneis debito in parvis scholis fr. Antonium Burcel biblicum conventus Ambianensis provinciae Franciae, cum substituimus fr. Petrum de Sancto. Eodem anno pro loco extraneis debito in magnis scholis fr. Petrum Soragine conventus Baionensis provinciae Tholosanae. Quantum vero spectat ad lecturam bibliae supradicto anno ·MDXXVI· fr. Nicolaum Pote conventus Blesensis, cui substituimus fr. Claudium de Campis conventus Turonensis. Anno vero ·XXVII· fr. Ioannem Beguenetti. Anno ·XXVIII· fr. Georgium Dronetti suppriorem conventus Parisiensis, cui substituimus fr. Ioannem Rapinati conventus Cathalanensis congregationis Gallicanae. In studentes fr. Thomam de Pinarolo [et] fr. Franciscum de Genua pro rata provinciae sancti Petri Martiris, fr. Alexandrum de Scotia pro rata provinciae Scotiae, fr. Ioannem de Otton pro rata provinciae Datiae, fr. Petrum pro rata eiusdem provinciae Datiae.

Conventui Bononiensi provinciae sancti Dominici damus in regentem pro tribus annis fr. Hieronymum Fornarium de Papia, quem licentiamus ad magisterium, cui substituimus fr. Ludovicum Genuensem (1) licentiatum ad magisterium. In bacchalarium pro 2° et 3° anno fr. Baptistam de Mediolano (2), cui substituimus fr. Ioannem de Bergamo et fr. Tho-

(1) De fr. Ludovico de Genua cf. supra pag. 205.

(2) De fr. Baptista de Mediolano cf. l. c. pag. 119.

mam Mariam de Bononia. In magistrum vero studentium pro primo anno fr. Augustinum de Milano, pro secundo anno fr. Lazarum de sancto Columbano, pro tertio fr. Andream de Pisis (1), cui substituimus fr. Iacobum de Ceriana, servato tamen ordine professionis eorum. In studentes theologiae fr. Paulum de Trayna [et] fr. Hippolitum de Aquaviva pro rata provinciae Trinacriae; fr. Gasparem de Sola, fr. Bernardum de Casteris pro rata provinciae Tholosanae; fr. Venceslaum de Scimberga pro rata provinciae Bohemiae; fr. Philippum Potingium et fr. Arnulfum Helm pro rata provinciae Franciae.

Conventui Tholosano provinciae Tholosanae assignamus ad legendum sententias pro primo anno fr. Ioannem Vigeri, pro secundo anno fr. Ioannem de Lamon, pro tertio anno fr. Ioannem Lavatoris pro forma et gradu magisterii.

Conventui Patavino provinciae sancti Dominici damus in regentem, quem reverendissimus assignaverit pro tribus annis; in bacchalarium pro primo anno fr. Ioannem de Utino (2); in biblicum fr. Vincentium de Florentia; in magistrum studentium fr. Benedictum de Utino (3); in studentem honoris fr. Antonium de Manfredonia; pro secundo anno in bacchalarium fr. Vincentium de Florentia; in biblicum fr. Benedictum de Utino; in magistrum studentium fr. Antonium de Manfredonia; pro tertio anno in bacchalarium fr. Benedictum de Utino; in biblicum fr. Antonium de Manfredonia; in magistrum studentium fr. Xistum de Venetiis; in studentes fr. Hieronymum de Tricasio, fr. Pomponium de Ebulo, fr. Guidum Antonium de Padua, fr. Dominicum de Liniaco et fr. Petrum Venantium de Rechanato.

Conventui sanctorum Ioannis et Pauli de Venetiis eiusdem provinciae pro regente pro primo anno fr. Thomam de Omnibono Venetum; pro bacchalario pro primo anno fr. Benedictum de Padua (4); in biblicum fr. Patritium de Mantua; in magistrum studentium fr. Constantium de Trevisio; de aliis duobus annis reverendissimus magister providebit.

Conventui sanctae Mariae Novellae damus in regentem magistrum Nicolaum de Moliterno (5) pro primo anno; pro secundo vero magistrum Iacobum Hispanum; pro tertio reverendissimus magister providebit. In bacchalarium pro primo anno fr. Ugolinum de Cortona, pro secundo fr. Eustachium de Lesina, pro tertio reverendissimus magister providebit. In biblicum pro primo anno fr. Eustachium de Lesina, pro secundo

(1) De fr. Andrea de Pisis cf. SSOP. II, 21.
(2) De fr. Ioanne de Utino cf. supra pag. 75.
(3) De fr. Benedicto de Utino cf. l. c. pag. 81.
(4) De fr. Benedicto de Padua cf. l. c. pag. 87.
(5) De fr. Nicolao de Moliterno cf. l. c. pag. 145.

fr. Gregorium de Sibinico, pro tertio fr. Augustinum de Florentia. In magistrum studii pro primo anno fr. Gregorium de Sibinico, pro secundo fr. Augustinum de Florentia, pro tertio anno reverendissimus providebit. Studentes in theologia fr. Sebastianum de Alemanis, fr. Antonium Bernardi de Florentia, fr. Mareottum de Florentia, fr. Ioannem Petri pro rata provinciae Datiae, fr. Petrum de Ravenna.

Conventui Campi regii de Senis damus in regentem pro primo anno magistrum Gregorium de Senis, pro secundo et tertio magistrum Vincentium de Castello; in bacchalarium pro primo et secundo anno fr. Nicolaum Bagnatorium de Brixia (1), pro tertio anno reverendissimus providebit; in extraordinarium fr. Ioannem de Litio; in biblicum pro primo anno fr. Dominicum de Perusio, pro secundo et tertio reverendissimus magister providebit. In magistrum studii fr. Petrum de Brundusio, pro secundo anno fr. Felicem de Roma, si fuerit inventus sufficiens, pro tertio reverendissimus providebit. Studentes theologiae fr. Valerium de Dalmatia, fr. Raymundum de Castello.

Conventui Perusino damus in regentem pro primo anno mag. Antonium de Perusio, pro secundo et tertio reverendissimus magister providebit. In bacchalarium pro primo anno et secundo fr. Simonem de Castello pro forma et gradu magisterii, si fuerit sufficiens inventus, pro tertio reverendissimus providebit. De biblico et magistro studii reverendissimus providebit. Studentes fr. Valentinum de Mantua et . . . . . .

Conventui sanctae Mariae super Minervam de Urbe damus in regentem pro primo anno mag. Antonium de Caramanico (2), bacchalarium fr. Bernardum de Neapoli, magistrum studentium fr. Ambrosium de Balneolo. Studentes reverendissimus assignabit.

Conventui sancti Dominici de Neapoli provinciae regni Siciliae damus in regentem pro tribus annis fr. Paulum de Aversa (3) magistrum; bacchalarium pro primo anno fr. Petrum de Caieta, pro secundo et tertio fr. Stephanum de Cassano (4), cui substituimus fr. Thomam Caietanum, fr. Augustinum de Balneolo (5) et fr. Bernardum de Neapoli; cum suprascriptis licentiamus ad bacchalariatum pro forma et gradu magisterii, observato debito ordine bacchalariatus in dicto conventu inter eos. In magistrum studii pro primo anno fr. Vincentium de Neapoli, pro secundo fr. Thomam Lisium de Neapoli, pro tertio fr. Matthaeum de Cassano. Studentes in theologia fr. Thomam Lisium de Neapoli studentem

(1) De fr. Nicolao Bagnatorio de Brixia cf. supra pag. 206.
(2) De fr. Antonio de Caramanico cf. l. c. pag. 195.
(3) De fr. Paulo de Aversa cf. l. c. pag. 205.
(4) De fr. Stephano de Cassano l. c. pag. 150.
(5) De fr. Augustino de Balneolo cf. l. c.

honoris, fr. Matthaeum de Cassano studentem honoris, fr. Alexandrum de Neapoli, fr. Nicolaum de Senis pro rata provinciae Romanae, fr. Dominicum de Florentia, fr. Antonium de Neapoli, fr. Didacum, fr. Fredericum Hispanos pro rata provinciae Hispaniae, fr. Albertum de Balneolo, fr. Gregorium de Balneolo, fr. Thomam de Fano, fr. Salvatorem de Anversa, fr. Franciscum de Apulea pro rata provinciae sancti Thomae. Studentes in artibus fr. Thomam Cocum de Neapoli, fr. Paulum de Neapoli, fr. Ioannem Baptistam de Neapoli, fr. Erasmum de Caieta, fr. Vincentium de Sinisio.

Conventui Coloniensi provinciae Theutoniae damus in regentem fr. Conradum Collim (1) magistrum, cui substituimus pro primo anno fr. Georgium de Hattinga licentiatum, pro secundo anno fr. Tilmanum de Siburgo (2) licentiatum; in magistrum studentium fr. Tilmanum de Siburgo licentiatum; in bacchalarium ad legendum sententias fr. Ioannem Rispe. In eodem conventu continuamus studia philosophiae et damus in lectorem physicae fr. Iacobum de Baiaraco et in lectorem logicae fr. Guilielmum Reonnixdorff; in studium theologiae fr. Augustinum de Usdem, fr. Ioannem Chlenembach, fr. Matthiam Vrefem, fr. Hieronymum Gladbach, fr. Paulum Lobbrich, fr. Adam de Maguntia, fr. Iacobum de Antverpia, fr. Franciscum Albornoz, fr. Petrum Ansbach, fr. Ioannem Meyr, fr. Christoforum, fr. Ioannem Robms, fr. Sibenonem de Suetia, fr. Nicolaum de Bamberga, fr. Ioannem de Eslinga, fr. Laurentium Gregorii, fr. Olavum Ioannis, fr. Benedictum de Basilea, fr. Bernardum de Zanctis, fr. Ioannem de Arnem pro rata provinciae inferioris Germaniae.

Conventui Budensi provinciae Ungariae de regente et ceteris officialibus providebit reverendus provincialis provinciae Ungariae.

Conventui Cracoviensi provinciae Poloniae damus in regentem, baccalarium, magistrum studentium, quos reverendus provincialis provinciae Poloniae cum prioribus suis iudicaverit.

Conventui Bituricensi provinciae Franciae assignamus ad legendum sententias pro gradu et forma magisterii fr. Petrum Fundimar (3), pro secundo anno et pro tertio fr. Dominicum Faverdi (4).

Conventui Andegavensi provinciae Franciae assignamus ad legendum sententias pro gradu et forma magisterii fr. Ugonem Gerbaldi.

Conventui Montis Pesulani provinciae Provinciae assignamus ad legendum sententias pro forma et gradu magisterii pro primo anno fr. Antonium Giuramandi et fr. Antonium.

(1) De fr. Conrado Collim cf. l. c. pag. 149.
(2) De fr. Tilmano de Siburgo cf. l. c.
(3) De fr. Petro Fundimar cf. l. c. pag. 206.
(4) De fr. Dominico Faverdi cf. l. c. pag. 207.

Conventui Barchinonensi provinciae Aragoniae assignamus in regentem magistrum Ludovicum Castagnoli pro duobus primis annis, pro tertio mag. Ioannem Martinum, in biblicum fr. Honofrium Darnet, in magistrum studii fr. Antonium Arnae conventus Valentie, in studentem fr. Ioannem Crespum.

Conventui Perpiniani eiusdem provinciae assignamus in regentem fr. Raphaelem Moner (1) magistrum, in bacchalarium pro primo anno fr. Honofrium Mautt, pro secundo et tertio anno fr. Petrum Costa.

Conventui Oscae eiusdem provinciae damus in regentem fr. Ioannem Campo (2), in bacchalarium pro primo anno fr. Alphonsum de Vaenna, pro secundo et tertio fr. Antonium Ysava.

Conventui Illerdensi eiusdem provinciae damus in regentem fr. Melchior Pou (3) magistrum, in bacchalarium pro primo anno fr. Inquo, pro secundo et tertio fr. Petrum Gallenda.

Conventui sancti Thomae de Papia provinciae sancti Petri Martiris damus in regentem pro primo anno fr. Thomam Nieto Hispanum mag., pro secundo et tertio fr. Ioannem Marcum Bilionum de Saviliano (4), in bacchalarium pro primo et secundo anno fr. Ioannem Michaelem de Alexandria (5), pro tertio fr. Ioannem Petrum de Zenua, in biblicum fr. Bartholomaeum de Saviliano. De aliis officialibus studii reverendus provincialis providebit. In bacchalarium extraordinarium fr. Dominicum de Cathanea, in studentem theologiae fr. Hippolitum de Genua.

Conventui sancti Eustorgii de Mediolano eiusdem provinciae damus in regentem fr. Bernardum de Mediolano (6) licentiatum ad magisterium, in bacchalarium fr. Xistum Nardinum pro primo et secundo anno. De aliis officialibus studii reverendo provinciali commissum est; in bacchalarium extraordinarium fr. Franciscum de Baghiella.

Conventui Taurinensi eiusdem provinciae damus in regentem pro primo anno fr. Benedictum de Ast bacchalarium, quem licentiamus ad magisterium, pro secundo et tertio anno mag. Hieronymum de Cherio (7), in bacchalarium pro secundo anno fr. Simonem de Pinarolo, pro tertio fr. Petrum de Vigono, in magistrum studentium pro primo anno fr. Petrum de Vigono, pro secundo anno fr. Hieronymum de Cherio, pro tertio

---

(1) De fr. Raphaele Moner cf. supra pag. 77.
(2) De fr. Ioanne Campo cf. l. c. pag. 82.
(3) De fr. Mechiore Pou cf. SSOP. II, 178.
(4) De fr. Ioanne M. Biliono cf. supra pag. 206.
(5) De fr. Ioanne M. de Alexandria cf. l. c. pag. 117.
(6) De fr. Bernardo de Mediolano cf. l. c. pag. 55.
(7) De fr. Hieronymo de Cherio cf. l. c. pag. 156.

fr. Georgium de Bugella, fr. Hieronymum de Yporegia (1) in bacchalarium extraordinarium.

Conventui Olmucensi provinciae Bohemiae de regente committitur reverendo provinciali, in magistrum studii fr. Wolfgangum Albeo; de reliquis officialibus et studentibus providebit capitulum provinciale eiusdem provinciae.

Conventui Panormitano provinciae Trinacriae damus in regentem pro primo anno magistrum Aloysium de Catanea, pro secundo vero et tertio magistrum Angelum de Centis (2), in bacchalarium pro primo anno pro gradu et forma magisterii fr. Michaelem de Salonia, pro secundo anno eodem modo fr. Thomam Fuscellum, pro tertio anno eodem modo fr. Ioannem Petrum de Cortisio, dummodo inventi fuerint sufficientes per examinatores dandos a reverendissimo magistro ordinis. In magistrum studii pro primo et secundo anno fr. Ioannem Petrum de Cortisio, pro tertio vero fr. Michaelem de Myrto; in studentes theologiae fr. Petrum de Manilia, fr. Vincentium de Myrto, fr. Antonium Longum, fr. Nicolaum Gracianum, fr. Petrum de Monaco, fr. Cosmam Lamelicam, fr. Benedictum Tramontanum.

Conventui Lovaniensi provinciae inferioris Germaniae damus in regentem fr. Vincentium de Aerlem (3), in magistrum studentium pro primo anno fr. Cornelium de Duvelanda bacchalarium, pro secundo anno fr. Matthaeum de Busco (4) bacchalarium. De bacchalariis autem bibliae et sententiarum et aliis ad illud studium necessariis auctoritate nostra providebit reverendus provincialis de consilio diffinitorum provincialis capituli in eadem provincia proxime celebrandi. In studentes fr. Henricum Creme, fr. Ioannem Ruter, fr. Ioannem Fullonis, fr. Gerardum Faguetti, fr. Gerardum de Zvollis, fr. Dominicum de Zvollis, fr. Cornelium de Scedamnis, fr. Ioannem de Nerdis, fr. Georgium Haulst, fr. Ioannem de Nivella, fr. Reginaldum Portchist, fr. Henricum Bosch, fr. Ludolfum de Groninga (5), fr. Gulielmum Lemerre, fr. Arnoldum Vucht, fr. Henricum de Daventria, fr. Ioannem de Valle, fr. Petrum de Busco, fr. Ioannem de Insulis. Volentes, quod quilibet sacerdos studens in eodem conventu dicat quatuor missas in hebdomada una, in altera ad minus tres ad intentionem eiusdem conventus.

Conventui Barolitano provinciae sancti Thomae damus in baccha-

---

(1) De fr. Hieronymo de Hyporegia cf. l. c. pag. 76.
(2) De fr. Angelo de Centis cf. l. c. pag. 189.
(3) De fr. Vincentio de Harlem cf. l. c. pag. 118.
(4) De fr. Mathaeo de Busco cf. l. c. pag. 150.
(5) De fr. Ludolpho de Groninga cf. SSOP. II, 54.

larium fr. Eustachium de Aquaviva, dummodo fuerit sufficiens iudicatus per examinatores dandos a reverendissimo magistro ordinis; in magistrum studii pro primo anno fr. Blasium de Castellaneto, pro secundo fr. Nicolaum de Marina; de regente vero et aliis officialibus reverendus provincialis providebit.

Conventui Cibiniensi provinciae Ungariae assignamus in lectorem theologiae fr. Franciscum de Segesvar, cui damus licentiam ad gradus bacchalariatus; in lectorem vero philosophiae fr. Lucam de Bistricia.

Absolutiones.

Absolvimus fr. Adrianum Nulli (1) magistrum ab officio prioratus monasterii beate Mariae de Prulliano provinciae Tholosanae praecipiendo sibi in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae et sub poena excommunicationis latae sententiae, quam ferimus in his scriptis una pro trina canonica monitione praemissa, quatenus nullo modo de monasterio praedicto nec de pertinentibus ad illud quoquo modo se impediat et intromittat, et sub eisdem poenis et censuris praecipiendo, quod infra unum mensem a notitia praesentium redditis computis integre debeat recedere de dicto monasterio et ad suam congregationem proficisci.

Condemnationes seu poenitentiae.

Condemnamus praefatum fr. Adrianum Nulli mag. eo quod inobediens fuit et litteras reverendissimi contempsit et impedivit, ad poenam gravioris culpae.

Condemnamus fr. Vincentium de Taberna ad poenam gravioris culpae pro eo quod conatus est, quantum in se fuit, ponere seditionem in provincia Regni, et declaramus ipsum non esse filium dictae provinciae Regni, a qua poena nolumus eum liberari nisi per reverendissimum magistrum ordinis.

Commissiones.

Committimus reverendissimo magistro ordinis omnem nostram auctoritatem et facultatem addendi, minuendi, mutandi, dispensandi et breviter omnia et singula faciendi, quae generale capitulum potest, etiam si talia forent, quae mandatum exigerent magis speciale; volentes, quod simplici eius verbo credatur.

Committimus et concedimus singulis huius capituli reverendis provincialibus et diffinitoribus praesentibus, quod quilibet possit facere duos iubilarios in sua provincia alias idoneos et aetatis 50 annorum, et recipiendi unum apostatam in suis provinciis et restituendi ad gratias ordinis cum litteris testimonialibus.

---

(1) De fr. Adriano Nulli (de Nullay) cf. supra pag. 144.

Suffragia pro vivis.

Inprimis pro sanctissimo domino nostro domino Clemente papa VII nostro ordini affectuosissimo et qui pro generali capitulo opulentissimam dedit eleemosinam, quilibet sacerdos dicat missas decem, clerici et laici psalmos graduales et xxx pater noster decies, et pro eius sanctitate ac felici statu hortamur omnes fratres nostri ordinis, ut non cessent continue orare, praesertim ut eius vota et sancta desideria, quae ad pacem sunt et tranquillitatem christiani populi necnon et zelum illius contra fidei hostes et ad reformandos christianorum mores dominus agere et complere dignetur.

Pro reverendissimo domino cardinali sanctorum quatuor, nostri ordinis protectore, qui bonam eleemosinam contulit capitulo, quilibet sacerdos unam missam.

Pro reverendissimo cardinali sancti Xisti, qui pinguem eleemosinam contulit huic capitulo, quilibet sacerdos unam missam.

Pro reverendissimo domino archiepiscopo Capuano, qui et opulentam dedit eleemosinam praesenti capitulo, quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo domino duce Suessano, qui largam dedit eleemosinam capitulo, quilibet sacerdos unam missam.

Pro reverendo patre Ioanne Maria Canissiano (1) generali abbate religionis Vallisumbrosae et qui bonam dedit eleemosinam capitulo praesenti, quilibet sacerdos unam missam.

Pro omnibus benefactoribus huius capituli quilibet sacerdos unam missam et nihilominus recipimus eos participes in omnibus bonis, quae per ordinem nostrum fient, donec in conspectu divinae maiestatis condigne fuerit eis satisfactum.

Pro bono statu et reformatione totius ordinis ac pro reverendissimo magistro ordinis et eius societate, necnon et pro reverendo procuratore ordinis quilibet sacerdos unam missam, clerici vero et laici psalmos graduales et xxx pater noster semel dicant.

Pro illis qui per litteras ad beneficia ordinis sunt recepti, quilibet sacerdos unam missam, clerici et laici ut supra.

Suffragia pro defunctis.

Inprimis pro anima reverendissimi domini cardinalis de Ursinis domini Matthaei ex ordine nostro assumpti, qui perpetuam dedit eleemosinam capitulo generali ex suo testamento, quilibet sacerdos unam missam, clerici psalmos poenitentiales, laici centum pater noster semel dicant.

Pro animabus omnium fratrum et sororum nostri ordinis quilibet

(1) De fr. Ioanne Maria Canissiano cf. l. c. pag. 148.

sacerdos unam missam, clerici psalmos poenitentiales, laici centum pater noster dicant semel.

Pro animabus eorum, qui dum viverent, recepti fuerunt per litteras reverendissimi magistri ad beneficia ordinis, quilibet sacerdos unam missam, clerici septem psalmos poenitentiales, laici vero centum pater noster et ave Maria dicant semel.

Sententias iudicum approbamus.

Auctoritatem diffinitorum durare volumus per totum diem dominicum sequentem inclusive.

Mandamus acta capituli huius per reverendos provinciales et socios eorum seu provinciarum diligenter conscripta et correcta atque sigillo ordinis sigillata ad suas provincias deferri.

Sequens capitulum generale, quod erit diffinitorum, assignamus provinciae Franciae in conventu Bituricensi hinc ad triennium videlicet anno domini ·MDXXVIII·

Concedit reverendissimus magister generalis omnibus fratribus et sororibus ordinis et personis tertii habitus licentiam, ut pro semel possint eligere sibi confessorem et absolvi ab eo ab omnibus praeteritis usque ad hanc notitiam et dispensari in irregularitatibus, sicut possent a sua reverendissima paternitate.

Datum Romae in conventu sanctae Mariae super Minervam die ·VIII· iunii ·MDXXV·

In nomine domini nostri Iesu Christi
et beatae Mariae virginis matris eius et beati patris nostri Dominici. Amen.

HAEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS ROMAE CELEBRATI IN CONVENTU SANCTAE MARIAE SUPER MINERVAM IN FESTO PENTECOSTES DIE QUINTO IUNII ANNO DOMINI ·M°·D°·XXX°·

Sub reverendissimo patre fratre Paulo Butigella (1) Papiensi in eodem capitulo unanimiter electo magistro generali, diffinientibus communiter reverendis prioribus provinciarum atque earum diffinitoribus videlicet:
fr. Vitale de Bechanis (2) magistro provinciali Tolosano,
fr. Nicolao Pagani magistro provinciali Franciae,

(1) De fr. Paulo Butigella cf. SSOP. II, 77.
(2) De fr. Vitale de Bechanis cf. supra pag. 194.

fr. Damiano Veneto (1) magistro provinciali provinciae sancti Dominici,
fr. Bonino de Liniaco (2) magistro provinciali provinciae Romanae,
fr. Michaele de Aversa provinciali regni Siciliae,
fr. Thoma de Suzaph provinciali Poloniae,
fr. Leandro de Bononia (3) provinciali Terrae Sanctae,
fr. Aloysio de Cathanea (4) magistro provinciali Trinacriae,
fr. Luca de Spalato provinciali Dalmatiae,
fr. Vincentio Ortiz provinciali Bethicae,
fr. Antonio de Caramanico (5) magistro provinciali sancti Thomae.

Diffinitoribus vero earum :

fr. Petro Lozano magistro diffinitore provinciae Hispaniae,
fr. Ioanne de Fenario (6) magistro diffinitore provinciae Tholosanae,
fr. Michaele Vincentii magistro diffinitore provinciae Franciae,
fr. Isidoro de Padua (7) magistro diffinitore provinciae sancti Dominici,
fr. Alexandro de Castello magistro diffinitore provinciae Romanae,
fr. Honophrio de Salerno (8) diffinitore provinciae regni Siciliae,
fr. Antonio de Ungaria (9) diffinitore provinciae Ungariae,
fr. Felice de Polonia (10) magistro diffinitore provinciae Poloniae,
fr. Spiritu Dotholandi magistro diffinitore provinciae Provinciae,
fr. Bernardo de Saluciis (11) magistro diffinitore prov. s. Petri Martiris,
fr. Dominico della Marina diffinitore provinciae Trinacriae,
fr. Vincentio Bucchia (12) diffinitore provinciae Dalmatiae,
fr. Michaele de Arcos (13) magistro diffinitore provinciae Bethicae,
fr. Ioanne Nochart (14) theol. lectore diffin. prov. Germaniae inferioris,
fr. Vitho de Mathera (15) magistro diffinitore provinciae sancti Thomae.

---

(1) De fr. Damiano Veneto cf. l. c. pag. 144.
(2) De fr. Bonino de Liniaco cf. l. c. pag. 88.
(3) De fr. Leandro de Bononia cf. l. c. pag. 194.
(4) De fr. Aloysio de Cathanea cf. l. c. pag. 213.
(5) De fr. Antonio de Caramanico cf. l. c. pag. 210.
(6) De fr. Ioanne de Fenario cf. l. c. pag. 204.
(7) De fr. Isidoro de Padua cf. l. c. pag. 205.
(8) De fr. Onuphrio de Salerno cf. l. c. pag. 71.
(9) De fr. Antonio de Ungaria cf. l. c. pag. 46.
(10) De fr. Felice de Polonia cf. l. c. pag. 156.
(11) De fr. Bernardo de Saluciis cf. l. c. pag. 77.
(12) De fr. Vincentio Bucchia cf. l. c. pag. 194.
(13) De fr. Michaele de Arcos cf. SSOP. II, 824.
(14) De fr. Ioanne de Nochart cf. l. c. pag. 108.
(15) De fr. Vito de Mathera cf. supra pag. 206.

Epistola magistri ordinis directa fratribus omnibus ordinis praedicatorum.

Fr. Paulus Butigella Papiensis totius ordinis praedicatorum generalis universis patribus et fratribus eiusdem ordinis salutem et spiritum gratiae salutaris.

Posteaquam domino disponente ad tanti ordinis regimen meritis licet imparibus sum evocatus, quum non ignorem, quantum oneris et quae sollicitudinis moles humeris meis imposita sit, id mihi super omnia curandum intelligo, ut quae apud nos recta, quae laudabilia, quaeque maiorum institutis sunt consentanea, conserventur et augeantur. Quae vero ab his quoquo modo deflectunt, quantum imbecillitatis meae vires adniti potuerint, in meliorem faciem restituantur.

Ad quae peragenda quum sentiam me nullo pacto sufficere, primum omnium velim atque ita fieri totis affectibus obsecro, crebris scilicet precibus apud Deum agi, quatinus is, cuius nutu tanto oneri suppositus, tanto sum obiectus discrimini, ad illud comportandum et digne ac laudabiliter iniunctum officium peragendum sua pietate me iuvet. Scimus enim impossibile esse multorum preces non exaudiri.

Deinde ut talem studeatis vitam vivere, qua laboris quidem et molestiae minus, plurimum vero consolationis et gaudii ex vestra mihi conversatione proveniat. Scriptum est enim, quia filius sapiens laetificat patrem.

Potissimum vero maiores quosque, quibus tamquam in partem sollicitudinis meae assumptis per singulas quasque provincias et congregationes conventusque et loca alia fratrum seu etiam sororum cura est demandata, coram domino obtestor, ut, quod satis facturos in domino confido, diligenter pervigilent, fideliter in vinea domini laborent, bona conservent, mala corrigant et emendent, labentem religionis integritatem totis retineant viribus, ad melioris vitae frugem subditorum studia revocare tota animi mentisque intentione conentur, illud numquam oblivioni tradentes, quod pro animabus subditorum rationem sunt reddituri; et item illud iudicium durissimum iis, qui praesunt, fiet.

Inferiores vero hortor et moneo paternoque affectu instantius rogo, ut suae professionis numquam obliti mores componant, maiorum leges et exempla studiosius emulentur, litterarum studia, omissis quae proh dolor latius inoleverunt, supervacuis studiis et vanitatibus ament atque prosequantur. Sacras praecipue litteras colant et has curent nocturna versare manu, versare diurna, memores nostrum ordinem iam inde ab initio ob id potissime institutum, ut esset, qui praeiret ante faciem domini ad dandam plebi eius scientiam, salutis utique, non vanitatis.

Respicite, filii, ad Abraam patrem vestrum, Dominicum scilicet tanti zeli tamque indefesse virtutis virum et ad Saram, sacratissimam scilicet religionem, quae vos Christo peperit, curateque, ut tales vos post tantorum patrum exempla praestetis, quales illi ante huiusmodi prorsus exempla se praestiterunt.

Omnes vero cuiuscumque gradus et conditionis, qua possum instantia et sedulitate moneo, ut saluti cum propriae tum alienae verbo atque exemplo efficaciter procurandae studiose invigilent, ne ubi superhabundavit gratia, qua ad Christi sequelam vocati sunt, superhabundet ingratitudinis culpa; quod procul dubio erit eventurum, si quo tempore coram districto iudice apparituri sunt, gratiam dei in vanum recepisse sint convincendi, si vocationem sanctissimam impuris moribus et minus religiosa conversatione commaculaverint. Quod ab universo grege mihi credito, pro sua bonitate, deus avertat.

Bene valete meque continuis orationibus adiuvate.

Datum Romae in conventu nostro sanctae Mariae super Minervam die decima iunii ·MDXXX·

Breve emanatum a sanctissimo domino nostro Clemente papa septimo pro electione magistri generalis.

Clemens papa septimus dilectis filiis, vicario generali, provincialibus, diffinitoribus et electoribus in domo sanctae Mariae super Minervam congregatis salutem et apostolicam benedictionem.

Convenientibus vobis in unum ad magistri generalis vestri ordinis inter cetera capitulariter peragenda salutarem electionem, etsi nos ex vobis ipsis omnem in eligendo pastorem ac rectorem animarum vestrarum curam, prudentiam et pietatem, proinde ac vos decet, adhibituros speramus, tamen ut apostolica etiam vos in hoc excitet auctoritas, in quod vos fore per nos et promptos confidimus, memorandum vobis, filii, duximus, nunc maxime tempus esse, si quando numquam fuerit, ut pie et prudenter omnique animorum affectu semoto ad hanc electionem procedatis. Plena enim omnia videtis tum calamitatum diversarum tum praecipue nefandissimae haeresis, quae non contenta suae originis locis et initiis in dies venena sua serpendo diffundit. Cui quidem extirpandae tum praecipue cum vester ordo et scientia sanctarum litterarum aptus et religione conspicuus et honore huius sanctae sedis ei rei peculiariter sit praepositus, ad hoc cum vestra membra tum caput ipsum eligi idonea atque egregia debent, quo et vestrae professioni atque officio et temporum necessitati ac periculis et nostrae in vobis spei atque expectationi plene respondeatis. Nec vero dubitamus, eiusmodi virorum, quos optamus et necessarios videmus, et ex quibus haec salubris electio fieri possit, vestrum ordinem dei benignitate esse refertum; siquidem ager

domini plurimis consitus atque ornatus ordinibus, vestrum tamen semper habuit hoc ipso munere religionis tuendae et doctrinae sacrae profitendae praecipuum et peculiare ; sed tamen in ipsa copia maius est adhibendum iudicium, quod ex multis idoneis quis dignior aptiorque pro ratione temporum sit, diligenter est vobis adipiscendum. Nobis quidem pro nostro officio et in vestrum ordinem praecipuo amore illud veniebat in mentem non solum regularis vitae nomine conspicuum, sed etiam doctrina praestantem multis et labores ferendo aptum huic maxime tempori convenire, quem sicut dei amor et probitas ad tuendam sanctam religionem incitet, ita etiam vires corporis non deficiant, sed in labore coadiuvet ; variis enim in locis pullulante haeresi et scaturiente pernicie, ut quisque locus ruinae proprior videatur, eo accurendum fulciendumque propere est. Ite itaque filii, deo bene iuvante, sanctum animum piumque propositum in hoc tam salutari munere gerite, omnem humanum affectum in sacro opere obeundo in sacro homine sacrumque ordinem recturo eligendo deponite. Non mundana ambitio, non privata utilitas, non alia impia intercedant, quae cum saecularibus viris detestanda sunt, tum a religione profitentibus quam longissime debent esse semota. At continentia vitae, doctrinae decor, morum gravitas, animi alacritas, viribus comitata corporis, vestrum suffragium in eligendo excitent. Quare nos in hac pastorali specula a dei benignitate collocati, et vestrae salutis ac laudis zelatores vos, filii, paterna caritate hortamur ac in virtute sanctae obedientiae necnon sub omnipotentis dei ac beati Dominici fundatoris et authoris vestri nostraeque indignationis ac anathematis et excommunicationis latae sententiae poena requirimus et monemus, ut in hac vestri suffragii et voti praebitione solum dei honorem vobis proponentes solamque religionis et publici vestri boni rationem ducentes, carnis et sanguinis prorsus calcatis affectibus, eum maxime eligere magistrum generalem curetis, quem potissimum existimaveritis sibi et vobis deoque inprimis honori futurum, universaeque christianitati in sancta religione tuenda pie consulturum esse, qui, ut diximus, bonitate, religione et eminenti doctrina ita conspicuus sit et regere consilio sciat et viribus possit solertiaeque laudem ad cetera ornamenta adiungat, quod si quis vestrum id, quod nec credimus nec vellemus, a via recta devius, vel sua ambitione vel alterius affectione corruptus ad cupiditatem aliquam suam, communi utilitate deique respectu impie depulsis, deflexerit, huic nos annuntiamus eum post nostram etiam divinae ultionis beatique Dominici iram et indignationem perpetuam incursurum et anathematis alligatum vinculo aeternum iudicium in sua damnatione sensurum esse ; optamus ipsum deum et beatum Dominicum interioribus vestris mentibus et conscientiis affore, quos fallere, filii, non potestis, et testes ac iudices uni-

cuique vestrum estis habituri, quemadmodum haec plenius venerabilis frater Franciscus, episcopus Aprutinus, praelatus noster domesticus, nostro nomine ac iussu vobis explicabit.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die secunda iunii ·MDXXX·, pontificatus nostri anno septimo.

Inchoationes.

Inchoamus hanc ordinationem, quod omnia bona, quae acquiruntur a generali reverendissimo et ordinis procuratore tempore suorum officiorum, post mortem pertineant ad generalem et procuratorem futuros pro bono ordinis; quae autem ante officium habuerunt, sint conventus sui nativi.

Istae sunt confirmationes.

Confirmamus, quod de beato Sebastiano martire fiat festum sub toto duplici. De sancta Lucia et de decollatione sancti Iohannis fiat festum duplex. De utroque festo sanctae crucis fiat totum duplex. De sancta Barbara fiat festum simplex. De beata Maria Magdalena fiant octavae ad instar octavarum beati Augustini. Et haec omnia habent tria capitula.

De beata Martha hospita Christi fiat officium in provincia Provinciae sub duplici, in ceteris vero iuxta antiquam consuetudinem.

Inchoatur, quod de beata Agnete fiat totum duplex.

Item confirmamus ordinationes factas in praecedenti capitulo generali, quae tales erant. Ordinamus et sub poena absolutionis et sub poena gravioris culpae praesidentibus conventuum mandamus, ut fratribus de competenti victu et vestitu provideant secundum facultatem domus; volumusque, ut infirmi tam maiores quam minores bene et honeste tractentur, ne cogantur ad hospitalia et domos saecularium accedere; instituaturque infirmarius, vir caritativus, qui diligentem eorum curam habeat. Praecipimus autem reverendis provincialibus pro tempore, ut priores, quos in hoc negligentes invenerint, statim alia causa non quaesita in poenam absolvant.

Item ad tollendas rebelliones, dissensiones et conspirationes ordinamus, quod nullus ad superiores recurrat contra provincialem pro eius amotione impetranda aut visitatore, nisi habeat commissionem a maiori parte priorum illius provinciae. Oppositum vero faciens poenae gravioris culpae sit subiectus.

Mandamus sub poena absolutionis a suis officiis, quam contrafacientes ipso facto incurrant, provinciarum, congregationum et conventuum praesidentibus, ne quovis modo permittant mulierculas in conventibus deservire vel in coquina aut aliis officinis morari.

Prohibemus omnibus et singulis fratribus ordinis sub poena carce-

ris, quam contrafaciendo ipso facto incurrant, ne in hebdomada sancta in basilica sancti Petri de Urbe confessiones audiant absque reverendissimi generalis vel reverendi procuratoris aut eorum vices gerentis licentia in scriptis obtenta.

Item ordinamus, quod fratres exempti ab ordine vel manentes extra sub praetextu cuiuscumque licentiae deferant mantellum decisum a lateribus cum bireto rotundo in capite, et casu quo inventi fuerint cum cappis iuxta ritum aliorum fratrum mansionem in conventibus habentium, mandamus praesidentibus conventuum, ut adhibeant omnem curam, ut coherceant adhibito, si opus fuerit auxilio brachii secularis.

Item ad removendam proprietatem, quam omnino intendimus extirpare, ordinamus, quod fratres, postquam fuerint in conventibus, ubi sunt assignati, teneantur de scientia prioris consignare omnem pecuniam, quam penes se habuerint, depositario conventus sub poena applicationis ipsarum ad conventum; et si fratres ipsi fuerint de vita communi, depositarius servet eas pro necessitatibus eorum.

Item ordinamus, quod fratres exempti ab ordine manentes extra ordinem sine licentia superiorum, postea si redierint ad ordinem, etiam cum licentia superiorum non possint habere aliquod praelationis officium, etiam vicariatus, nec vocem activam aut passivam infra decennium sine expressa licentia reverendissimi magistri ordinis in scriptis obtenta.

Item ordinamus, quod fratres discoli et vagabundi, qui non habent assignationem reverendissimi generalis aut suorum provincialium remittantur et nullo modo admittantur ad studium Parisiense. Volumus tamen, quod reverendissimus generalis et provinciales et congregationum vicarii quilibet eorum seorsum possunt mittere ad dictum studium, quotquot idoneos iudicaverint; ex quibus duo statim assignati iuxta tenorem constitutionum censeantur; reliqui vero nisi infra terminum mensis a vicario congregationis assignati fuerint, pro assignatis habeantur.

Item ordinamus ad tollendos superfluos discursus studentium, quod fratres, qui ultra quatuor menses extra conventum Parisiensem aut alios conventus, ubi vigent studia, manserint, nisi ob legitimam causam id fecerint, ad suos conventus remittantur.

Item ordinamus et inviolabiliter observari volumus, quod studentes morantes in studio Parisiensi, non exponant ultra tres francos pro aulica; respondentes vero de circulo theologiae non exponant ultra duodecim solidos Turonenses; quoad alia vero, quae praedictum studium concernunt, ordinationes ultimi capituli generalis per omnia approbamus, praeterquam si in eis inveniatur, quod sibi possint ex missis, sermonibus et alias huiusmodi pecunias procurare.

Item ordinamus, quod fratres nostri si in futurum per bullas summi

pontificis editas et edendas ad praedicandum iverint quascumque bullas revocando nostra privilegia, sint privati lucro ipso(rum) ex bullis acquisito et applicetur pro utilitate communi suorum conventuum indispensabiliter a suis provinciis et nullo modo sint pro usu dictorum fratrum.

Item ordinamus ad sedendam questionem ortam in conventu Parisiensi super praesentatura licentiae (?) huius anni 1530 inchoatae inter fr. Egidium Binneti (1) et fr. Ioannem Benedicti (2), damusque commissarios reverendum magistrum Michaelem Vincentii huius capituli generalis diffinitorem et priorem conventus Compendiensis, adiicientes quod, si isti duo non concordaverint, cum consensu partium possint eligere unum tertium, quem facimus cum illis commissarium, praecipientes, ne aliquis dictorum baccalariorum se gerat pro praesentato, donec per istos fuerit iudicatum seu terminatum negotium; praecipientes dictis baccalariis sub poena privationis gradus sui baccalariatus, [ut] habeant istorum stare sententiae.

Inhibitiones.

Approbamus inhibitiones factas in capitulo generali praecedenti huiusce tenoris: Prohibemus sub poena gravioris culpae omnibus et singulis ordinis nostri fratribus, quam contrafacientes ipso facto incurrant, ne quis libros quoscumque a se vel alio fratre noviter compositos imprimi faciat vel edat in publicum sine expressa licentia reverendissimi magistri ordinis in scriptis obtenta et sine praemisso examine diligenti et approbatione virorum doctorum.

Item prohibemus omnibus et singulis fratribus ordinis, ne quis ad Romanam urbem vadat sine expressa licentia sui provincialis vel vicarii generalis suae provinciae aut congregationis, et hoc sub poena carceris.

Praecipimus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae ac sub excommunicationis latae sententiae poena, quam contrafacientes ipso facto incurrant, quamque una pro trina canonica monitione praemissa ferimus in his scriptis, ne quis conventum aliquem a iurisdictione provincialis subtrahere audeat absque summi pontificis vel reverendissimi generalis auctoritate et assensu.

Item inhibemus omnibus et singulis praelatis ordinis, ne audeant recipere aliquem fratrem alterius provinciae vel congregationis absque licentia in scriptis habita a suo provinciali vel vicario generali vel a reverendissimo magistro ordinis, et hoc sub poena absolutionis a suis officiis.

---

5) Item — sententiae *om.* S.

---

(1) De fr. Egidio Binneti cf. supra pag. 208.

(2) De fr. Ioanne Benedicti cf. SSOP. II, 190.

Monitiones.

Monemus ac mandamus praesidentibus et patribus conventuum a reverendis provincialibus exemptorum, ut solitas contributiones eisdem provincialibus debitas persolvant, concedentes eisdem pro tempore existentibus, ut post lapsum solutionis tempus possint dictorum conventuum praesidentes et patres compellere per praeceptum et poenae gravioris culpae comminationem, condemnationem et declarationem; volentes, ut, si quis ob hanc causam ab eisdem fuerit declaratus in poenam gravioris culpae incidisse, a solo reverendissimo magistro ordinis restitui possit.

Monemus omnes et singulos fratres ordinis nostri et praesertim qui litteris seu praedicatione praecellunt et in domino hortamur, necnon si meritum obedientiae volunt, illis iniungimus, ut contra pestifera et virulenta Martini Lutheri dogmata, quae paulatim serpentia in tantam perniciem irruperunt magnamque stragem ecclesiae dei ac ruinam fecerunt, non solum orationibus, sed sanis praedicationibus totis conatibus se opponant, privatimque ac publice, domi, foris, apud populos, proceres et quoscumque principes orthodoxam fidem contra illius figmenta et haereses tueantur tamquam boni pastoris nostri catuli adversus fures latratus edentes, imitatores effecti maiorum nostrorum, qui pro succidendis haeresibus ac impiis dogmatibus de ecclesiis funditus evellendis soliti sunt non solum preces ac studia, sed ipsum sanguinem ac vitam exponere, ut possint salutem ecclesiae, neglectu suorum corporum, ultro ad mortem properando redimere.

Monemus patres provinciales ad evitandos fratrum discursus, ne sint faciles et proclives ad assignandos fratres de conventu ad conventum nisi propter studium, praedicationem, praelaturam vel aliam causam necessariam; et inhibemus prioribus, ne fratres assignatos possint remittere e conventu ad conventum suum nativum nisi consensu reverendi provincialis in scriptis habito.

Monemus omnes provinciales, quatenus accedere debeant ad generale capitulum, quotiescumque celebratur, legitimo cessante impedimento, et quo casu legitimo impediti fuerint, mittant causam, quare fuerint impediti, alioquin mittentur visitatores ad recognoscendas causas.

Revocationes.

Revocamus omnes concessiones et indulgentias quomodocumque et a quocumque praelato ordinis factas et concessas fratribus, quod possint retinere aliqua bona in particulari; ac denuntiamus sanctissimum dominum nostrum papam revocasse quascumque concessiones et indulta alicui fratri concessa, quod possint retinere huiusmodi bona in particulari.

Item revocamus omnes litteras et facultates concessas quomodocumque a praelatis ordinis provincialibus et vicariis congregationum ac aliis praesidentibus ordinis, quod possint recipere fratres alienae provinciae nisi de licentia suorum provincialium.

Declarationes.

Declaramus, quod serventur constitutiones in his, in quibus constitutiones sunt clarae sicut de his, qui sunt assignati in conventibus et provinciis; de illis autem, qui manent extra conventus et non habent aliquam assignationem a provincialibus aut sunt extra ordinem, declaramus medietatem bonorum suorum post mortem pertinere ad generalem et medietatem ad provincialem.

Item declaramus, quod ubi in constitutionibus dicitur, quod bona relicta per reverendissimum generalem et procuratorem defunctos, media pars dictorum bonorum pertineat ad conventum originalem et medietas alia ordini, intelligatur tantum de bonis, quae iam ad manus suas pervenerunt, sed contributiones non exactae a provinciis ante mortem et equi et mulae cum utensilibus domus et lectisterniis pertineant ad reverendissimum generalem pro usu suo.

Item declaramus, quod si quis prior provincialis vel vicarius congregationis aut conventualis prior occasione litterarum vel sigilli aut registri, licentiae vel confirmationis et universaliter pro concessione cuiuscumque gratiae aliquod munus etiam sponte oblatum susceperit, poenam absolutionis a suis officiis incurrisse censeatur, prout in constitutionibus habetur.

Item declaramus, quod si quis conventus carens priore suo aliquo casu et legitimo impedimento occurrente non elegerit priorem, provincialis non potest de conventuali priore providere, nisi prius vocales et conventum talem requisierit et monuerit, ut ad aliquam electionem vel postulationem procedant infra certum tempus; et si secus factum fuerit a priore provinciali, id totum sit irritum et inane.

Item declaramus, quod priores, qui praesunt conventibus non habentibus numerum duodenarium, habent vocem in electione prioris provincialis et vicariorum congregationis; similiter et socii ipsorum electi a conventu.

Item declaramus, quod existentes in poena gravioris culpae in una provincia non possunt absolvi in alia, etiamsi fuerint assignati in illa.

Item declaramus nullum fratrem nostri ordinis in Urbe poenitentiarium aut quomodocumque ab ordine exemptum habere vocem activam aut passivam neque aliam praelationem in ordine habere posse.

Item declaramus, quod illi magistri, qui per sedem apostolicam fuerunt magisterii insignia consecuti, non habeant locum nisi ab eo

tempore, quo ab ordine magisterium eorum fuit approbatum et acceptatum.

Declaramus, quod sanctissimus dominus noster Clemens papa revocavit bullas cruciatae et gratias pro fratribus nostris, quod possint gaudere perpetuo confessionali et quod possint ire ad bellum Turcharum personaliter, petita et non obtenta licentia; et hoc fecit per modum declarationis respectu bullae praedictae et praedicandae, obtentae et obtinendae.

Denuntiamus sanctissimum dominum nostrum Clementem VII. per breve apostolicum omnibus fratribus et sororibus provinciae Poloniae concessisse et gratiose admisisse, quot annis celebrari festum beati Iacinti, cuius corpus requiescit in ecclesia conventus nostri Cracoviensis, altera die post festum assumptionis beatae Mariae virginis sub toto duplici.

Denuntiamus reverendos provinciales habere potestatem restituendi ad beneficia et gratias ordinis vel dispensandi a carceribus fratres suos quoscumque, prout eis visum fuerit de praedictis.

Declaramus provinciales et priores conventuales tempus prioratus incipere a die acceptationis sui prioratus.

Declaramus, quod nullus bachalarius ordinarius incorporatus teneat locum suum, nisi actu legat sententias vel bibliam vel legerit in aliquo studio generali, in quo per annum continue fuerit lectum solempniter.

Declaramus, quod fratres translati de una provincia ad aliam vel de congregatione ad provinciam provideant sibi per provinciales illius provinciae de conventu aliquo in sua provincia, cuius sit filius, vel quod infra annum remittatur ad suam provinciam priorem.

Declaramus institutum esse inquisitorem haereticae pravitatis per diocesim Traiectensem et Monasteriensem fr. Laurentium Laurentii magistrum provinciae Germaniae inferioris conventus Groningensis.

Declaramus, quod constitutio, ubi dicitur, quod fratres nostri non ponant os in caelum, mandetur executioni contra transgressores a legitimis praelatis vel praesidentibus; quod si praelati aut praesidentes non fecerint, incurrant poenam gravioris culpae ipso facto; monendo, quod nullus fratrum nostrorum praedicet vel scribat vel decernat quaestiones difficiles, ex quibus scandalum oriri possit apud saeculares maxime principes et potissime quaestiones difficiles potestatem papae tangentes.

Istae sunt licentiae.

Licentiamus ad magisterium post annum fr. Petrum de Cortisio, dummodo examinatus et inventus fuerit sufficiens per examinatores provinciae Trinacriae.

Licentiamus fr. Paulum de Traina examinatum in praesenti capi-

tulo post annum, dummodo hoc anno manserit in conventu Bononiensi vel in alio conventu ad beneplacitum reverendissimi generalis.

Licentiamus ad bacchalariatum fr. Damianum de Fabusio, Antonium de Savocca et fr. Ioannem Baptistam de Castro Veterano post annum, dummodo examinati et inventi fuerint sufficientes per examinatores provinciae Trinacriae.

Licentiamus fr. Hieronimum de Catanea bacalarium conventus Lovaniensis, ut possit suscipere insignia magistralia in aliqua universitate, Lovanii [vel] ubi commodius hoc fieri poterit.

Licentiamus fr. Petrum de Iustinopoli, fr. Constantium de Taurisio et fr. Ludovicum de Venetiis, ut suscipere possint magisterii insignia, dummodo fuerint per examinatores inventi sufficientes secundum tenorem nostrarum constitutionum.

Licentiamus ad magisterium fr. Thomam de Pinarolo (1), fr. Iacobum de Cherio (2), fr. Antonium de Ripollis, fr. Ioannem Capretam de Saviliano omnes de provincia s. Petri Martiris, qui compleverunt cursum suum usque baccalariatum suum inclusive, praemisso tamen rigoroso examine iuxta tenorem nostrarum constitutionum.

Licentiamus fr. Ioannem Bertani, ut completo suo biennio possit assumere gradum baccalariatus in aliqua universitate, praemisso tamen rigoroso examine.

Licentiamus fr. Petrum de Recanato, ut completo suo baccalariatu in studio Patavino magisterii insignia suscipere possit, dummodo inventus fuerit sufficiens et idoneus per examinatores dandos a provincia, qui iudicabunt secundum conscientiam suam.

Item damus licentiam provinciae Poloniae acceptandi tria vel quatuor loca de consensu diffinitorum provincialis capituli.

Item licentiamus ad magisterium fr. Dominicum Romeu bachalarium provinciae et congregationis Aragoniae, praemisso tamen rigoroso examine iuxta tenorem nostrarum constitutionum.

Concedimus licentiam fr. Bartholomaeo Llor provinciae et congregationis Aragoniae ad legendas sententias pro gradu et forma magisterii, expleto bachalariatu suo et licentia sua.

Item licentiamus ad bachalariatus titulares fr. Gregorium de Regno et fr. Antonium de Lesina provinciae Dalmatiae.

Isti sunt praedicatores generales.

Facimus praedicatores generales in provincia sancti Thomae fr. Albertum de Marata et fr. Franciscum de Caramanico ; in provincia Ca-

(1) De fr. Thoma de Pinarolo cf. supra pag. 208.

(2) De fr. Iacobo de Cherio cf. l. c. pag. 144.

labriae venerabilem fr. Dominicum de Severino, fr. Vincentium de Pedricio et fr. Vincentium de Briatico.

Acceptationes.

Acceptamus locum de Genisaco provinciae Tholosanae pro conventu, damusque auctoritatem reverendo provinciali Tholosano moderno providendi de priore ac aliis officialibus et incorporandi aliquos fratres in eodem conventu, ut sibi placuerit, et dandi terminos ex conventibus Regulae, sancti Emiliani et Burdegallae; cui etiam datur auctoritas incorporandi fratres de alienis conventibus conventui sancti Iuniani.

Item acceptamus translationem conventus sancti Thomae de Tordesillas provinciae Hispaniae.

Item conventum sancti Dominici de Porturicho sancti Ioannis et conventum sancti Dominici de Portu de Plata insulae Hispaniolae et conventum sancti Dominici civitatis de Messico novae Hispaniae; conventum sancti Petri Martiris de Marchiena; conventum sanctae Mariae de Guadalupe oppidi de Bahena, conventum sanctae Mariae incarnationis oppidi de Zafra; conventum sancti Dominici de Guzman oppidi de San Luchar de Barameda; conventum sancti Ioachimi oppidi de Ronda; conventum sancti Petri Martiris insulae de Tenerifa provinciae Bethicae.

Item monasterium sanctae Mariae de lo Rosario in oppido de Casseres, sancti Petri in oppido de Carion, sancti Dominici in oppido de Biluao et collegium sancti Thomae in civitate Complutensi aedificatum a bonae memoriae magnifico domino Carolo de Mendoza decano Toletano.

Acceptamus in provincia Sancti Thomae locum Guastii s. Athimonis in prioratum et damus licentiam provinciali sancti Thomae, ut provideat ibi de priore.

Item acceptamus locum Sabaris, Serrae, Placanicae et Amigdalarum pro conventibus provinciae Calabriae, dantes auctoritatem reverendo vicario generali dictae congregationis, ut provideat illis de prioribus et aliis officialibus pro hac vice tantum.

Item acceptamus congregationem Calabriae pro provincia et vocetur provincia Calabriae, volentes ipsam gaudere ac potiri omnibus gratiis, privilegiis et indultis, quibus gaudent et potiuntur reliquae provinciae in ordine nostro; nihilominus volentes, quod vicarius modernus sub nomine vicarii remaneat per duos annos cum auctoritate, quam habent provinciales in provinciis suis tam de iure quam de consuetudine; his autem duobus annis elapsis eligatur provincialis loco vicarii.

Item acceptamus conventus novos iam constitutos et in posterum constituendos in insulis occidentalibus repertis ab anno domini millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo et in nova Hispania et terra firma

noviter inventa pro provincia sub nomine sanctae Crucis, declarantes huiusmodi conventus esse separatos a provincia Bethicae et posse eligere unum provincialem, qui dumtaxat per quadriennium duret et completo quadriennio non possit immediate reeligi, et cum electus fuerit, completo capitulo culparum per provincialem antiquum volumus ipsum esse confirmatum, nihilominus instituentes pro isto futuro quadriennio proximo auctoritate nostra in provincialem dictae provinciae reverendum patrem fr. Thomam de Barlanga cum auctoritate, quam habent provinciales in suis provinciis secundum tenorem nostrarum constitutionum; volentes ipsam provinciam gaudere et potiri omnibus gratiis et privilegiis, quibus gaudent et potiuntur aliae provinciae in ordine nostro.

Approbationes.

Approbamus provinciam Germaniae inferioris et similiter provinciam sancti Thomae in regno Neapolitano. Et haec habent tria capitula.

Item approbamus studia generalia his conventibus data in praecedenti capitulo generali de anno millesimo quingentesimo vigesimo quinto videlicet conventui Cibiniensi provinciae Ungariae, conventui Roschildensi provinciae Datiae, conventui Barolitano provinciae sancti Thomae, quod transferimus ex nunc ob desolationem dicti conventus ad conventum Andriae, et conventui Consentino congregationis Calabriae, cum omnibus gratiis et privilegiis dari consuetis huiusmodi studiis generalibus; nihilominus praecipientes in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae reverendo provinciali Ungariae et priori Cibiniensi pro tempore, quatenus dent operam efficacem, ut dictum studium omnino erigatur et manuteneatur.

Item approbamus sententiam datam per reverendum patrem provincialem Franciae et diffinitores capituli provincialis celebrati Polliniaci super collatione quorumdam terminorum de Polliaco nuncupatorum pertinentium conventui Belvaci alias pertinentium conventui Divionensi.

Item alias sententias eiusdem provincialis ac diffinitorum capituli provincialis Belvacensis super promotione fr. Michaelis Mulier, quod non praecedat fr. Ioannem de Tier licentiatum et fr. Ioannem Binneti et fr. Nicolaum Burgensem, sed teneat locum suae professionis.

Item approbamus translationem fr. Symonis Nerodi (1) magistri de conventu Bituricensi ad conventum Claramontensem, praecipientes illi, ut provinciali vel priori suo exemptionem declaret aut renuntiet, et ad conventum, ad quem translatus est, vadat.

Item approbamus translationem fr. Ioannis Roselli magistri de conventu Rhedonensi congregationis Gallicanae ad conventum Bituricensem

(1) De fr. Simone Nerodi (Nerault) cf. SSOP. II, 87.

assignando eum in dicto conventu Bituricensi pro principali studii regente et pro conregente fr. Nicolaum de Vir magistrum.

Item approbamus magisterium fr. Didaci de sancto Petro, fr. Petri Locano (1), fr. Thomae de sancta Maria (2), fr. Didaci Astudillo (3) provinciae Hispaniae.

Item translationem fr. Ioannis Caroli de conventu Montis Albani ad conventum Petragoricensem et fr. Bernardi de Comitissa de conventu Tholosano ad conventum Condomiensem provinciae Tholosanae.

Item approbamus lecturam fr. Petri Gallienda (4) pro gradu et forma magisterii facta in conventu Ilerdensi provinciae Aragoniae et ipsum licentiamus ad magisterium, praemisso tamen rigoroso examine iuxta tenorem nostrarum constitutionum.

Item approbamus magisterium fr. Guilielmi de sancto Grisio, fr. Ioannis Caroli, fr. Antonii de Petrucia (5), fr. Ioannis Remaneti et fr. Ioannis de Vernisio provinciae Tholosanae.

Item approbamus baccalariatum fr. Geraldi de Aquis conventus Aquensis provinciae Theutoniae, dantes eidem facultatem licentias accipiendi usque ad magisterium exclusive in universitate Treverensi.

Item approbamus magisteria fr. Benedicti de Utino (6) et fr. Ioannis de Utino (7), fr. Iulii et fr. Ioannis Baptistae de Padua provinciae s. Dominici.

Item baccalariatum fr. Andreae Scoti provinciae Ungariae, quem licentiamus ad magisterium suscipiendum in aliqua universitate, ubi in veritate viget studium, praecedente tamen rigoroso examine secundum tenorem nostrarum constitutionum.

Item magisteria fr. Stephani Bollani, fr. Thomae Garsyae, fr. Michaelis de Salonia (8), fr. Thomae Sateli, fr. Salvatoris Magnavacha, fr. Ludovici et fr. Petri de Thesauro et fr. Vincentii de Gracheto provinciae Trinacriae.

Item approbamus magisteria fr. Nicolai de Posegavar, fr. Gregorii de Transilvania (9), fr. Thomae Fulgentii (10) provinciae Ungariae;

---

(1) De fr. Petro Locano cf. supra pag. 217.
(2) De fr. Thoma de S. Maria cf. l. c. pag. 119.
(3) De fr. Didaco de Astudillo cf. l. c. pag. 204.
(4) De fr. Petro Gallienda (Gallenda) cf. l. c. pag. 212.
(5) De fr. Antonio de Petrutia cf. l. c. pag. 204.
(6) De fr. Benedicto de Utino cf. l. c. pag. 209.
(7) De fr. Ioanne de Utino cf. l. c.
(8) De fr. Michaele de Salonia cf. l. c. pag. 213.
(9) De fr. Gregorio de Transilvania cf. l. c. pag. 195.
(10) De fr. Thoma Fulgentii cf. l. c. pag. 156.

fr. Ioannis Verrerie (1) conventus Montis Pessulani, fr. Arnaldi de Badeto (2), fr. Antonii Eraudi, fr. Antonii Guiramandi (3), fr. Gulielmi Loge, fr. Petri Vignole, fr. Firmini Podentis (4), fr. Raymundi Singularis, fr. Ioannis de Vico, fr. Stephani Beloni provinciae Provinciae.

Item approbamus lecturas sententiarum fr. Dominici Gironis, fr. Ioannis Filiati, fr. Nicolai Dodi, fr. Ioannis Biloti, fr. Claudii Urseti, fr. Ludovici Micelliti eiusdem provinciae Provinciae, quos licentiamus ad magisterium, praemisso examine rigoroso iuxta tenorem nostrarum constitutionum.

Item baccalariatum fr. Iacobi Molera, quem suscepit in conventu Perpiniani.

Item magisterium fr. Matthaei de Buscho (5) et baccalariatum fr. Theodorici de Sconovia (6) et fr. Dominici Damandi, concedentes quod possint magistrari in aliqua universitate, ubi in virtute viget studium praemisso rigoroso examine iuxta tenorem nostrarum constitutionum. Simili modo admittimus ad magisterium fr. Ioannem Bech, fr. Gofridum Striroi (7) et fr. Gulielmum de Alten (8) provincialem Germaniae inferioris, de assensu tamen capituli provinciae suae.

Item approbamus, quod fr. Adam Pauli possit promoveri ad baccalariatum usque ad formam inclusive in universitate Lovaniensi.

Approbamus magisterium fr. Ioannis Verze provinciae Germaniae inferioris, fr. Dominici de Lavadano, fr. Gulielmi de sancto Brisio, fr. Antonii de Petrucia (9) et fr. Santii de Claveria (10) et lecturam sententiarum fr. Ioannis Theaudii et fr. Petri de Molendis et fr. Petri de Averio, quem assignamus Bituris, ut perficiat cursum suum usque ad magisterium inclusive.

Item approbamus tres sententias datas per tres reverendissimos magistros generales videlicet magistrum Vincentium Bandellum (11), magi-

---

(1) Videtur esse idem ac I. Veiregiae, de quo supra pag. 205.

(2) De fr. Arnaldo de Badeto cf. supra pag. 204.

(3) De fr. Antonio Guiramandi (Giuramandi) c. l. c. pag. 211.

(4) De fr. Firmino Podentis cf. l. c. pag. 205.

(5) De fr. Mathaeo de Buscho cf. l. c. pag. 213.

(6) Ab anno 1538-1551 provincialis provinciae Germaniae inferioris; cf. A. Hoogland *Conspectus Historicus et statisticus provinciae Germaniae inferioris.* Rotterodami 1895. pag. 38.

(7) De fr. Godfrido Striroio cf. SSOP. II, 134.

(8) De fr. Guilelmo de Alten cf. supra pag. 156; Hoogland l. c.

(9) De fr. Antonio de Petrucia cf. supra pag. 230.

(10) De fr. Sanctio de Claveria (Calveria) cf. l. c. pag. 190.

(11) De fr. Vincentio Bandello cf. l. c. pag. 204.

strum Ioannem Cleree (1), et magistrum Franciscum Ferrariensem (2) pro sedanda lite, quae dudum fuit inter fratres conventus Insulensis et sancti Odomari provinciae Germaniae inferioris ratione decanatuum sancti Pauli et Licensis Morinensis diocesum (!), volentes, quod omnino dicti fratres pareant dictis sententiis, eisdem imponentes perpetuum silentium.

Item approbamus filiationem fr. Francisci Bascheriae, fr. Ioannis de Puteo et fr. Michaelis Brinek in conventu Brageriaci.

Approbamus magisterium fr. Ioannis Mariae de Florentia.

Approbamus incorporationem filiationis magistri Iacobi de Miromonte a provincia Germaniae inferioris ad provinciam Franciae, cui reverendus provincialis Franciae de conventu providebit.

Approbamus expositionem factam super septem psalmos poenitentiales per magistrum Dominicum de Catharo (3) provinciae Dalmatiae, cui concedimus, quod possit imprimi.

Approbamus magisterium fr. Michaelis de Archos praesentis capituli diffinitoris pro provincia Bethicae.

Approbamus magisteria fr. Vincentii de Florentia (4), fr. Ugolini de Cortona (4) et fr. Leonardi de Utino, fr. Eustachii de Lesina (4) et fr. Dominici de Florentia (5) provinciae Romanae.

Approbamus fr. Petrum Episcopi (6) provinciae Poloniae ad legendum sententias pro forma et gradu magisterii in aliqua universitate, ubi in veritate vigeat studium.

Approbamus declarationem factam in capitulo provinciae Provinciae hoc anno celebrato contra fr. Bartholomaeum Colloti et reducimus eum ad conventum suum nativum et confirmamus poenas, in quas positus fuit per dictum capitulum.

Approbamus filiationem fr. Aloysii de Catanea (7) magistri factam in conventu sanctae Cittae provinciae Trinacriae.

Approbamus magisterium fr. Ioannis de Manso congregationis Franciae.

Approbamus, quod conclusum fuit per priorem et fratres conventus sancti Dominici de Panhormo de unciis octuaginta exponendis pro fabrica et reparatione conventus et praecipimus priori provinciali et con-

---

(1) De fr. Ioanne Cleree cf. l. c. pag. 92.
(2) De fr. Francisco Ferrarien. cf. l. c. pag. 194.
(3) De fr. Dominico de Catharo cf. l. c. pag. 145.
(4) De fr. Vincentio de Florentia, fr. Ugolino de Cortona, fr. Eustachio de Lesina cf. l. c. pag. 209.
(5) De fr. Dominico de Florentia cf. l. c. pag. 211.
(6) De fr. Petro Episcopi cf. l. c. pag. 205.
(7) De fr. Aloysio de Catanea cf. l. c. pag. 217.

ventuali sub poena absolutionis a suis officiis, ne in hoc permittant aliquid immutari.

Approbamus mag'steria fr. Ioannis Baptistae Acasareti de Ianua (1), fr. Xisti Martini de Dalmatia, fr. Michaelis Castellani de Alexandria, et fr. Ioannis Mariae de Carabonica de Ianua et baccalariatum fr. Georgii de Bugella (2).

Approbamus sententiam datam a reverendissimo novissime defuncti contra fr. Gotifredum Achofera provinciae Germaniae inferioris, declarantes eum non debere licentiari pro magistro et promoto, cum fuerit promotus a provinciali Franciae non habente auctoritatem promovendi fratres [nisi] a sua provincia.

Approbamus ordinationem factam in capitulo provinciali Calcharensi provinciae Germaniae inferioris de fr. Ioanne Brocheli conventus Duacensis provinciae Germanae inferioris, cui si contraire praesumpserit, ex nunc in futurum volumus, ut indispensabiliter subiaceat......

Restitutiones.

Restituimus ad gratias ordinis et ad vocem activam et passivam et alia beneficia ordinis fr. Arnaldum Fabri conventus Burgedalensis, quibus privatus fuerat causa apostasiae et reversus ad cor receptus est ad ordinem, dummodo renuntiet capellaniae.

Item restituimus ad gratias ordinis et ad vocem activam et passivam et ad alia beneficia ordinis fr. Franciscum de Suessa iuvenem professum provinciae Regni, quibus privatus erat per apostasiam.

Translationes.

Transferimus fr. Ioannem de Roma de conventu Bituricensi provinciae Franciae ad conventum Draguignani, fr. Matthiam de Florentia provinciae Romanae ad conventum sancti Dominici de Rechaneto, fr. Mauritium de Mantua de conventu sancti Dominici de Neapoli ad conventum sancti Dominici de Esio, fr. Ioannem Prusia de provincia Poloniae ad conventum sancti Dominici de Ianua, fr. Gregorium de Cathanea de provincia Trinacriae ad Fulginensem conventum, fr. Hieronymum de Petraficta a conventu Savonensi ad conventum Syracusarum, magistrum Sixtum de Sebenico de provincia Dalmatiae ad conventum sancti Dominici de Ianua, fr. Thomam de Placentia de conventu Placentino et fr. Paulum de Casali a conventu Casali ambos ad conventum Spoleti, fr. Laurentium de Alexandria ex conventu Alexandriae ad conventum Fulginei, magistrum Augustinum de Vicomercato de Mediolano de conventu sanctae Mariae de Gratiis de Mediolano ad conventum sancti

(1) De fr. Ioanne Bapt. Acasareto de Ianua cf. l. c. pag. 74.

(2) De fr. Georgio de Bugella cf. l. c. pag. 213.

Thomae de Papia, quem damus etiam inquisitorem eidem conventui, fr. Ioannem de Salutiis de conventu sancti Ioannis Baptistae de Salutiis ad conventum sancti Dominici de Genua, fr. Ioannem Mariam de Vercellis et fr. Marcum de Alexandria de conventibus Vercellis et Alexandriae ad conventum sancti Dominici de Genua, et fr. Thomam laycum a provincia Hispaniae ad provinciam Bethicae, fr. Ioannem laycum, fr. Garsiam de Palma sacerdotem et fr. Alvarum de Spiritu sancto a provincia Portugalliae ad provinciam Bethicae a conventu sancti Dominici de Elvas ad conventum sancti Petri Martiris de Ronda, magistrum Andream Gigonis (1) provinciae [Provinciae] de conventu Avinionis ad conventum Aurasicensem, fr. Gasparem Raymundi de conventu Marsiliae ad conventum Draquignani, fr. Arnaldum Caribandi de conventu suo ad conventum Valentiae provinciae Provinciae, fr. Iacobum de Luche laycum de conventu Giennensi ad conventum sancti Pauli Hispalensem.

Transferimus fr. Hieronymum de Mutina de congregatione Lombardiae ad provinciam regni Siciliae.

Transferimus fr. Andream Tamani a conventu Avinionis ad conventum Alesii.

Item transferimus fr. Ioannem Costani a conventu suo ad conventum Tholoni eiusdem provinciae.

Item transferimus fr. Michaelem Gienovart baccalarium de congregatione Aragoniae ad conventum Valentiae eiusdem provinciae.

Item transferimus fr. Fabianum Rasanoso de provincia regni ad provinciam Hispaniae et de conventu Neapoli ad conventum sancti Petri Martiris de observantia prope Segobiam de consensu fratrum eiusdem conventus.

Item transferimus fr. Martinum de sancto Iacobo laycum ex conventu sancti Dominici Lapidis fixi ad conventum sanctae Crucis Segobien. in eadem provincia et de consensu fratrum eiusdem conventus.

Item transferimus fr. Ioannem de Panonia de provincia Ungariae ad provinciam Dalmatiae et facimus eum filium conventus sancti Petri Martiris de Lesina.

Assignationes.

Conventui Parisino assignamus ad legendum sententias pro loco extraneis debito in magnis scolis pro anno millesimo quingentesimo trigesimo fr. Alphonsum de Hererra (2) provinciae Hispaniae et pro loco intraneis debito in parvis scolis fr. Claudium de Campis (3). Pro anno

(1) De fr. Andrea Gigonis (Gingonis) cf. l. c. pag. 144.

(2) De fr. Alphonso de Hererra cf. SSOP. II, 165.

(3) De fr. Claudio de Campis cf. supra pag. 208.

trigesimo primo in magnis scolis pro loco intraneis debito fr. Petrum de Quercu provinciae Franciae conventus Pruvinensis, in minoribus vero scolis pro loco intraneis debito fr. Petrum Tierson. Pro trigesimo secundo anno in magnis scolis pro loco extraneis debito Honofrium Maut (1) conventus Barchinonensis provinciae Aragoniae, fr. Ioseph de Corrigia provinciae Tholosanae conventus Ruthenensis, in parvis scolis fr. Ioannem Guin Curt provinciae Franciae. Pro trigesimo tertio in magnis scolis pro loco intraneis debito fr. Petrum Divole (2) conventus Altisiodorensis provinciae Franciae. Anno trigesimo quarto in magnis scolis pro loco extraneis debito leget fr. Alvarus Ulisbonensis provinciae Portugalliae, et in parvis scolis fr. Ioannes Catti conventus Angolismensis provinciae Franciae. Ad legendum bibliam fr. Gulielmum Bathon conventus Lugdunensis congregationis Gallicanae. Ad legendum bibliam pro anno trigesimo primo fr. Claudium Orengis et pro anno trigesimo tertio fr. Ioannem Gequeti ambos provinciae Franciae et in parvis scolis fr. Matthaeum Pavi conventus Rhedonensis congregationis Gallicanae.

Conventui Bononiensi provinciae sancti Dominici damus in regentem pro tribus annis futuris fr. Bartholomaeum de Pisis (3), cui substituimus fr. Baptistam de Mediolano (4), quos ad magisterium licentiamus; in baccalarium pro primo et secundo anno fr. Thomam Mariam de Beccadelis Bononien. (5), cui substituimus fr. Vincentium de Placentia (6) et fr. Thomam de Vicentia; in magistrum vero studentium pro primo anno fr. Baptistam de Mersilia, pro secundo fr. Aurelium de Peris, pro tertio fr. Dominicum de Laude, cui substituimus fr. Petrum Martyrem de Laude. In studentes theologiae pro rata provinciae Franciae fr. Oliverum Lavalle et fr. Ioannem Gofede; pro rata provinciae Portugalliae fr. Franciscum de Illerda, et fr. Ioannem de Valentia; pro rata provinciae Germaniae inferioris fr. Ioannem de Zutphania et fr. N.

Conventui Tholosano ad legendum sententias pro gradu et forma magisterii pro anno ·MDXXXIII· assignamus fr. Ioannem Forcade conventus Lectorensis. Item concedimus reverendo provinciali Tholosano, quod possit assignare in praedicto conventu Tholosano duodecim fratres studentes in theologia, mandantes reverendo vicario dictae congregationis Franciae ac priori conventus antedicti, quatenus ipsos recipiant et admittant ad dictum studium vivendo regulariter.

(1) De fr. Onuphrio Maut cf. l. c. pag. 212.
(2) De fr. Petro Divole cf. SSOP. II, 200.
(3) De fr. Bartholomaeo de Pisis cf. supra pag. 119.
(4) De fr. Baptista de Mediolano cf. l. c. pag. 208.
(5) De fr. Thoma M. de Beccadelis de Bononia cf. l. c. pag. 209.
(6) De fr. Vincentio de Placentia cf. SSOP. II, 118.

Conventui Patavino provinciae sancti Dominici damus in regentem pro primo anno fr. Benedictum de Utino (1) magistrum, in baccalarium fr. Petrum de Rechaneto (1), in biblicum fr. Nicolaum de Martina (2), in magistrum studii fr. Franciscum de Genua (3). Pro secundo et tertio anno in regentem fr. Sixtum de Venetiis (4), pro secundo anno fr. Nicolaum de Martina, in biblicum fr. Franciscum de Genua, in magistrum studii fr. Paridem de Cingulo; pro tertio anno in baccalarium fr. Franciscum de Ianua, in biblicum fr. Paridem de Cingulo, in magistrum studii fr. Augustinum de Genua, in baccalarium extraordinarium fr. Barnabam de Venetiis, quos omnes admittimus ad dictos gradus, dummodo inventi fuerint sufficientes, rigorose examinatos per examinatores dandos a reverendissimo magistro ordinis. In studentes theologiae pro primo anno fr. Petrum Martyrem de Padua, fr. Augustinum de Genua, fr. Thomam de Panormo; pro secundo fr. Archangelum de Venetiis, fr. Thomam de Portuguario et Thomam de Utino; pro tertio fr. Constantium de Tarvisio et fr. Vincentium de Tarvisio, fr. Hieronymum de Civitate, fr. Maximum de Tarvisio, fr. Vincentium de Ponte, fr. Antonium de Martina.

Conventui Veneto.....

Conventui Romano damus in regentem pro tribus annis fr. Augustinum de Mediolano (4) magistrum, in baccalarium fr. Thomam de Fivizano, in magistrum studii fr. Hieronymum de Tricasio (4); in studentes fr. Thomam de Monteleone, fr. Ioannem Baptistam de Montealto, fr. Marcum de Torpia, fr. Vincentium Confitellam, fr. Franciscum Formosa Siracusanum.

Conventui Perusino damus in regentem pro primo anno fr. Alexandrum de Castello (5) magistrum, pro secundo fr. Eustachium de Lesina (4) magistrum, pro tertio fr. Vincentium de Florentia (4) magistrum; in baccalarium pro primo anno fr. Dominicum de Calio, in magistrum studii fr. Gabrielem de Theate; in baccalarium pro secundo anno fr. Dominicum de Calio, in biblicum fr. Gabrielem de Theate, in magistrum studii fr. Gabrielem de Padua, in baccalarium pro tertio anno fr. Gabrielem de Theate, in biblicum fr. Gabrielem de Padua, in magistrum studii, quem voluit reverendissimus.

Conventui sanctae Mariae Novellae de Florentia damus in regentem

(1) De fr. Benedicto de Utino et Petro de Rechaneto cf. supra pag. 230, 227.
(2) De fr. Nicolao de Martina (Marina) cf. l. c. pag. 214.
(3) De fr. Francisco de Genua cf. l. c. pag. 208.
(4) De fr. Sixto de Venetiis, Augustino de Mediolano, Hieronymo de Tricasio, Eustachio de Lesina, Vincentio de Florentia cf. l. c. pag. 209, 232.
(5) De fr. Alexandro de Castello cf. l. c. pag. 217.

pro primo anno fr. Archangelum de Florentia (1) magistrum, pro secundo fr. Leonardum de Utino magistrum, pro tertio fr. Dominicum de Florentia (2) magistrum ; de aliis officialibus reverendissimus magister providebit. In studentes fr. Mariotum et fr. Ioannem de Florentia. In biblicum pro secundo anno fr. Raymundum de Castello (3) et pro tertio anno baccalarium.

Conventui de Campo regio de Senis in regentem pro primo anno damus fr. Leonardum de Utino magistrum, pro secundo fr. Ugolinum de Cortona (4) magistrum, in baccalarium pro primo anno fr. Romoaldum de Roma, pro magistro studii fr. Raymundum de Castello, si ambo per examinatores sufficientes inventi fuerint ; de aliis officialibus reverendissimus magister providebit; in biblicum fr. Nicolaum de Senis (5), in magistrum studii pro secundo anno fr. Laurentium de Consentia, in baccalarium fr. Hieronymum de Senis, pro tertio anno in regentem magistrum Leonardum de Utino, in biblicum fr. Laurentium de Consentia.

Conventui Salmantino provinciae Hispaniae ad legendum sententias pro primo anno damus fr. Martinum de Alchiza, pro secundo fr. Antonium Spizar.

Conventui Valisolitano pro primo anno ad sententias legendum fr. Thomam de Gusman, pro secundo anno fr. Damianum de Temigno, pro tertio fr. Bartholomaeum Ruiz.

Conventui Abulensi pro primo anno ad legendum sententias fr. Dominicum de sancta Cruce, pro secundo fr. Ioannem de Artiga, pro tertio fr. Ioannem de Ochoa ; de aliis officialibus horum studiorum committitur provisio facienda reverendo provinciali ac diffinitoribus capituli Hispaniae proxime celebrandi, ut nominent, deinde examinent per magistrum Franciscum de Victoria (6), magistrum Didacum de sancto Petro, magistrum Didacum de Astudillo (7), et si inventi fuerint sufficientes secundum tenorem nostrarum constitutionum, illos sic examinatos rigorose exponimus ad legendum sententias pro gradu et forma magisterii.

Conventui sancti Dominici de Neapoli damus in regentem pro tribus annis, quem designaverit reverendissimus magister ordinis ; in baccalarium pro primo anno fr. Petrum de Severino, pro secundo fr. Thomam

---

(1) De fr. Archangelo de Florentia cf. l. c. pag. 150.
(2) De fr. Dominico de Florentia cf. l. c. pag. 232.
(3) De fr. Raymundo de Castello cf. l. c. pag. 210.
(4) De fr. Ugolino de Cortona cf. l. c. pag. 232.
(5) De fr. Nicolao de Senis cf. l. c. pag. 211.
(6) De fr. Francisco de Victoria cf. l. c. pag. 149.
(7) De fr. Didaco de Astudillo cf. l. c. pag. 230.

Litium de Neapoli (1), pro tertio fr. Matthaeum de Cassano (2), quem pro secundo et tertio anno in baccalarium extraordinarium licentiamus. In magistrum studii pro primo anno fr. Pomponium de Pabulo, pro secundo fr. Antonium de Neapoli (2), pro tertio fr. Salvatorem de Anversa (2), dummodo inventi fuerint sufficientes per reverendum magistrum Aloysium de Catanea (3) provincialem Trinacriae ac magistrum Vithum de Mathera (3), quibus praecipimus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae, quatenus secundum conscientiam suam, postquam eos examinaverint, admittant ipsos vel reiiciant.

Conventui Cracoviensi assignamus in studentem generalem fr. Alexium Cracoviensem pro primo et secundo anno et pro tertio damus eum in magistrum studentium.

Conventui Budensi de regente ac ceteris officialibus providebit reverendus provincialis cum diffinitoribus capituli provinciae de personis iam graduatis.

Conventui Bituricensi et Andegavensi provisionem dictorum conventuum committimus reverendo provinciali et diffinitoribus capituli provinciae, ut provideant de fratribus provinciae tantum.

Conventui Montispessulani damus in regentem pro primo anno magistrum Ioannem Cambonis (4) provincialem, pro secundo anno magistrum Antonium Eraudi (5), pro tertio magistrum Firminum Podentis (6); ad legendum sententias pro gradu et forma magisterii pro primo anno fr. Iulianum Semate, pro secundo fr. Crispinum Olerii, pro tertio fr. Blasium Mirabelli.

Conventui Aquensi damus in regentem pro primo anno fr. Iacobum Armandi (7) magistrum, pro tertio fr. Guilelmum Loge (8) magistrum. Ad legendum sententias pro primo anno fr. Cristophorum Poresi, pro secundo anno fr. Ioannem Pechi usque ad praesentaturam inclusive, pro tertio fr. Stephanum Ruphi.

Conventui Barchinonensi damus in regentem pro primo anno et tertio magistrum Gasparem Stephani (9), pro secundo magistrum Ludovi-

(1) De fr. Thoma Litio de Neapoli cf. l. c. pag. 210.

(2) De fr. Matthaeo de Cassano, Antonio de Neapoli, Salvatore de Anversa cf. l. c. pag. 211.

(3) De fr. Aloysio de Cathanea et fr. Vito de Mathera cf. l. c. pag. 217, 232.

(4) De fr. Ioanne Cambonis cf. l. c. pag. 194.

(5) De fr. Antonio Eraudi cf. l. c. pag. 231.

(6) De fr. Firmino Podentis cf. l. c.

(7) De fr. Iacobo Armandi cf. l. c. pag. 189.

(8) De fr. Guilelmo Loge cf. l. c. pag. 231.

(9) De fr. Gaspare Stephani cf. l. c. pag. 88.

cum Castellioli (1); de aliis officialibus providebit reverendus provincialis cum diffinitoribus capituli, qui dabunt eis examinatores, qui examinent eos secundum tenorem nostrarum constitutionum et admittant admittendos.

Conventui Perpiniani damus in regentem pro primo anno fr. Raphaelem Moneri (2) magistrum, pro secundo fr. Franciscum Serra magistrum; ad legendum sententias fr. Christophorum Peres, dummodo inventus fuerit sufficiens per examinatores.

Conventui Oscae damus in regentem pro primo anno fr. Gasparem Augustini magistrum, pro secundo fr. Ioannem Martines (3) magistrum, pro tertio fr. Michaelem Moyvella (4) magistrum; ad legendum sententias fr. Martinum Yvagnes, si fuerit inventus sufficiens per examinatores.

Conventui Ilerdensi damus in regentem pro tribus annis fr. Melchiorem Pou (5) magistrum, vicarium generalem congregationis Aragoniae.

Conventui sancti Thomae de Papia damus in regentem pro tribus annis fr. Ioannem de Saviliano (5), in baccalarium fr. Hieronymum de Yporegia (6), in biblicum fr. Theodorum de Papia, in magistrum studii fr. Ypolitum de Genua (7), pro secundo anno in baccalarium fr. Theodorum de Papia, in biblicum fr. Yppolitum de Genua, in magistrum studii fr. Cyprianum Loriam de Bugella; pro tertio anno in baccalarium fr. Ypolitum de Genua, in magistrum studii fr. Benedictum de Taurino, in baccalarium extraordinarium Gratiadeum de Ast, quos omnes admittimus ad dictos gradus, si inventi fuerint sufficientes per examinatores dandos a reverendissimo magistro ordinis.

Conventui Taurinensi in regentem pro primo anno damus fr. Thomam Iacomellum Fidelem de Saviliano (8), in biblicum fr. Iacobum de Vercellis, in magistrum studentium fr. Petrum Andream de Alexandria; pro secundo et tertio anno in regentem magistrum Hieronymum Rachis, in baccalarium fr. Iacobum de Vercellis, pro secundo anno in biblicum fr. Petrum Andream de Alexandria, pro tertio anno in baccalarium fr. Petrum Andream de Alexandria, in baccalarios extraordinarios fr.Ciprianum Loriam et fr. Archangelum de Salutiis; omnes isti examinabuntur ab examinatoribus dandis a reverendissimo magistro ordinis, ex-

(1) De fr. Ludovico Castellioli (Castagnoli) cf. l. c. pag. 212.
(2) De fr. Raphaele Moneri cf. l. c.
(3) De fr. Ioanne Martinez cf. l. c. pag. 144.
(4) De fr. Michaele Moyvella (Mayvella) cf. l. c. pag. 205.
(5) De fr. Melchiore Pou, fr. Ioanne de Saviliano cf. supra pag. 212.
(6) De fr. Hieronymo de Hyporegia cf. l. c. pag. 213.
(7) De fr. Hippolyto de Genua cf. l. c. pag. 212.
(8) De fr. Thoma Iacomello cf. SSOP. II, 208.

cepto reverendo magistro Hieronymo Rachis, et si inventi fuerint sufficientes, admittentur ad dictos gradus. In studentem honoris fr. Benedictum de Thaurino.

Conventui sancti Eustorgii de Mediolano in regentem damus pro tribus annis magistrum Melchiorem de Mediolano, in baccalarium pro duobus annis fr. Hieronymum de Burlasina, in magistrum studii fr. Augustinum de Bugella, pro tertio anno in baccalarium fr. Petrum Andream de Vercellis, in baccalarium extraordinarium fr. Ioannem de Terdona; qui omnes examinabuntur per examinatores dandos a reverendissimo magistro ordinis et admittentur ad dictos gradus, si inventi fuerint sufficientes, excepto magistro Melchiore de Mediolano.

Conventui Panhormitano damus in regentem pro primo anno fr. Thomam Garsiam (1) magistrum, in baccalarium pro gradu et forma magisterii fr. Michaelem de Mirto (2), in extraordinarium eodem modo fr. Petrum Carolum, in biblicum fr. Cosmam della Medica, in magistrum studii fr. Hieronymum de Randazio; pro secundo anno in regentem fr. Thomam Fasellum (2) magistrum, in baccalarium pro gradu et forma magisterii fr. Cosmam della Medica, in biblicum fr. Hieronymum de Randacio, in magistrum studii pro secundo et tertio anno fr. Thomam de Castania; in regentem pro tertio anno fr. Salvatorem Magnavaca (3) magistrum, in baccalarium pro gradu et forma magisterii fr. Hieronymum de Randacio, in biblicum, quem dederit reverendissimus magister ordinis. Omnes isti subibunt examen reverendi patris magistri Aloysii de Catanea (4) et trium suprascriptorum regentium, praecipiendo dictis examinatoribus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae, ut non admittant, nisi iudicaverint esse illos sufficientes secundum tenorem nostrarum constitutionum. In studentem fr. Thomam de Castania.

Conventui Cordubensi damus in regentem pro tribus annis fr. Michaelem de Archos (5), in baccalarium pro duobus annis fr. Augustinum de Suarota, pro tertio fr. Petrum de Contrecis; pro tribus annis in magistrum studii fr. Ferdinandum Saverarra.

Conventui Hispalensi in regentem pro tribus annis fr. Dominicum Mergaret baccalarium, quem licentiamus ad magisterium, in baccalarium pro duobus annis fr. Vincentium Calvo, pro tertio anno fr. Alvarum Mergaret, in magistrum studii fr. Augustinum de sancto Thoma.

Conventui Granatensi in regentem pro tribus annis assignamus

(1) De fr. Thoma Garsia cf. supra pag. 230.
(2) De fr. Michaele de Mirto et fr. Thoma Fasello (Fuscello) cf. l. c. pag. 213.
(3) De fr. Salvatore Magnavaca cf. l. c. pag. 230.
(4) De fr. Aloysio de Catanea cf. l. c. pag. 238.
(5) De fr. Michaele de Archos cf. l. c. pag. 232.

fr. Antonium Criato (1) magistrum, in baccalarium pro duobus annis fr. Alphonsum de Montufaro, pro tertio fr. Thomam Hatisli, in magistrum studentium fr. Petrum de Contreras.

Pro collegio sancti Thomae Hispallensi in regentem pro tribus annis damus fr. Dominicum de Paraga (2) magistrum, in baccalarium per duos annos fr. Alphonsum de Galiego, pro tertio anno fr. Antonium de Paredes, in magistrum studentium pro tribus annis fr. Ioannem de Ascona. His et aliis officialibus non graduatis huiusce provinciae deputantur examinatores reverendi patres magistri videlicet fr. Dominicus de Par[a]ga, fr. Michael de Archos, fr. Antonius Schriadus, quibus praescribitur in virtute spiritus sancti et sancte obedientiae, ut rigorose examinatos admittant secundum tenorem nostrarum constitutionum.

Conventui Lovaniensi assignamus in regentem fr. Matthaeum Priensem de Buscoducis magistrum, in magistrum studentium pro primo anno fr. Gotifredum Striorii (3) baccalarium, pro secundo fr. Ioannem Bech (3) baccalarium, pro tertio providebit reverendus provincialis de sufficienti secundum tenorem nostrarum constitutionum. In lectorem artium pro primo anno fr. Ioachim de Quercu, pro secundo fr. Henricum Bosch (4). In studentes theologiae fr. Andream de Calcar, fr. Adam Pau, fr. Gualterum de Mera, fr. Dionisium de Norebech, fr. Cornelium Evoeram, fr. Leonardum de Dalem (5), fr. Petrum Leand, fr. Ioannem de sancto Tordone, fr. Gulielmum de sancto Odomaro, fr. Iacobum Arpoli, fr. Iacobum de Sarto, fr. Ioannem de Savelporel, fr. Antonium Gortui, fr. Antonium Zils, fr. Theodoricum Gremer, fr. Hermanum de Salacher.

Conventui Consentino de officialibus reverendissimus magister providebit.

Conventui Andreensi Apuliae de officialibus providebit reverendissimus magister.

Absolutiones.

Absolvimus reverendum patrem fr. Lucam de Spalato (6) provincialem Dalmatiae et instituimus ipsum vicarium provinciae et electionis futuri provincialis cum auctoritate, quam habent provinciales in suis provinciis, quousque reverendus provincialis confirmatus et praesens fuerit in provincia, dantes ei primam vocem in electione.

---

(1) De fr. Antonio Criato (Criado, Schriado) cf. l. c. pag. 191.
(2) De fr. Dominico de Paraga cf. l. c. pag. 151.
(3) De fr. Godfrido Strirorii et fr. Ioanne Bech cf. l. c. pag. 231.
(4) De fr. Henrico Bosch cf. l. c. pag. 213.
(5) De fr. Leonardo de Dalem cf. SSOP. II, 200.
(6) De fr. Luca de Spalato cf. supra pag. 217.

Assignamus magistrum Franciscum a Gratiis (1) Venetum in conventu Ravennae, et quia dubium est, ne de facili velit accedere ad dictum conventum Ravennae, praecipimus ei in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae ac sub poena gravioris culpae, quatenus a notitia praesentium infra octo dies debet iter arripuisse versus memoratum conventum.

Condemnationes.

Committimus reverendo provinciali Siciliae, quod omnes praedicatores Siculos, qui praedicaverunt bullas sanctae Mariae Mercedis et quascumque alias in Calabria et in Sicilia, declaret primo eos esse excommunicatos et ipsos puniat poena gravioris culpae, privetque mox illos lucro acquisito ex bullis applicandoque conventibus pauperioribus provinciae Trinacriae secundum iudicium diffinitorum capituli praefatae provinciae Trinacriae.

Commissiones.

Committimus reverendissimo magistro ordinis omnem nostram auctoritatem et facultatem addendi et minuendi, mutandi et dispensandi et breviter omnia et singula [faciendi], quae generale capitulum potest, etiamsi talia forent, quae mandatum exigerent magis speciale, volentes, quod simplici verbo eius credatur.

Committimus et concedimus singulis huius capituli reverendis provincialibus et diffinitoribus praesentibus, quod quilibet possit facere duos iubiliarios in sua provincia alias idoneos et aetatis quinquaginta annorum et recipiendi unum apostatam in suis provinciis et restituendi ad gratias ordinis cum suis litteris testimonialibus.

Suffragia pro vivis.

In primis pro sanctissimo domino nostro domino Clemente papa VII nostri ordinis affectuosissimo, qui pro generali capitulo opulentissimam dedit elemosinam, quilibet sacerdos dicat missas decem, clerici et layci psalmos graduales et triginta pater noster decies, et pro eius sanctitate et felici statu orare non cessent.

Pro reverendissimo domino cardinali sanctorum quatuor, ordinis nostri protectore, qui bonam elemosinam contulit capitulo, quilibet sacerdos unam missam.

Pro reverendissimo cardinali Oxomensi, qui et bonam dedit elemosinam, quilibet sacerdos dicat unam missam.

Pro reverendissimo domino archiepiscopo Capuano, qui uberem dedit elemosinam, quilibet sacerdos dicat unam missam.

Pro omnibus benefactoribus huius capituli quilibet sacerdos unam missam, et nihilominus facimus eos participes omnium bonorum, quae

(1) De fr. Francisco a Gratiis cf. supra pag. 51.

per ordinem nostrum fient, donec in conspectu divinae maiestatis condigne pro eis fuerit satisfactum.

Pro bono statu et reformatione totius ordinis ac pro reverendissimo magistro ordinis et eius societate necnon et pro reverendo procuratore ordinis quilibet sacerdos dicat unam missam, clerici vero et layci psalmos graduales et viginti quinque pater noster semel dicant.

Pro illis, qui per litteras ad beneficia ordinis sunt recepti, quilibet sacerdos dicat unam missam, clerici et layci ut supra.

Suffragia pro defunctis.

In primis pro anima reverendissimi domini cardinalis de Ursinis ex ordine nostro assumpti, qui perpetuam dedit elemosinam capitulo generali ex suo testamento, quilibet sacerdos unam missam, clerici septem psalmos poenitentiales, layci centum pater noster semel dicant.

Pro animabus omnium fratrum et sororum ordinis nostri quilibet sacerdos unam missam, clerici septem psalmos poenitentiales, layci centum pater noster dicant semel.

Pro animabus eorum, qui dum viverent, recepti fuere ad beneficia ordinis per litteras reverendissimi magistri, quilibet sacerdos dicat unam missam, clerici septem psalmos poenitentiales, layci vero centum pater noster et centum Ave Maria.

Sententias iudicum approbamus et eorum auctoritatem durare volumus per totum diem dominicum sequentem inclusive.

Auctoritatem diffinitorum durare volumus per totum diem dominicum sequentem inclusive.

Mandamus acta capituli huius per reverendos provinciales et socios suos seu provinciarum diligenter conscripta et correcta atque sigillo ordinis sigillata ad suas provincias deferri.

Sequens capitulum generale, quod erit provincialium, hinc ad triennium videlicet anno domini ·MDXXXIII· assignamus Avinioni.

Concedit reverendissimus magister ordinis omnibus fratribus et sororibus ordinis et personis tertianis licentiam semel eligendi sibi confessorem, a quo possint absolvi ab omnibus peccatis praeteritis usque ad harum notitiam et dispensari in irregularitatibus et habilitari ad exequutionem officiorum, sicut possent a sua reverendissima paternitate.

Datum Romae etc. ·X· iunii ·MDXXX·

Vidit fr. Franciscus Serra (1) magister et socius rev. vicarii generalis.

---

(1) De fr. Francisco Serra cf. supra pag. 239.

In nomine domini nostri Iesu Christi et beatae virginis Mariae matris eius et beati patris nostri Dominici. Amen.

HAEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS ROMAE CELEBRATI IN CONVENTU SANCTAE MARIAE SUPER MINERVAM IN FESTO PENTHECOSTES DIE DECIMA NONA MAII ANNO DOMINI 1532.

In quo unanimiter electus fuit in magistrum generalem quadragesimum secundum reverendissimus pater frater Ioannes de Fenario (1) provincialis Tholosanus sacrae theologiae doctor, dum esset in Romana curia procurator ordinis et vicarius, diffinientibus communiter reverendis patribus prioribus provincialibus et diffinitoribus provinciarum, videlicet:

fr. Iacobo de sancto Petro magistro provinciali provinciae Hispaniae,
fr. Vitale de Bechanis (2) magistro provinciali provinciae Tholosanae,
fr. Angelo de Faventia (3) provinciali utriusque Lombardiae,
fr. Angelo de Florentia (4) provinciali Romano,
fr. Thoma de Elisio (5) de Neapoli baccalario provinciali Regni,
fr. Marcho de Tarvisio (6) magistro provinciali Graeciae,
fr. Dominico de Montemajori magistro provinciali provinciae Aragoniae,
fr. Bartholomaeo Pisano (7) magistro provinciali Terrae sanctae,
fr. Antonio Heraudi (8) magistro provinciali provinciae Provinciae,
fr. Augustino de Cozciza provinciali Dalmatiae,
fr. Sebastiano Constantino (9) provinciali provinciae Trinacriae,
fr. Vincentio Ortiz (10) provinciali Bethicae,
fr. Guillermo Altensi (11) provinciali inferioris Germaniae,
fr. Antonio Caramanico (12) provinciali sancti Thomae.

---

(1) De fr. Ioanne de Fenario cf. l. c. pag. 217.
(2) De fr. Vitale de Bechanis cf. l. c. pag. 216.
(3) De fr. Angelo de Faventia cf. l. c. pag. 150.
(4) De fr. Angelo de Florentia cf. Masetti l. c. pag. 40 sqq.
(5) De fr. Thoma de Elisio cf. SSOP. II, 212.
(6) De fr. Marco de Tarvisio cf. supra pag. 145.
(7) De fr. Bartholomaeo Pisano cf. l. c. pag. 235.
(8) De fr. Antonio Heraudi cf. l. c. pag. 238.
(9) De fr. Sebastiano Constantino cf. l. c. pag. 145.
(10) De fr. Vincentio Ortiz cf. l. c. pag. 217.
(11) De fr. Guilelmo de Alten cf. l. c. pag. 231.
(12) De fr. Antonio Caramanico cf. l. c. pag. 217.

Diffinitoribus vero:

fr. Vincentio Hispano de Mancanedo (1) diffinitore provinciae Hispaniae,
fr. Bernardo de Luchato magistro diffinitore Tholosano,
fr. Guillermo Caonis magistro diffinitore Franciae,
fr. Stefano Foscararii diffinitore utriusque Lombardiae,
fr. Michelotio de Florentia (2) diffinitore Romano,
fr. Sebastiano de Montillas (3) magistro diffinitore Regni,
fr. Ludovico de Castilloli (4) magistro diffinitore provinciae Aragoniae,
fr. Ludovico de Thesauro (5) magistro diffinitore provinciae Trinacliae,
fr. Ioanne Vereni magistro diffinitore provinciae Provinciae,
fr. Tuschachio de Lesme diffinitore Dalmatiae,
fr. Alvaro de Abero diffinitore Portugaliae,
fr. Dominico Melgarejo (6) magistro diffinitore Bethicae,
fr. Gibrando Ordonii diffinitore inferioris Germaniae,
fr. Francisco Caramanico (7) diffinitore sancti Thomae.

Epistola magistri ordinis praedicatorum directa omnibus patribus et fratribus ordinis:

Frater Ioannes de Fenario Tholosanus, conventus Morlanensis, sacrae theologiae professor ac totius ordinis praedicatorum generalis magister et servus, universis patribus et fratribus eiusdem ordinis in eo, qui in mentibus producit salutem et spiritum gratiae salutaris.

Permissione occultorum iudiciorum dei ad universalis ordinis famulatum assumptus contremisco sentiens onus gigantis humeris formidabile mihi impositum ac praesertim nostra infelici aetate, qua haeresum irruentes tempestates obtenebrantur mentes Christianorum, ordo provinciis mutilatur, profanantur conventus et templa, fratres ipsi praedae impiorum patent, et proh dolor non pauci matrimonia sacrilega attentant et turmatim apostatant desperati.

Verum huius generalis capituli, a quo unanimiter vocatus sum, decorem recogitans scintillatim in communem spem salutis resurgo; nemo quippe provincialis aut diffinitor ad huius capituli conventum accessit,

(1) De fr. Vincentio Mancanedo (Mancenedo) cf. l. c. pag. 70.
(2) De fr. Michelotio de Florentia cf. Masetti l. c. pag. 44. sqq.
(3) De fr. Sebastiano de Montillas (Montellis) cf. supra pag. 205.
(4) De fr. Ludovico Castilloli cf. l. c. pag. 239.
(5) De fr. Ludovico de Thesauro cf. l. c. pag. 230.
(6) De fr. Dominico Melgarejo (Melagareso) cf. l. c. pag. 157.
(7) De fr. Francisco Caramanico cf. l. c. pag. 227.

qui zelo vitae regularis non appareret armatus: diceres ignem penthecostes omnium pectora inflamasse, ut in diversitate linguarum una reformationis ordinis et erectionis studiorum consona voce sententiam praedicarent.

Nunc igitur, fratres optimi, iter vitae aggrediamur ad civitatem millibus angelorum frequentatam, in qua pro momentanea observatione eorum, quae vovimus, a Christo aeternae gloriae coronam percipiemus, cui est gloria, laus et imperium in saecula saeculorum. Amen.

Istae sunt ordinationes.

Ordinamus et praecipientes mandamus omnibus et singulis provincialibus, quatenus in suis provinciis visitando aut alias veram et integram communitatem, sine qua religio nullo modo stare potest, inducant; de victu et vestitu iuxta personarum qualitatem et facultatem conventuum provideri faciant; infirmis maioribus et minoribus debitam curam adhiberi procurent, ne ad hospitalia vel ad domos saecularium confugere habeant, et super hoc negligentes conventuum praesidentes a suis officiis absolvant.

Item ordinamus, quod nulli liceat habere possessiones, redditus aut alia tamquam propria, applicantes talia conventibus, quorum sunt filii; quod si huic nostrae ordinationi favore saecularium aut alia via restiterint, de nostro ordine proiiciantur.

Ordinamus, quod in conventibus, in quibus non est studium, proponatur conclusio brevis de casibus conscientiae in loco publico prò conferentia facienda [et] die immediate sequenti causa exercitii et profectus conveniant omnes sacerdotes.

Istae sunt confirmationes.

Confirmamus, quod de beata Martha hospita Christi fiat officium in provincia Provinciae sub duplici, in ceteris vero iuxta antiquam consuetudinem; et de beata Agnete fiat totum duplex.

Item ad tollendas rebelliones, coniurationes et conspirationes confirmamus prohibitionem factam sub poena gravioris culpae de non recurrendo ad superiores pro amotione suorum praelatorum per viam seu modum coniurationis per signorum manualium mendicationem.

Item confirmamus, quod fratres exempti ab ordine deferant habitum distinctum ab aliis, deferendo habitum scilicet decisum ab utroque latere, et non habeant officium in conventibus nec vocem activam nec passivam. Idem intelligitur de morantibus cum praelatis et principibus.

Item confirmamus, quod fratres non habentes licentiam a reverendissimo vel a suo provinciali vel vicario congregationis vel provinciae non recipiantur in studio nec in provincia aliena seu congregatione, sed remittantur ad suas provincias aut congregationes.

Item quod fratres discurrentes per civitates et castra praedicando bullas a quolibet priore carceri possint mancipari, applicantes omnia bona, quae in manibus eorum fuerint inventa ex tali praedicatione conventui, in quo fuerint carceri mancipati.

Item confirmamus inhibitiones in duobus capitulis factas, ne aliquis libros a se vel ab alio fratre noviter compositos emittat in publicum, non servata forma constitutionis, et specialiter ne impressioni tradat vel tradi faciat absque licentia generalis in scriptis habita.

Item quod nullus frater nostri ordinis ad Romanam curiam accedere audeat sine expressa licentia sui provincialis vel vicarii generalis congregationis vel provinciae, et hoc sub poena carceris.

Item praecipimus in virtute sanctae obedientiae et sub latae excommunicationis poena, quam contrafacientes ipso facto incurrant, quamque una pro trina canonica monitione praemissa ferimus in his scriptis, ne quis conventum a iurisdictione provincialis subtrahere audeat absque summi pontificis vel generalis ordinis auctoritate et assensu.

Istae sunt declarationes.

Quia multitudo iuvenum patrum in provincia Franciae frequenter impedit obedientiam, declaramus, quod nemo fiat deinceps pater consilii nisi quadragenarius, numerusque patrum consilii non excedat numerum duodecim, et solus reverendissimus in hoc dispenset.

Item declaramus, quod qui magistri sunt Parisienses, teneant loca sua in eadem provincia secundum tempus suae lecturae sententiarum, sic quod qui in aliis universitatibus post illos legerunt, ipsos non praecedant.

Declaramus conformiter ad acta capituli praecedentis, quod ubi in constitutionibus dicitur, quod bona relicta per generalem seu procuratorem defunctos media parte pertineat ad conventum originalem et media alia ordini, intelligitur tantum de bonis, quae ad manus suas iam pervenerunt, sed contributiones non exactae a provinciis et equi et mulae cum utensilibus domus et lectisterniis pertineant ad generalem seu procuratorem respective.

Item declaramus, quod nullus baccalarius ordinarius incorporatus teneat locum baccalarii nisi actu legat sententias vel bibliam vel legerit in aliquo studio ordinario, in quo per annum lecturam fecerit solemniter.

Item declaramus, quod capitulum constitutionis de suffragiis mortuorum loquens de suffragio debito a tota provincia diffinitori generalis capituli eunti ad capitulum vel ipso capitulo durante etiam intelligi debet, si contingat eum mori redeundo a capitulo.

Declaramus, quod fratres filii conventuum quondam congregationis

Lombardiae, nunc vero per breve apostolicum provinciae Romanae reformatae, restitutorum, si infra spatium trium mensium ad proprios non fuerint reversi conventus, ut ibi sub obedientia provincialis Romani, sicut et ceteri faciunt, maneant, intelliguntur esse translati de provincia Romana ad provinciam utriusque Lombardiae et propriis privati filiationibus.

Declaramus, quod cum dicitur, studentes alterius provinciae habere vocem, si fuerint per annum in illa provincia, intelligitur, quod fuerit continuatio assignationis et maioris partis unius anni.

Istae sunt denuntiationes.

Denuntiamus, sanctissimum dominum nostrum Clementem papam septimum congregationem Lombardiae extinxisse et erexisse in provinciam utriusque Lombardiae.

Item eundem sanctissimum dominum nostrum extinxisse congregationem olim provinciae Aragoniae ac posuisse sub obedientia provincialis et provinciae reformatae.

Item congregationem olim sancti Marci extinctam et erectam esse in provinciam Romanam reformatam.

Item congregationem olim Calabriae auctoritate capituli praecedentis translatam [in provinciam Calabriae] et (in) provinciam Calabriae nominatam, cuius priorem provincialem instituit reverendissimus generalis Augustinum de Neocastro, cuius provincialatum et eorum, qui pro tempore erunt, ad petitionem provinciae durare volumus sine augmento contributionis generalis, sed tantum procuratori ordinis annuatim ducatos duos de camera contribuat.

Istae sunt admonitiones.

Admonemus provinciales et vicarios generales congregationum, [ut] colligant nomina virorum illustrium et in proximo capitulo futuro in scriptis tradant.

Item admonemus et admonendo praecipimus omnibus prioribus provincialibus et praesidentibus conventuum, [ut] dent operam efficacem, ut qualibet septimana per totum unum diem tam in prandio quam in coena seu collatione faciant legi lectionem de sacris constitutionibus nostris, de rubricis et ordinario, non omittendo praeceptum regulae de ipsa semel in septimana legenda ; et si quos negligentes in hoc invenerint, suis officiis absolvi volumus ; et quae lecta fuerint, faciant praticari.

Istae sunt approbationes.

Approbamus condemnationes factas in capitulo Valentino praesentis anni provinciae Aragoniae de magistro Ioanne Martinez (1) et de fratre Ia-

(1) De fr. Ioanne Martinez cf. supra pag. 239.

cobo Molera (1) praesentato, quos a magisterio et ob omni gradu et voce tam activa quam passiva privamus, eo quod rebelles et inobedientes fuerunt reverendissimo et mandatis summi pontificis et in excommunicationes utriusque pluries inciderunt.

Item approbamus magisteria fr. Dominici de Monte maiori (2) provinciae Aragoniae, fr. Gasparis Perez, fr. Ioannis Izquierdo, et fr. Petri Gallenda (3) eiusdem provinciae Aragoniae.

Item lecturam sententiarum fr. Ioannis Micho (4) pro forma et gradu magisterii, quem licentiamus ad magisterium.

Item approbamus magisterium fr. Dominici de Melgarejo (5) et fr. Alberti de las Casas (6) provinciae Bethicae.

Item approbamus acceptationem, quam fecit reverendus pater fr. Dominicus de Montemaiori magister, provincialis Aragoniae, conventus Tutelensis in prioratum, cum [hoc] ex licentia reverendissimi magistri ordinis fecerit.

Istae sunt acceptationes.

Acceptamus provinciam sanctae Crucis de Insulis seu de Terranova in capitulo praecedenti institutam.

Acceptamus brevia apostolica a sanctissimo domino nostro Clemente septimo quoad institutionem provincialatus provinciae Aragoniae fr. Dominici de Montemaiori et destitutionem fr. Raphaelis Moner (7), et quae facta sunt in reformatione per dictum fr. Dominicum de Montemaiori.

Acceptamus in collegium et studium domum conditam Dertusae provinciae Aragoniae et assignamus ibi in regentem fr. Balthasarem Sorio (8) magistrum.

Item acceptamus conventum sancti Iacobi de Pallaris in collegium et studium, cui damus in regentem fr. Gasparem Stephani (9) magistrum.

Item acceptamus pro provincia Bethicae conventus scilicet sancti Dominici de Baeza et sancti Andreae de Ubeda.

Item acceptamus conventum sancti Elmi in oppido de sancto Sebastiano provinciae Hispaniae.

---

(1) De fr. Iacobo Molera cf. l. c. pag. 231.
(2) De fr. Dominico de Montemaiori cf. l. c. pag. 244.
(3) De fr. Petro Gallenda cf. l. c. pag. 230.
(4) De fr. Ioanne Micho cf. SSOP. II, 154.
(5) De fr. Dominico de Melgarejo cf. supra pag. 245.
(6) De fr. Alberto de las Casas cf. l. c. pag. 178.
(7) De fr. Raphaele Moner cf. l. c. pag. 239.
(8) De fr. Balthasare Sorio cf. l. c. pag. 77.
(9) De fr. Gaspare Stephani cf. l. c. pag. 238.

Item acceptamus in prioratus conventus Montis Albani et de Oriola et committimus provinciali Aragoniae fr. Dominico de Montemaiori, magistro, ut de prioribus provideat.

Acceptamus et approbamus institutionem seu fundationem factam a reverendissimo cardinali Oxomensi de decem fratribus collegiatis electis in conventu Valisoleti et approbamus statuta fundationis firmata brevi apostolico.

Istae sunt licentiae.

Licentiamus ad legendum sententias fr. Didacum de Victoria (1) provinciae Hispaniae.

Item licentiamus fr. Franciscum de Labaie provinciae Bethicae pro forma et gradu magisterii ad lecturam sententiarum.

Item licentiamus ad legendum sententias fr. Petrum Alexandri, Iacobum Fernandi, Bernardum Calbo , dum praesentes fuerint in provincia sua Aragoniae tempore et loco, quibus reverendus provincialis fr. Dominicus de Montemaiori magister disposuerit.

Item licentiamus ad legendum sententias fr. Ioannem de Frias et fr. Gregorium de Moreda provinciae Aragoniae in studio, in quo prior provincialis fr. Dominicus de Montemaiori magister disposuerit.

Istae sunt commissiones.

Item committimus reverendis patribus provincialibus Hispaniae et utriusque Lombardiae et diffinitori Franciae, [ut] exacte disquirant causam et controversiam, quae versatur inter provinciam Tholosanam et congregationem Franciae, videant processum, iudicent et diffiniant cum omnimoda auctoritate iustificandi et condemnandi.

Item committimus reverendo patri Dominico de Montemaiori provinciali provinciae Aragoniae, [ut] regat immediate conventus, quos reformabit vel reformatos invenit scilicet : Ilerdae, Tharraconae, Cervariae, Castellionis Ampuriae , Corporis Christi de Luchent , sancti Matthaei, sancti Onufri, Hontiniensis, Valentini, Xativae, Caesaraugustae, Alcanitii, Gothor, Pamplonae, Stellae, Sangosae, Tutelae, Montis Albani, Oriolae, Tremp, collegii Dertusae et omnes alios conventus , postquam reformati fuerint, vel provincialis, qui erit pro tempore post illum ; conventus vero, qui nondum reformationem acceperunt , regantur per vicarium a se institutum ; monasteria autem reformata monialium regantur per provincialem immediate, caetera vero per vicarium ab eo institutum regantur.

Istae sunt translationes.

---

(1) De fr. Didaco de Victoria cf. supra pag. 120.

Transferimus fr. Christoforum Thaurensem de conventu Metinensi ad conventum Thaurensem.

Transferimus fr. Ioannem Milhade sacerdotem a provincia Tholosana ad provinciam Aragoniae et affiliamus eum in conventu sancti Iacobi de Pallares, cuius affiliationem approbamus.

Item transferimus fr. Petrum de los Angeles a conventu Lapidis fixi provinciae Hispaniae ad conventum Tutelensem provinciae Aragoniae, cui conventui [eum] affiliamus.

Item eidem conventui Tutelensi eiusdem provinciae Aragoniae affiliamus fr. Petrum Martyrem, quem transferimus a quocumque alio conventu ad praedictum conventum Tutelensem.

Item transferimus fr. Ioannem de Mesa ex provincia Hispaniae ad provinciam Bethicae et eum affiliamus in conventu Astragensi.

Istae sunt assignationes.

Conventui Salmanticensi assignamus in regentem pro tribus annis fr. Franciscum de Victoria (1) magistrum, in baccalarium fr. Dominicum de Soto (2), in magistrum studentium fr. Torribidan de Benefil.

Item ibidem constituimus viginti quinque collegiales professos eiusdem conventus et regantur iuxta morem praeteritorum collegialium, quos instituit reverendissimus cardinalis Oxomensis, dum esset generalis.

Conventui Valisoleti assignamus in regentem fr. Antonium de Villegas (3) magistrum, in baccalarium fr. Thomam de Guzman (4), in magistrum studentium fr. Bartholomaeum Ruiz (4).

Conventui Ilerdae provinciae Aragoniae assignamus in regentem fr. Petrum Gallenda (5) magistrum , et conventui de Huesca assignamus fr. Melchiorem Pou (6) magistrum in regentem.

In conventu de Luchent assignamus in regentem fr. Amatorem Espi (6).

Conventui Valentino assignamus in regentem fr. Ludovicum Casteulloli (7) magistrum, in magistrum studentium fr. Christoforum del Castillo.

Conventui Barchinonensi assignamus in regentem fr. Gasparem Perez magistrum.

Conventui Caesaraugustano assignamus in regentem fr. Ioannem Izquierdo magistrum.

---

(1) De fr. Francisco de Victoria cf. l. c. pag. 237.
(2) De fr. Dominico de Soto cf. SSOP. II, 171.
(3) De fr. Antonio de Villegas cf. supra pag. 173.
(4) De fr. Thoma de Guzman et fr. Bartholomaeo Ruiz cf. l. c. pag. 237.
(5) De fr. Petro Gallenda cf. l. c. pag. 249.
(6) Amatore Espi (Spi) cf. l. c. pag. 144.
(7) De fr. Melchiore Pou et Ludovico Casteulloli (Castellioli) cf. l. c. pag. 239.

Conventui Granatensi assignamus in regentem fr. Antonium Criado (1) magistrum pro primo anno, et pro secundo et tertio fr. Dominicum Melgarejo (2) magistrum, praesentis capituli diffinitorem; in baccalarium pro tribus annis fr. Alfonsum Galliego, (3) in magistrum studii pro tribus annis fr. Alfonsum de Montufar (3).

In conventu sancti Thomae Hispalensi in regentem pro tribus annis fr. Dominicum de Parraga (3) magistrum, in baccalarium pro primo anno fr. Ioannem de Ascona (3), pro secundo fr. Thomam de la Verreta, pro tertio fr. Mansium; in magistrum studii pro primo anno fr. Ambrosium Martel, pro secundo fr. Ferdinandum de Sayavedra (4), pro tertio fr. Thomam de Molina.

Assignamus in conventu Cordubensi pro tribus annis fr. Michaelem de Arcos (5) in regentem et in baccalarium pro primo anno fr. Sebastianum de Bargas, cuius sententias approbamus, pro secundo et tertio anno fr. Petrum de Contreras(6), in magistrum studii pro tribus annis fr. Franciscum de la Barca.

In conventu Hispalensi assignamus pro primo anno in regentem fr. Vincentium Calbo (7), pro secundo fr. Antonium Romero baccalarium, pro tertio anno fr. Ieronimum de Vergara (8) baccalarium, cuius lecturam approbamus; in baccalarium pro tribus annis fr. Alvarum Melgarejo; in magistrum studii pro tribus annis fr. Augustinum de Esbarroya (9).

Istae sunt restitutiones.

Restituimus ad beneficia ordinis fr. Ioannem Matarati beneficiatum de conventu Helbe.

Istae sunt revocationes.

Revocamus omnes iubilarios.

Item revocamus a provincia Aragoniae ad provinciam Hispaniae fr. Franciscum de Villaverde, et fr. Christoforum Zamorensem; et ad provinciam Bethicae fr. Thomam de la Fonte et fr. Balthasarum de Heredia, et omnes alios qui et praedictis provinciis Bethicae et Hispaniae sunt in dicta provincia Aragoniae absque licentia reverendi fr. Dominici

(1) De fr. Antonio Criado cf. l. c. pag. 241.
(2) De fr. Dominico Melgarejo cf. l. c. pag. 249.
(3) De fr. Alphonso Galliego, Alphonso de Montufar, Dominico de Paraga, Ioanne de Ascona cf. l. c. pag. 241.
(4) Videtur esse idem ac Ferd. de Saverrara, de quo supra pag. 240.
(5) De fr. Michaele de Arcos cf. l. c.
(6) De fr. Petro de Contreras cf. l. c. pag. 241.
(7) De fr. Vincentio Calbo cf. l. c. pag. 240.
(8) De fr. Hieronymo de Vergara cf. l. c. pag. 150.
(9) De fr. Augustino de Esbarroya cf. SSOP. II, 152.

de Montemaiori, mandantes sub praecepto, ut intra quindecim dies a notitia praesentium revertantur ad suas provincias.

Istae sunt poenitentiae.

Quia fr. Petrus de Accherio provinciae Provinciae conventus Marologii magna et multa commisit scandala, adiudicavimus eum poenae gravioris culpae.

Quia fratres Gulielmus Lemaer et Ioannes Bonaenoctis conventus Duacensis provinciae inferioris Germaniae contra praeceptum reverendissimi magistri ordinis recesserunt a Parisiis ad Bituricas, non redeuntes ad conventum suum nativum iuxta praeceptum eis datum, adiudicamus quemlibet eorum poenae gravioris culpae trimestri, mandantes priori provinciali Franciae et priori Bituricensi pro tempore et cuilibet eorum, ne eosdem sine licentia suorum provincialium retinere aut recipere praesumant sub poena absolutionis a suis officiis, quam ipso facto contraveniendo incurrant.

Istae sunt concessiones.

Concedimus provinciali Aragoniae fr. Dominico de Montemaiori magistro, quod possit revocare fratres de regnis provinciae Aragoniae oriundos a quacumque provincia ad suam provinciam in favorem sanctae reformationis usque ad numerum decem.

Concedimus et committimus reverendissimo magistro ordinis eandem nostram auctoritatem et facultatem addendi, minuendi, mutandi et disponendi et omnia et singula faciendi, quae generale capitulum potest, etsi talia forent, quae mandatum speciale exigerent, volentes, quod simplici eius verbo credatur.

Suffragia pro vivis.

In primis pro sanctissimo domino nostro Clemente papa septimo, qui favore et patrocinio prosequitur ordinem nostrum sacrum et pro capitulo generali opulentissimam largitus est elemosinam bladi, vini et caseorum, quilibet conventus unam missam solemnem et quilibet sacerdos unam missam, clerici psalmos graduales, layci triginta pater noster cum Ave Maria.

Pro reverendissimo cardinali sancti Sixti protectore sacri ordinis nostri, qui multos labores pro eo subiit et fovet sicut gallina pullos.

Pro reverendissimo domino cardinali Oxomensi (1), qui de bonis suis copiose largitus est et sua praesentia capitulum decoravit.

Pro reverendissimo archiepiscopo Capuano, qui pro generali capitulo tradidit centum scuta: pro his quilibet conventus unam missam solemnem et quilibet sacerdos unam missam.

---

(1) Garsia scilicet de Loaysa, de quo supra pag. 178 et 250, 251.

Pro reverendissimo magistro et eius societate, pro procuratore ordinis, pro tranquillo statu ordinis et eius reformatione, et pro illis qui ad beneficia ordinis sunt recepti, quilibet sacerdos unam missam, clerici et layci ut supra.

Suffragia pro defunctis.

Pro anima reverendissimi quondam generalis (1) et pro animabus fratrum et sororum ordinis nostri, pro animabus eorum, qui dum viverent, recepti sunt ad beneficia ordinis per litteras reverendissimi, quilibet conventus unam missam solemnem et quilibet sacerdos unam missam, clerici septem psalmos, laici centum pater noster et totidem Ave Maria.

Sententias iudicum approbamus et eorum auctoritatem durare volumus usque ad sequentem diem dominicum inclusive.

Auctoritatem diffinitorum durare volumus per totum diem dominicum et sequentem inclusive.

Mandamus acta capituli huius per reverendos provinciales seu diffinitores diligenter conscripta et correpta atque sigillo ordinis sigillata ad suas provincias deferri.

Sequens capitulum generale, quod erit diffinitorum, hinc ad triennium assignamus in conventu Lugdunensi congregationis Gallicanae anno scilicet domini milesimo quingentesimo trigesimo quinto.

Concedit reverendissimus magister ordinis fratribus et sororibus universis et personis tertiariis licentiam semel eligendi confessorem, a quo possint absolvi ab omnibus peccatis praeteritis et dispensari in irregularitatibus et habilitari ad executionem officiorum, sicut possent a sua reverendissima paternitate.

Datum Romae anno ·MDXXXII· et die ·XXV· maii.
De Fenario Morlanen.

Locus ✠ sigilli.

---

(1) Pauli scilicet de Butigella, qui obiit Neapoli 10 oct. 1531. (SSOP. II, 77).

In nomine domini nosrri Iesu Christi et beatae Mariae virginis matris eius et beati Dominici patris nostri. Amen.

HAEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS LUGDUNI CELEBRATI IN CONVENTU NOSTRAE DOMINAE DE CONFORT ORDINIS PRAEDICATORUM DIE ·III· IUNII ·M°·D°·XXX°·VI°· IN FESTO PENTECOSTES

Sub reverendissimo patre magistro Ioanne de Fenario (1) generali praedicatorum, diffinitoribus infrascriptis reverendis provinciarum magistris videlicet:

fr. Thoma de sancta Maria (2) magistro diffinitore Hispaniae,
fr. Engrando de Sutura (3) magistro diffinitore Tholosano,
fr. Gulielmo Piatti (4) magistro diffinitore Franciae,
fr. Sebastiano de Montella (5) magistro diffinitore provinciae Regni,
fr. Iacobo Ferran (6) magistro diffinitore Aragoniae,
fr. Iuliano Scematis (7) magistro diffinitore provinciae Provinciae,
fr. Salvatore Magnavacca (8) magistro diffinitore Trinacriae,
fr. Thoma Cabreira magistro diffinitore Portugalliae,
fr. Alphonso Montufar (9) magistro diffinitore Bethicae,
fr. Stephano a Castello bacchalario diffinitore s. Crucis Indiarum.

Epistola generalis ad omnes provincias.

Universis in Christo dilectis patribus provincialibus, prioribus ac ceteris fratribus ordinis praedicatorum fr. Ioannes de Fenario sacrae theologiae professor et humilis dicti ordinis generalis magister et servus salutem et regularitatis instaurationem.

---

(1) De fr. Ioanne de Fenario cf. supra pag. 244.
(2) De fr. Thoma de s. Maria cf. l. c. pag. 230.
(3) De fr. Engrando (Inquerando) de Sutura cf. l. c. pag. 203.
(4) De fr. Guilelmo Piatti cf. SSOP. II, 136.
(5) De fr. Sebastiano de Montella cf. supra pag. 245.
(6) De fr. Iacobo Ferran cf. SSOP. II, 178.
(7) De fr. Iuliano Scematis (Semate) cf. supra pag. 238.
(8) De fr. Salvatore Magnavacca cf. l. c. pag. 240.
(9) De fr. Alphonso Montufar cf. l. c. pag. 252.

Ponite corda vestra in virtute eius et distribuite domos eius, ut enarretis in progenie altera. Mox ut, volente deo, officii mei deplorabilem subii servitutem, nihil ardentius meum incessit animum, reverendi patres fratresque dilecti, quam ut caulas dominici gregis perlustrando iuxta pastoris debitum oves mihi creditas ego ipse personaliter visitarem. Sciebam enim scriptum fore, diligenter agnosce vultum pecoris tui, necnon multa quandoque negligi vel corruere, absente pastore, quae per illius praesentiam reparantur. Sic dominus Iesus circuibat per vicos et castella, sic Paulus confortans fratres perambulabat ecclesias, sic demum praedecessores nostri peregre proficiscentes extremas adiere partes, ut, quos suae curae subditos agnoscebant, sua quoque praesentia in religione solidarent. Fateor nec senectutis meae imbecillitas nec viarum asperitas nec temporum inclementia vel quaecumque discrimina me detinere potuerunt, quominus, quod inspirante deo animo conceperam, re ipsa persolverem. Cupiebam siquidem videre vos fratres ac filios meos, ut aliquid impartirer vobis paternae gratiae ad confirmandos vos et simul consolari in vobis per eam, quae invicem est religio nostra, conversationem vestram inter gentes videndo bonam.

Verum peracta peregrinatione nostra, qua usque in hodiernum diem perambulando ordinem visitavimus, non facile dixerimus, uter accesserit nobis maior gaudii scilicet aut moeroris eventus. Non negamus profecto, quin videndo ordinem nostrum ubique diffusum et nostram familiam, quam in visceribus Iesu Christi super omnia paternaliter et tenerrime semper diligimus, diversis provinciis et domibus applicantes statim exhilarati congavisique fuerimus. Sed certe extrema nostri gaudii luctus et alta suspiria frequentissime occuparunt, cum singillatim visitatione facta apparerent interiora Austri et religionem nostram a decore suo et pristina patrum institutione collapsam saepissime cerneremur. Vidimus enim, quod in multis obedientia remittitur, ditatur paupertas, periclitatur honestas, at quis non scandalizetur, quis non uratur, cum ultra laesam in votis observantiam, statuta patrum, ceremonias sacras, exteriora fratrum exempla videat mala conversatione foedari, et professionem nostram non habentem quondam maculam neque rugam tam scandalose multis in locis degenerare? Ubi enim, ut pauca de multis perstringamus, ubi divini cultus diligentia, divini officii solicitudo, ecclesiarum munditia, missarum ordo? Ubi sacrarum litterarum studia, disputationum exercitia, novitiorum instructio, infirmorum cura? Ubi clausura debita, vagationum inutilium resecatio, hospitalitatis amor, caerimoniarum ac vestium uniformitas, morum regularitatis exemplaritas? Ubi denique antiquus ille patrum nostrorum zelus, quo praedicando, docendo, consulendo, confessiones audiendo suae et proximorum saluti iugiter in-

sistendo tamquam scintillae per mundi huius arundineta discurrebant, scientes, quod, qui ad iustitiam erudiunt plurimos, quasi stellae erunt in perpetuas aeternitates ?

Periit, heu periit color optimus, obscuratum est aurum, dehonestati sunt fere lapides sanctuarii.

Quamobrem quid dicam, fratres, in tanta nostri status exorbitatione ? Tribularer equidem et cum dolore ad inferos canos meos deduceretis, nisi de promptitudine ingenuitatis vestrae et futura conversione optima quaeque mihi promitterem. Confidimus enim nec ullatenus desperamus, quod pastor ille coelestis, volentibus nobis, non retardabit in medio ovium suarum dissipatarum reducere, quod hactenus abiectum erat, sanare quod aegrotum, alligare quod confractum, quod infirmum consolidare, quaerere et salvum facere quod perierat.

Omnibus igitur, quibusnam verbis vos conveniam, fratres mei desideratissimi, quibus obsecrationibus loquar vel hortamentis ? Obsecro, inquam, et moneo : Ponite corda vestra in virtute eius et distribuite domos eius, ut enarretis in progenie altera. Si diligitis decorem domus dei, si vestrae professionis memores reddere cupitis vota, quae vestra labia distinxerunt, ponite, quaeso, corda vestra, affectus et conatus in virtute sanctae religionis, cuius domos distribuite circumamicti varietate gratiarum, sive qui praeest in solicitudine, sive qui docet in doctrina, sive qui exhortatur in exhortando, solicitudine non pigri charitatem fraternitatis diligentes, hospitalitatem sectantes, infirmorum necessitatibus communicantes, orationi instantes, spiritu ferventes, domino servientes. Haec ab apostolis primum, post haec a patribus nostris haereditaria nobis derivatione sunt demandata.

Quae erit igitur infelicitas nostra, charissimi fratres, si viam iustitiae tam dilucide cognoscentes, quin etiam emissis votis profitentes a via iustitiae recesserimus ut rebelles, ut ingrati ? Quae vobis confusio ante tribunal Christi, si condiendis populis deputati, sapientia scilicet et exemplo, ut sal infatuatum proiiciamur foras ?

Vereor, quod absit, ne illud impleatur in nobis, quod suis Corinthiis protestabatur apostolus, si in hac vita tantum sperantes sumus, nec vocationi nostrae firmiter adhaeremus, miserabiliores sumus omnibus hominibus, spectaculum utique et purgamenta facti mundi huius. Sic enim permittit divina iustitia, ut qui ingrati dono religionis existunt, nec temporalis vitae bonis nec gloria fruantur aeterna.

Quapropter expergiscimini, fratres carissimi, quaeso, unusquisque a transgressionibus suis; qui vero sancti sunt, sanctificentur adhuc; tempus enim breve est ; resuscitate, precor, sopitum in vobis religionis amorem, implete vota, statuta servate, nostris etiam monitis ac ordina-

tionibus, si nos laetificare cupitis, obaudite. Quomodo enim fieri poterit, ut aliunde quam ex vobis laetificemur, qui nonnisi quam de vobis tristati sumus?

Denique sic agite, fratres, ut et in novitate vitae ambuletis, et enarretis in progenie altera virtutes eius, qui vos de tenebris vocavit in admirabile sanctae religionis lumen. Enarretis, inquam, in progenie altera post futuris scilicet fratribus vestris, ita sane ut dies diei eructet verbum et cortina cortinam trahat doctrinae fulgore et sanctitatis exemplo. Enarretis demum in progenie altera in ecclesia scilicet saeculari, quae sane debet vestris praedicationibus edoceri, vestra vigilantia custodiri, exemplaritate vestra formari.

Eia, fratres, videmus instare adesseque iam tempora illa periculosa, quibus avertentibus hominibus auditum a veritate et sibi magistros prurientes auribus aggregantibus, iam vulpes multae demoliuntur vineam domini sabaoth, iam latrunculi subintrantes in ovile Christi non cessant mactare et perdere adulterantes verbum dei, habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes, quibus deus huius saeculi excaecavit mentes, ne fulgeat eis illuminatio evangelii, sicut priscis et sanctis patribus semper illuxit.

Vos itaque, dilectissimi fratres, quos dominus vineae et ovilis sui quasi evangelicos canes voluit esse custodes, latratus semper et incessanter edite salutares, ne forte Christus in lupos vindicaturus adveniens, vobis improperet quasi mutis canibus non valentibus latrare et catholicas oves a luporum incursione tutari.

Ipse autem pastor aeternus in pascuis uberrimis, in herbis virentibus, in montibus Israel, nos tandem pascat visione praesentiae suae egredientes et ingredientes dominus Iesus Christus, qui est benedictus in saecula.

Bene valete et pro nobis ac pro societate nostra exorate.

Copia brevis apostolici, quo decernitur, capitulum hoc generale Lugduni celebratum fuisse capitulum diffinitorum non obstante etc.

Paulus papa tertius. Dilecto filio Ioanni de Fenario, magistro generali ordinis fratrum praedicatorum.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. Licet, ut accepimus in capitulo generali anno domini 1532 in domo beatae Mariae super Minervam de Urbe ordinis fratrum praedicatorum ultimo celebrato fuerit, diffinitoribus et provincialibus in eodem capitulo congregatis, concorditer ordinatum, quod et capitulum generale dicti ordinis primo celebrandum ad ipsos diffinitores et omnia in communi capitulo agenda pertineant, et tam constitutiones quam dicti ordinis consuetudo disponant, ut in capitulo generali a patribus inibi congregatis tam constitu-

tiones quam dicti ordinis consuetudines et statuta declarari et promulgari debeant, nihilominus nos a fide dignis informati, quieti et unioni dicti ordinis expedire generale capitulum proxime celebrandum diffinitorum esse, per ipsosque diffinitores universa in eo secundum constitutiones dicti ordinis diffiniri et terminari, volentes quieti et tranquillitati dicti ordinis consulere, generale capitulum primo celebrandum diffinitorum esse, per ipsosque diffinitores et non per provinciales diffiniri et terminari debere, statuimus et ordinamus, irritum et inane, quidquid secus super iis a quocumque quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernentes; non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac dicti ordinis statutis et consuetudinibus etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis; privilegiis quoque, indultis ac litteris apostolicis etiam in formam brevis quomodolibet etiam pluries concessis, confirmatis et innovatis, quibusvis illorum omnium et quarumcumque scripturarum occasione praemissorum quomodolibet confectarum tenores praesentibus pro sufficienter expressis ac de verbo ad verbum in scriptis habentes, hac vice dumtaxat, illis alias in suo robore permansuris, harum serie specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die octava februarii ·MDXXXVI·, pontificatus nostri anno secundo.

Inchoationes quas nihilominus vim ordinationum interim habere volumus.

Inchoamus conformiter ad sacras nostras constitutiones, quod nullus de cetero praesentetur ad legendas sententias per capitula provincialia, nisi prius legerit per tres annos artes et fuerit studens theologiae in aliqua universitate famosa utraque mediocriter doctus. Ante annum vero trigesimum non possit suscipere magisterium. Quod si secus factum fuerit, totum sit irritum et inane.

Item inchoantes ordinamus, quod nullus promotus ad gradus magisterii vel baccalaureatus per viam brevis gaudere possit tali gradu, nisi talis promotio vel assumptio gradus fuerit approbata per generale capitulum, in cuius approbatione exprimatur sic: licet frater N. sit promotus per viam brevis vel extra licentiam ordinis. Declarantes, quod promoti in praesenti capitulo etiam per viam brevis sint et habeantur pro vere promotis per viam ordinis.

Item inchoantes districte inhibemus, quod nullus apostata, cuiuscumque gradus vel conditionis sit, reversus et susceptus a religione possit ante triennium habilitari ad officia ordinis vel gradus executionem.

Innovationes.

Innovamus, quod nullus frater in nostro ordine promoveatur ad or-

dines sacros iuxta nostrarum seriem constitutionum nisi de consensu provincialis, qui neminem habeat promovere, nisi fuerit certificatus de aetate, moribus et grammatica sufficienti et nisi praesentetur a priore et consilio patrum.

Confirmationes.

Confirmamus, quod in nostro ordine nulli sint totaliter ab onere religionis exempti, ita quod sint vel appellentur iubilarii; sed, si qui fuerint impotentes ratione senectutis vel infirmitatis, poterunt a praelatis supportari et discrete tractari.

Ad tollendas rebelliones, coniurationes et conspirationes subditorum contra suos praelatos confirmantes inhibemus sub poena gravioris culpae, quod subditi non audeant recurrere ad suos superiores pro amotione praelati per viam coniurationis, per signorum manualium mendicationem vel per alios modos privatos extra consuetudinem nostrarum constitutionum. Et haec habet tria capitula.

Confirmantes praecipimus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae necnon sub poena absolutionis ab officiis suis omnibus praelatis nostri ordinis, ut ordinationem factam, quae iam habet tria capitula, de incarcerandis fratribus, qui discurrentes praedicant bullas, vel aliter puniendis impraetermisse faciant observari.

Item confirmamus, quod de beata Martha fiat officium in provincia Provinciae sub festo duplici, in ceteris vero locis iuxta antiquam consuetudinem. De beata Agnete fiat ubique totum duplex. Et haec habet tria capitula.

Ordinationes.

Quoniam, sicut nos ipsi cognovimus, per negligentiam visitatorum in nostro ordine maxime declinat regularitas et reformatio retardatur, ordinantes praecipimus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae necnon sub poena absolutionis ab officiis suis omnibus reverendis provincialibus nostri ordinis, quatenus semel in anno infallibiliter per se ipsos vel per alios idoneos patres experientia et zelo religionis instructos visitent omnes conventus et loca suarum provinciarum et, quantum possunt, nostrarum constitutionum observantiam inducant. Specialiter infrascripta capita, in quibus, ut vidimus, valde infirmatur religio, volumus omni conatu inviolabiliter observari:

In primis studeant dicti visitatores, quamprimum fuerint visitandis conventibus applicati, ut totis viribus divino cultui, debitae clausurae et communitati conventus, poenis etiam et praeceptis adhibitis, inexorabiliter reformatio adhibeatur. Quod si secus fecerint, non ut visitatores, sed ut lupi et destructores religionis a generali capitulo vel a reverendissimo generali etiam intra annum a suis officiis indilate removeantur et absolvantur.

Item observent strictissime, ut uniformitas in vestimentis, in celebratione missarum et divinorum officiorum et in cunctis caerimoniis ordinis ubique teneatur, utique a qua decor resultat nostrae religionis.

Item pecuniae privatae, deposita et certi recursus pecuniarum in manibus saecularium nullatenus fratribus permittantur, sed omnia in communitate et sub potestate praelati pro communitate conventus custodiantur.

Item infirmis sine ulla tergiversatione vel excusatione tempestive et diligentissime de socio, de medico, de camera et quibuscumque necessariis etiam cum impignoratione provideatur.

Item restringatur omnino usus lineorum, quem nos praesenti ordinatione omnibus interdicimus, exceptis infirmis, ut habetur constitutio.

Item inutiles vagationes inhibeantur ; quod si itinerari vel domos saecularium adire et in eis manere opus fuerit, numquam nisi cum socio religioso ire et commanere cuiquam liceat.

Item debita instructio adhibeatur novitiis, qui nullibi bini vel terni in eodem lecto cubent, sed si cellas seorsum habere non possunt, singulis singuli lectuli assignentur in una vel pluribus cameris.

Volumus etiam ac mandamus, quod in quolibet conventu sint istae officinae, scilicet hospitium, infirmaria, carcer et calefactorium cum utensilibus requisitis.

Satagant denique visitatores, ut in singulis conventibus pro numero et qualitate fratrum sit aliqua lectio, nec sine exercitio fructuoso assignentur vel maneant fratres.

Ordinamus praeterea, quod nullus praesumatur exemptus a choro tam die quam nocte ratione cuiuscumque officii, gradus vel dignitatis ; poterit nihilominus praelatus cum lectoribus, praedicatoribus et studentibus actu sua officia exercentibus vel aliis legitime impeditis rationabiliter dispensare.

Item ordinantes mandamus, quod diebus festivis, dum pulsantur organa, fratres cantent totum credo et gloria in excelsis vel secum vel cum organis alternatim, et nullatenus permittant totum ab organo decantari. Versiculus vero organi ab uno fratre distincte et intelligibiliter audiente choro dicatur.

Item ordinamus conformiter ad sacras constitutiones, quod quicumque frater nostri ordinis sive praedicando sive legendo sive scribendo aut quomodolibet dictando vel disputando sustinuerit aliquas propositiones suspectas de haeresi maxima Lutherana vel alias propositiones scandalosas et sanctorum doctrinae sive consuetudini ecclesiae repugnantes, etiamsi probabiliter sustineri possent, statim a suo praelato corripiatur et sub clausura custodiatur, donec processus eius per provincialem vel

magistrum ordinis fuerit plene iudicatus. Quod si praelati super hoc negligentes fuerint, ipso facto sint absoluti a suis officiis et privati omni voce activa et passiva.

Ordinamus item, quod cum sacra constitutio caveat, ne quis fiat praedicator generalis, nisi per tres annos audierit theologiam, diffinitores et provinciales in capitulo provinciae suae teneantur per se vel per alios diligenter examinare eum, qui petit fieri praedicator generalis de sufficientia, tempore et loco, quantum scilicet et ubi audierit theologiam; quod si non implevit tempus a constitutionibus taxatum et minus idoneus reperiatur, praesenti statuto illum a promotione prohibemus et promotum de cetero officio privamus.

Item ordinamus, quod cum, quantum possumus, teneamur praeservare ordinem a servitute curiae et aliorum officialium saecularium, quicumque ad nostri ordinis divisionem laborantes appellaverint contra fratres nostros ad curias saeculares vel quomodocumque concursum habuerint ad saeculare iudicium sine scitu et consensu magistri ordinis vel sui provincialis, ipso facto sententiam excommunicationis et privationem omnium gratiarum religionis incurrant, nec per alium quam per generalem restitui possint. Quod item dicimus de confugientibus ad saeculares etiam consanguineos, ut se ab obedientia vel assignatione aut poenitentia iniuncta qualitercumque eximant.

Item ad tollendam omnimodam proprietatem ordinantes praecipimus sub poena excommunicationis latae sententiae, quam contrafacientes incurrant, quamque una pro trina admonitione praemissa ferimus in his scriptis, ne quicumque frater nostri ordinis, cuiuscumque aetatis vel conditionis sit, aut etiam conventus audeat vendere cellas suas, etiam suis sumptibus aptatas, sed dispositioni praelati per omnia, ut decet, cellas et se ipsos committat, revocantes et annullantes super hoc omnem gratiam alias concessam.

Pro provincia Romana.

Committimus reverendo provinciali provinciae Romanae, ut de consilio patrum conventus Perusini habeat providere dictae universitati Perusinae tam de officialibus, scilicet regentibus, bacchalaureis, magistris studentium, biblicis, quam studentibus, prout eorum prudentiae videbitur.

Approbamus magisterium in sacra theologia reverendi patris fr. Francisci de Castilione (1) Romanae provinciae reformatae, provincialis Terrae sanctae.

Approbamus licentiam venerabilis patris fr. Victorini de Florentia

(1) De fr. Francisco de Castilione cf. MASETTI l. c. pag. 46 sqq.

ad legendum sententias pro gradu et forma magisterii inclusive in conventu sanctae Mariae Novellae pro anno praesenti ·xxxvi·

Item approbamus licentiam ad legendum sententias in eodem conventu pro anno ·xxxvii· venerabilis patris fr. Marioti de Florentia (1).

Pro provincia Aragoniae.

Conventui nostro Barchinonensi assignamus in regentem fr. Gasparem Stephanum (2) magistrum, suo accedente consensu ; in lectorem vero fr. Franciscum Olivart magistrum.

Conventui Ilerdensi assignamus in regentem magistrum Melchiorem Pou (3), in lectorem fr. Honofrium Maut (4).

In aliis vero conventibus damus auctoritatem reverendo provinciali Aragoniae, ut sua reverentia possit providere tam de regentibus quam de aliis officialibus.

Approbamus et acceptamus collegia Dertusae et scholae Christi sub omnimoda obedientia reverendi provincialis, ut caeteri conventus sunt.

Approbamus magisterium reverendi provincialis fr. Ioannis Mico (5) provinciae Aragoniae, fr. Iacobi Ferran (6) praesentis capituli diffinitoris, fr. Petri Alexandri (7), fr. Gasparis Soler, fr. Bernardi Calvo (7), fr. Francisci Olivart et fr. Geraldi Domenec.

Item approbamus lecturam sententiarum fr. Bartholomaei de Montragon et fr. Martini de Aianzo.

Licentiamus ad magisterium fr. Gabrielem Alfonsum, fr. Thomam de Guzman (8) et fr. Antonium Hern.

Item licentiamus ad legendum sententias in conventu Valentino fr. Benedictum de sancto Martino, et in conventu de Luchent fr. Ioannem de Melgar, si tamen transferatur ad provinciam Aragoniae.

Statuimus in dicta provincia, quod de apostatis servetur constitutio, et quod si revocantur ad gratias ordinis, non intelligatur, quod habilitentur ad praelaturas nec promoveantur ad gradus.

Approbamus conventionem factam inter conventum Montis Albani provinciae Aragoniae et concilium dictae villae.

Item approbamus et acceptamus donationem factam a domina Mar-

---

(1) De fr. Marioto de Florentia cf. supra pag. 237.
(2) De fr. Gaspare Stephani cf. l. c. pag. 249.
(3) De fr. Melchiore Pou cf. l. c. pag. 251.
(4) De fr. Onuphrio Maut cf. l. c. pag. 235.
(5) De fr. Ioanne Mico cf. l. c. pag. 249.
(6) De fr. Iacobo Ferran cf. l. c. pag. 255.
(7) De fr. Petro Alexandri et fr. Bernardo Calvo cf. l. c. pag. 250.
(8) De fr. Thoma de Guzman cf. l. c. pag. 251.

garita Delordat pro conventu Sedis Urgeli cum pactis et conditionibus positis et ponendis in contractu.

Committimus nostram auctoritatem reverendo provinciali Aragoniae in decernenda et diffinienda causa circa fratres sancti Honufrii et in dispensando cum fratribus illis, ut sibi bene visum fuerit.

Transferimus reverendum patrem fr. Ioannem Mico provincialem Aragoniae a provincia Bethica et incorporamus dictae provinciae Aragoniae et affiliamus eum conventui Caesaraugustano.

Item transferimus fr. Dominicum de Angulo a provincia Bethica ad provinciam Aragoniae, consentiente reverendo provinciali Aragoniae.

Concedimus fr. Balthasari Sorio (1) magistro, ut possit tradere opera sua impressioni, praemissa tamen examinatione per reverendum provincialem vel per idoneos per eundem deputatos.

Remittimus a provincia Aragoniae ad provinciam Hispaniae fr. Hieronymum de Tapia et fr. Thomam de Oriny et fr. Ambrosium de la Cerda.

Item remittimus de eadem ad provinciam Bethicam fr. Dionysium de Mesa.

Concedimus et committimus reverendissimo generali ordinis praedicatorum omnem nostram auctoritatem et facultatem addendi et minuendi, mutandi et dispensandi, omnia et singula faciendi, quae generale capitulum potest, etiamsi talia forent, quae speciale mandatum exigerent, volentes, quod simplici eius verbo credatur.

Suffragia pro vivis benefactoribus.

In primis pro christianissimo rege Gallorum, qui sua gratia nostrum capitulum decoravit et iuvit, dum a secunda feria pentecostes in nostro conventu Lugdunensi pransus est et pinguissimam contulit eleemosinam, quilibet sacerdos dicet unam missam, clerici psalmos graduales, laici ·xxx· pater noster cum totidem Ave Maria.

Item iniungimus communes cunctis orationes pro christianissima regina Gallorum, pro illa etiam familia regis scilicet delphino, germana regis et tota prole regia.

Item pro reverendissimo cardinali Lexoviensi et magno magistro regis, qui eleemosinas contulerunt.

Item pro reverendissimo episcopo Cordubensi, qui pro sustentatione capituli notabilem valde misit eleemosinam.

Item pro dominis nostris Florentinis, quorum eleemosynis non paucis donati sumus et pro multis aliis dominis, qui nostro ordini affecti nobis pro capitulo contribuerunt: pro his omnibus praenominatis et merito

(1) De fr. Balthasare Sorio cf. l. c. pag. 249.

nominandis, quilibet sacerdos unam missam, clerici et laici dicent ut supra; conventus vero quilibet in nostro ordine unam missam solemnem.

Item quilibet conventus nostri ordinis teneatur dicere unam missam pro reverendissimo generali et societate, pro procuratore ordinis, et pro reformatione ac regulari statu nostrae religionis et pro cunctis receptis ad beneficia ordinis, qui maxime eleemosinas contulerunt.

Suffragia pro defunctis.

Pro animabus fratrum et sororum nostri ordinis, pro animabus etiam eorum, qui dum viverent, recepti sunt per litteras generalis ad beneficia ordinis, quilibet conventus unam missam solemnem et quilibet sacerdos unam missam de requiem, clerici vero psalmos poenitentiales, layci vero centum pater noster et totidem Ave Maria dicere teneantur quam primum.

Sententias iudicum approbamus et eorum auctoritatem durare volumus usque ad diem sequentem inclusive.

Auctoritatem diffinitorum durare volumus per totum diem lunae inclusive proxime futurum.

Concedit reverendissimus generalis simul cum reverendis diffinitoribus capituli generalis omnibus fratribus ac sororibus nostri ordinis licentiam, ut semel electo sibi confessore ordinis possint confiteri et absolvi ab eo ab omnibus censuris et irregularitatibus et peccatis et rehabilitari ad executionem officiorum suorum cum plenaria auctoritate generalis, ac si suae reverendissimae paternitati fuissent confessi.

Praecipimus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae omnibus diffinitoribus et sociis capituli huius generalis, ut acta capituli praesentis maxime communia et spectantia sigillatim ad provincias sibi proprias, antequam recedant, redigant in scriptis et secum deferant publicanda provinciis per conventus. Quibus omnibus sub eodem praecepto formali praecipimus, ut sine ulla haesitatione indelate dicta acta habeant recipere et totis viribus executioni mandare.

Concedimus unicuique diffinitori praesentis capituli generalis ex gratia speciali, ut possit unum apostatam ad habitum et gratias ordinis, prout sibi videbitur, recipere.

Capitulum generale proxime futurum, quod erit provincialium, assignamus in provincia Romana reformata in conventu sancti Marci de Florentia, intuitu ac proposito fiendae translationis corporis sancti Antonini, si placebit.

Datum Lugduni die ·x· iunii anno ·MDXXXVI· post prandium in capitulo Lugdunensi.

De Fenario Morlan.

Locus ✠ sigilli.

In nomine domini nostri Iesu Christi
et beatae Mariae virginis et beati patris nostri Dominici.

HAEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS ROMAE CELEBRATI IN CONVENTU SANCTAE MARIAE SUPER MINERVAM IN FESTO PENTECOSTES DIE ·XXV· MAII ANNO DOMINI ·M°·D°·XXXIX°·

Sub reverendissimo patre fratre Augustino Recuperato de Faventia (1), sacrae theologiae professore, in eodem capitulo canonice electo magistro generali, diffinientibus communiter reverendis prioribus provincialibus atque eorum diffinitoribus videlicet :

fr. Nicolao Micheloccio (2) provinciali provinciae Romanae,
fr. Sancto Mantuano provinciali provinciae utriusque Lombardiae,
fr. Stephano Iasio Cassanensi (3) magistro provinciali provinciae Regni,
fr. Aloysio Cathanensi (4) magistro provinciali provinciae Trinacriae,
fr. Martino Polono (5) magistro provinciali provinciae Poloniae,
fr. Archangelo Veneto (6) magistro provinciali provinciae Graeciae,
fr. Ioanne Michoo (7) magistro provinciali provinciae Aragoniae,
fr. Antonio Berandi magistro provinciali provinciae Provinciae,
fr. Francisco Castilionensi (8) magistro provinciali prov. Terrae sanctae,
fr. Alberto Casa (9) magistro provinciali provinciae Bethicae,
fr. Andrea Pinensi provinciali provinciae sancti Thomae,
fr. Petro Francavilla provinciali provinciae Calabriae,
fr. Angelo Iaceto Florentino (10) diffinitore provinciae Romanae,
fr. Ioanne de Victoria (11) magistro diffinitore provinciae Hispaniae,
fr. Gulielmo de Cruce bachalario diffinitore provinciae Tholosanae,

---

(1) De fr. Augustino Recuperato de Faventia cf. SSOP. II, 106.
(2) De fr. Nicolao Michelotio cf. supra pag. 245.
(3) De fr. Stephano Iasio Cassanen. cf. l. c. pag. 210.
(4) De fr. Aloysio Cathanen. cf. l. c. pag. 240.
(5) De fr. Martino Polono cf. SSOP. II, 88.
(6) De fr. Archangelo Veneto cf. supra pag. 236.
(7) De fr. Ioanne Micho cf. l. c. pag. 264.
(8) De fr. Francisco Castilionen. cf. l. c. pag. 262.
(9) De fr. Alberto de las Casas cf. l. c. pag. 249.
(10) De fr. Angelo Iaceto de Florentia cf. l. c. pag. 244.
(11) De fr. Ioanne de Victoria cf. l. c. pag. 88.

fr. Stephano Paris (1) magistro diffinitore provinciae Franciae,
fr. Dominico de Castanedulo (2) diffinitore provinciae Lombardiae,
fr. Matthaeo Cassanensi (3) diffinitore provinciae Regni,
fr. Paulo de Balno magistro diffinitore provinciae Trinacriae,
fr. Paulo Polono diffinitore provinciae Poloniae,
fr. Nicolao Veneto (4) magistro diffinitore provinciae Graeciae,
fr. Melchiore Pou (5) magistro diffinitore provinciae Aragoniae,
fr. Ioanne Fabri (6) diffinitore provinciae Provinciae,
fr. Dominico de Cattaro (7) magistro diffinitore provinciae Dalmatiae,
fr. Vincentio Calvo (8) magistro diffinitore provinciae Bethicae,
fr. Matthia Leonis licentiato diffinitore provinciae Germaniae superioris,
fr. Antonio Caramanico (9) magistro diffinitore provinciae sancti Thomae,
fr. Marco Tropensi (10) magistro diffinitore provinciae Calabriae,
fr. Cornelio Durelandre (11) licentiato diffinitore Germaniae inferioris.

Epistola reverendissimi magistri ordinis ad totum ordinem.

In dei filio sibi charissimis prioribus provincialibus et conventualibus, magistris, patribus et fratribus ac sororibus ordinis praedicatorum fr. Augustinus Recuperatus de Faventia, sacrae theologiae professor ac totius ordinis praedicti humilis generalis magister et servus, salutem et spiritus sancti consolationem ac spiritualem religionis profectum.

Sicut spiritus domini, ubi vult, spirat, ita iam calescentes quorum vult animos sui amoris igne succendit, quo fit, ut nolentes aliquando atque rebelles voluntates cogat ad bonum fervescentesque ad meliora semper accendat.

Hinc meum animum religionisque zelum, quem ab ipsius habitus divi Dominici assumptione retinui, in praesentiarum commovet et impellit, ut velim, si possem, una eademque die totum supra merita mea creditum familiae praedicatorum ordinem ad regularem vitam et omnis

---

(1) De fr. Stephano Paris cf. SSOP. II, 179.
(2) De fr. Dominico Castandedulo cf. l. c. pag. 35.
(3) De fr. Matthaeo Cassanen. cf. supra pag. 238.
(4) De fr. Nicolao Veneto cf. l. c. pag. 51.
(5) De fr. Melchiore Pou cf. l. c. pag. 263.
(6) De fr. Ioanne Fabri cf. l. c. pag. 72.
(7) De fr. Dominico de Cattaro cf. l. c. pag. 232.
(8) De fr. Vincentio Calvo cf. l. c. pag. 252.
(9) De fr. Antonio Caramanico cf. l. c. pag. 244.
(10) De fr. Marco Tropen. (de Torpia) cf. l. c. pag. 236.
(11) Videtur esse idem ac C. Duvelanda, de quo l. c. pag. 213.

observantiae arctitudinem morumque omnium honestatem ac cunctarum culmina litterarum mea vigilantia et sollicitudine promovere.

Verum quia huic intentioni meae et virium debilitas corporearumque et malarum consuetudinum inolentia, quae iam a quam pluribus annis per totum ordinem ex malitia temporum dissimulata concrevit, mirum in modum contradicere et obstare dignoscitur, omnes vos per viscera Iesu Christi precamur in domino, uti me assiduis orationum suffragiis et vestrae sollicitudinis parte iunctis, tum profecto nihil tam arduum, nil tam difficile affuturum existimo, quod vestris ad deum supplicationibus non sit futurum levissimum.

Talibus igitur RR. PP. VV. praesidiis praemuniti, ecce accingimur ad omnia et quam plurima difficilia tentare aggredimur, non diffidentes optatum nos ac felicissimum finem assecuturos, praestante domino Iesu Christo, qui quod cepit in nobis, sua benignitate perficiat.

Datum Romae apud sanctam Mariam super Minervam die ·xxv· maii ·MDXXXIX·

Istae sunt inchoationes.

In primis inchoamus, quod de beata Caecilia et de beata Agatha fiat festum duplex, cum in populis sint satis solemnia, et habeamus de illis propria officia.

Item inchoamus, quod in missa quatuor doctorum dicatur evangelium « Vos estis sal terrae ».

Istae sunt ordinationes.

In primis ordinamus, quod inquisitores non magistri teneant primum locum post suppriores et bacchalarios in conventibus suis, ubi actualiter exercent officium inquisitionis.

Item intimamus et ordinamus unanimi voto, ne duplicentur ordinationes, quod quilibet provincialis provinciarum vel quilibet vicarius et priores omni conatu faciant observare constitutiones in provinciis et conventibus suis, ut observantia et vita regularis manuteneatur ; hortantes eos, ut invigilent ad reformationem ordinis et ad observationem eorum, quae statuta sunt in constitutionibus.

Istae sunt confirmationes.

In primis confirmamus statutum factum in capitulo Lugduni celebrato sub reverendissimo magistro Ioanne de Fenario (1) de alternatione lecturae artium et sententiarum Parisius tam quoad extraneos, quam quoad intraneos de provincia Franciae scilicet et congregationis Gallicanae. Et quia lectura artium praesente anno iuxta illud statutum extraneo competebat, nec illi data est, ordinamus, quod sequenti anno legat et post

(1) De fr. Ioanne de Fenario cf. supra pag. 255.

eum, qui de provincia est. Et hanc alternationem praecipimus inviolabiliter observari sub poena gravioris culpae et absolutionis a suis officiis ; quas poenas incurrisse eosdem ipso facto per praesentes statuimus.

Confirmamus conformiter ad constitutiones et ad acta capituli generalis novissime Lugduni celebrati, ne aliquis invadat terminos alterius conventus et praedicet quaestuando sine licentia praesidentis illius loci; et hoc sub poena privationis bonorum sic acquisitorum.

Confirmamus conformiter ad acta capituli generalis Lugduni celebrati, quod non promoveantur Parisius nec alibi filii provinciarum et praesertim provinciae Franciae, nisi praesententur per patrem provincialem suum et capitulum provinciale.

Confirmamus translationem factam a reverendissimo magistro Ioanne de Fenario de fratribus translatis a provincia Hispaniae ad provinciam Portugalliae pro reformatione fienda illius provinciae et eos ex nunc in illa provincia Portugalliae assignamus ; declarantes praedictos fratres sic translatos habere illico in praedicta provincia vocem activam et passivam, licet per annum continuum non steterint in aliquo uno conventu illius provinciae, sicut et ceteri fratres illius provinciae, si habeant quatuor annos a sua professione et in sacris fuerint constituti ; quos etiam volumus frui omnibus gratiis et privilegiis, quibus fratres illius provinciae fruuntur, non obstante quod, postquam fuerunt assignati in eadem provincia per aliquod tempus, fuerint absentes ex aliqua obedientia praelatorum, et quod possint ad gradus quoscumque promoveri sicut et ceteri fratres.

Confirmamus inchoationem factam in capitulo Lugduni nuper celebrato per reverendissimum magistrum Ioannem de Fenario, videlicet quod ante trigesimum annum nullus promoveatur ad magisterium nec licentietur per reverendissimum generalem nec per provinciam suam, nisi expleverit trigesimum annum aetatis suae, et nihilominus servetur constitutio de magistrandis et promovendis ad bacchalariatum pro forma et gradu magisterii ad unguem ; alioquin nullo modo in provincia aliqua acceptentur pro magistris. Et haec confirmatio de aetate triginta annorum habet duo capitula generalia.

Confirmamus ordinationem factam in capitulo Lugduni celebrato sub eodem reverendissimo magistro Ioanne de Fenario de capitulo provinciali celebrando post annum in provincia Hispaniae et Bethicae, videlicet quod possit differri per annum aut eo amplius, ita quod ante electionem futuri provincialis non sit nisi unum capitulum. Et hoc intelligimus posse fieri in omnibus provinciis similiter.

Confirmamus constitutionem factam per tria capitula generalia videlicet ubi dicitur, quod ad tollendas rebelliones, coniurationes et con-

spirationes subditorum contra suos praelatos, confirmantes ibidem sub poena gravioris culpae, quod subditi non audeant recurrere ad suos superiores pro amotione praelati per viam coniurationis, per signorum manualium mendicitatem vel per alios modos privatos extra consuetudinem nostrarum constitutionum. Et haec habet tria capitula.

Addentes et declarantes, quod subscriptiones litterarum et consensus fratrum non possint fieri a conventibus, nisi patres et fratres subscribentes et consentientes sint insimul congregati in aliquo uno loco; et hoc idem dicimus de patribus provinciae subscribentibus se vel consentientibus in aliquibus litteris provinciam concernentibus; et quod videatur et sciatur, quae in litteris continentur et scribentur, et hoc sub poena gravioris culpae, ut in ista ordinatione inhibetur, quae iam est constitutio, ex quo habet tria capitula. Declarantes et determinantes, omnia quae in contrarium fient, esse irrita et invalida et nullius roboris vel momenti.

Confirmamus et approbamus servandam ordinationem factam in aliis praecedentibus capitulis generalibus et confirmatam in capitulo celebrato Vallisoleti videlicet anno domini ·MDXXIII°· et ex tunc facta est constitutio, de diffinitore et socio generalis vel electoribus magistri ordinis, quae talis est: Diffinitor capituli generalis pro tempore proxime futuri ante ultimum annum electus sit diffinitor, si alius non fuerit postea legitime electus. Idem dicimus de socio illius, quod valeat et sit eodem modo legitimus socius et in anno electionis magistri ordinis sit elector, si non est alius elector electus, et tam diffinitor quam socius habeant litteras testimoniales non tantum a priore provinciali, sed etiam a toto diffinitorio, alias nullo modo admittantur nec ad diffinitionem nec ad electionem magistri ordinis, nisi aliter de iure constiterit. Idem dicimus de diffinitoribus capituli provincialis praecedentibus, qui veniunt ad electionem magistri ordinis.

Istae sunt determinationes seu declarationes.

Determinamus et declaramus, quod contributiones non augeantur in conventu et studio Parisiensi, sed stent consuetudini ante omnia solitae, prout soliti sunt studentes solvere, et quod servetur ordo solitus hucusque servatus circa ordinationem promovendorum.

Item declaramus priorem provincialem provinciae Aragoniae reverendum patrem magistrum Ioannem Micho (1) esse absolutum a provincialatu Aragoniae, eo quod compleverit quatriennium sui provincialatus in eadem provincia; et facimus et instituimus et confirmamus vicarium generalem praefatae provinciae et electionis futuri provincialis tam in

(1) De fr. Ioanne Micho cf. supra pag. 266.

spiritualibus quam temporalibus cum plena potestate, quam habent vicarii generales in sua provincia mortuo vel amoto provinciali, reverendum magistrum fr. Thomam de Guzman (1) provinciae Hispaniae, quousque provincialis provinciae Aragoniae fuerit electus, confirmatus et praesens; mandantes eidem in meritum sanctae obedientiae, [ut] tale onus acceptet et exequatur. Fratribus autem praefatae provinciae omnibus sub (eadem) poena praecipimus, [ut] eidem vicario reverendo generali pareant et obediant uti ipsorum vero et legitimo pastori.

Item determinamus et declaramus quibusdam iustis de causis nostrum animum moventibus, [quod] per praesentes absolvimus fr. Menendum Stremon a provincialatu provinciae Portugalliae et per praesentes ipsum fore absolutum declaramus. Cui provinciae Portugalliae facimus et instituimus reverendum patrem magistrum Hieronymum de Padiglia provinciae Hispaniae generalem vicarium, institutum primo per reverendissimum magistrum ordinis magistrum Ioannem de Fenario et confirmatum a reverendissimo praesenti magistro ordinis magistro Augustino Recuperato de Faventia, dum esset ordinis vicarius generalis. Cui damus plenam potestatem in eadem provincia in temporalibus et spiritualibus tam in capite quam in membris. Quem vicarium facimus generalem in tota provincia tam praesidentiae (?) quam electionis futuri provincialis, ita quod sedeat in banco et recipiat vota habeatque primam vocem in electione. Quae electio provincialis non celebretur, quousque ad reverendum praefatum vicarium litterae aliae a reverendissimo generali magistro ordinis (non) devenerint. Praecipientes eidem reverendo vicario magistro Hieronymo, ut hoc onus in meritum sanctae obedientiae suscipiat et aliis fratribus subditis omnibus eiusdem provinciae, cuiuscumque gradus extiterint, ut illi in omnibus secundum deum et religionem obediant, et omnia hucusque facta per illum praefatum vicarium tamquam vera et firma habeantur et observentur.

Item declaramus et determinamus, quod illa consuetudo provinciae Portugalliae, per quam eligantur duo electores in electionem provincialis, non sit secundum tenorem nostrarum constitutionum et eam nolumus observari.

Item ad tollenda scandala honestatemque religionis servandam in Urbe, totius mundi capite, statuimus et ordinamus volumusque quamtocius exequutioni mandari, quod prior conventus Minervae de iudicio reverendissimi magistri ordinis locum quam citius habeat disponere et aptare pro hospitibus acceptandis, omnesque hospites ordinis nostri undecumque advenientes teneantur cum omni charitate recipere et de ne-

(1) De fr. Thoma de Guzman cf. l. c. pag. 263.

cessariis providere. Hospites vero certam portionem taxandam a reverendissimo generali magistro conventui solvere [teneantur]; fratres autem sine licentia et necessitate magna ad Urbem venientes iuxta ordinationem poena carceris irremissibiliter puniantur.

Item approbamus, quod in provincia Ungariae, Provinciae dati non sint priores, nisi forte per compromissum dati essent, et si qui sunt in praesenti alio modo dati a provinciali conventibus illis, declaramus, quod non sint priores, sed de novo eligantur.

Item declaramus cantari Kyrie paschale in dominicis et simplicibus festis in provincia Germaniae inferioris, et in eadem provincia declaramus diem communionis semel in mense, exceptis praecipuis solemnitatibus anni.

Determinamus et stabili statuto promulgamus in his scriptis, quod quilibet provincialis in sua provincia, quando reverendissimus generalis personaliter ad suam provinciam, deo auctore, profectus fuerit vel quomodolibet alias disposuerit, unum vel plures conventus iuxta qualitatem et numerum fratrum suae provinciae deputet, in quibus regula et constitutiones ordinis nostri cum omni vigore ab omnibus illic degentibus observentur ad unguem, nec cum aliquo ibi commorante in carnibus vel aliis vitae regulari repugnantibus quoquo modo aut quovis praetextu vel colore nisi propter actualem dumtaxat infirmitatem dispensari possit. In quibus quidem conventibus et locis nemo cogatur stare invitus nec aliquis nolens a suo retrahatur fervore, nisi quem iam excepti (!) propositi et inceptae observantiae poenituerit. Verum ne fortassis contingat, quod deus avertat, sicut plerumque solet ex maligni spiritus suggestione contingere, ut qui videntur bono spiritu ad meliora accendi, aliquando superbia, ambitione ac aliorum contemptu ad deteriora trahantur, et unde quaerunt meliores fieri, inde inobedientes et suis superioribus efficiantur rebelles, volumus et determinamus et praesenti statuto ordinamus, quod omnes in talibus conventibus degentes in omnibus et per omnia suis provincialibus censeantur subiecti, qui visitare, assignare et removere possit, prout antea consueverant, et omnia alia tam in dictis conventibus quam fratribus facere possint, quae dicto vivendi modo et regulari arctitudini non repugnent. Hortantes in Christo dictos reverendos provinciales, ne sint illis impedimentum fervoris, quibus generali sententia prohibetur, ne spiritus domini in aliquo extinguatur, et fratres ipsos, qui cum tali observantiae arctitudine degunt, paterna charitate monentes, ne ceteros de sua provincia spernant nec alicui detrahant nec aliis meliores se esse existiment, animadvertentes, quod quanto quis perfectior est, tanto debet esse humilior et tanto in omnibus superioribus obedientior, illius exemplo, qui usque ad mortem factus est obediens, ut mor-

tem nostram sua morte destrueret ac in omnibus humilitatem et obedientiam nos doceret. Adiicientes et districte mandantes, ne fratres in talibus sibi deputatis conventibus commorantes quovis modo possint habitum iuxta morem provinciae in suis provinciis deferri consuetum mutare neque possessiones ceteraque immobilia neque pretiosa alienare absque speciali reverendissimi generalis consensu, qui dum visitaverit omnia, quae huiusmodi modum vivendi conducere iudicaverit, prout sibi libuerit, ordinavit, cuius prudentiae et sollicitudini cuncta relinquimus, illique, si et quantum opus est, sicut et in ceteris ita et in istis totam diffinitorii auctoritatem impartimur, quatenus sua reverendissima paternitas haec omnia per se vel per alios opportunis temporibus ac remediis ad libitum possit executioni demandare. Cui sicut spiritus sanctus optimam voluntatem contulit, ita bonum rei successum optatumque totius ordinis perfectae reformationis finem rogamus altissimum impartiri dignetur.

Item determinamus et declaramus, quod provinciales, qui ex brevi facti sunt biennales, sint quadriennales, accedente tamen sanctissimi domini nostri et maioris partis capituli provincialis sive suae provinciae consensu, et tunc habeat vim haec determinatio, quando intimabitur reverendissimo generali et ab eodem fuerit approbata. Et si qui sunt et illi qui fuerunt biennales, completo biennio, sint ipso facto absoluti nec possint reassumi, nisi intermediet alius provincialis sive per annum steterit in provincialatu sive per duos aut tres aut quatuor. Declarantes, quod consensus datus a conventus patribus de quadriennali mitti debeat ad reverendissimum generalem, ut per ipsum approbetur. Et quadriennales provinciales et biennalis provincialis absolutus et ceteri subsequentes non possint reelegi ad provincialatum ut supra sive per sex menses sive per annum et plus steterit.

Item determinamus et declaramus, quod priores, qui steterunt per duos annos in conventibus suis, completo biennio sive uno anno, ubi sunt annuales, ipso facto sint absoluti, et in futurum priores conventuales sint triennales, dummodo maior pars fratrum illius conventus consentiat. Qui quidem consensus mittatur ad capitulum provinciale et ibi conferatur super acceptatione vel non acceptatione; et si a maiori parte capituli provincialis fuerit acceptatum, priores illlus conventus sint triennales.

Item determinamus et stabilimus prohibitionem factam contra fratres congregationis Franciae propter conventum Cabuliensem; et de novo praecipimus sub sententia excommunicationis, quod amplius non faciant quaestus.

Declaramus, quod magister reverendissimus auctoritate sibi concessa cum toto diffinitorio creavit magistros infrascriptos in theologia videli-

cet: fr. Hieronimum de Padiglia (1) vicarium generalem provinciae Portugalliae, fr. Thomam de Guzman (2) vicarium generalem provinciae Aragoniae, fr. Theodoricum de Sconhovia (3) provincialem provinciae Germaniae inferioris, fr. Matthiam Leonis (4) diffinitorem provinciae Germaniae superioris, fr. Antonium Romerum (5) bacchalaureum de provincia Betica; quos omnes per praesentes confirmamus et approbamus.

Declaramus, quod studentes missi a reverendis provincialibus provinciarum ad aliquod studium generale intelligantur missi a diffinitoribus provinciarum.

Item declaramus, quod magistri, qui primo fuerunt laureati via iuridica sine dolo in ordine nostro, etiam prius professos, laureatos tamen post praecedant, ita quod non habeatur respectus ad professionem, sed ad coronam acceptam primo iuridice.

Item declaramus in hoc capitulo generali in Urbe celebrato fuisse electum in generalem magistrum ordinis reverendum patrem magistrum fr. Augustinum Recuperatum (6) de Faventia et acceptatum a sanctissimo domino nostro Paulo III. in generalem ordinis nostri, et quatenus opus esset, de novo confirmavit bina vice, semel in capella sancti Petri post missam cantatam coram omnibus cardinalibus, quem repraesentarunt sanctitati suae reverendus pater provincialis utriusque Lombardiae fr. Sanctes de Mantua (6), rev. provincialis provinciae Aragoniae magister Ioannes Michoo (6), rev. provincialis provinciae Poloniae magister Martinus (6), rev. provincialis provinciae Regni magister Stephanus de Cassano (6), rev. magister Antonius Caramanicus (6) diffinitor provinciae sancti Thomae. Secundo praesentatus fuit eidem sanctissimo domino nostro idem rev. pater generalis in palatio sanctitatis suae per rev. patrem magistrum Stephanum de Cassano provincialem provinciae Regni, magistrum Albertum Casa (6) provincialem provinciae Beticae, rev. diffinitorem utriusque Lombardiae fr. Dominicum de Castanedulo (6), rev. diffinitorem provinciae sancti Thomae magistrum Antonium Caramanicum; coram quibus sanctissimus dominus noster papa acceptavit ipsum in generalem ordinis nostri et iterum, quatenus opus esset, ipsum confirmavit et concessit eidem reverendissimo magistro licentiam magistrandi decem fratres

(1) De fr. Hieronymo de Padiglia cf. supra pag. 271.

(2) De fr. Thoma de Guzman cf. l. c.

(3) De fr. Theodorico de Sconhovia cf. l. c. pag. 231.

(4) De fr. Matthia Leonis cf. l. c. pag. 267.

(5) De fr. Antonio Romero cf. l. c. pag. 252.

(6) De fr. Augustino Recuperato, Sancte de Mantua, Ioanne Micoo, Martino Polono, Stephano de Cassano, Antonio Caramanico, Alberto Casa, Dominico de Castanedulo cf. l. c. pag. 266, 267.

ex ordine in sacra theologia, et ad supplicationem rev. patris diffinitoris utriusque Lombardiae supradicti concessit sanctitas sua omnibus fratribus existentibus in capitulo Romae celebrato indulgentiam plenariam.

Item declaramus, quod reverendus procurator ordinis non teneatur satisfacere creditoribus fratribus nostri ordinis, qui dicunt et fatentur, se debere recipere quandam summam pecuniarum a procuratore defuncto fr. Seraphino Bellandini (1), quam illi accomodasse dicunt, dum viveret, et sic liberamus officium procuratoris a tali solutione.

Istae sunt absolutiones.

Absolvimus priorem provincialem provinciae Franciae quia senem, compatientes sibi et laboribus suis et damus in vicarium generalem eidem provinciae et [electionis] futuri provincialis Franciae magistrum Stephanum Paris (2), donec provincialis electus fuerit, confirmatus et praesens.

Absolvimus a poena gravioris culpae in provincia Regni hos fratres videlicet : fr. Albertum de Optato, Ioannem de Tripalta, Thomam Gallutium de Neapoli, Natalem de Rocca Gulielma, Benedictum de Fundis, quem ab omni penitentia iniuncta a superioribus liberamus, et Antonium de Campania, quem postquam perfecerit poenitentiam et non ante et tunc ipsum et omnes alios praedictos ad gratias ordinis restituimus et praesertim ad vocem activam et passivam. Qui si poenitentiam non perfecerit dictae poenae gravioris culpae, ad quam per reverendum provincialem est addictus, ipsum declaramus, non esse absolutum ab ea poena nec restitutum ad gratias ordinis.

Absolvimus ab omni poena, quam incurrerunt, fratres Dionisium Patavum et Thomam seniorem de Liniaco (3), eo quod steterint extra ordinem ipsosque recipimus ad ordinem et in conventibus suis vicariae sancti Dominici ac restituimus ad gratias ordinis et praesertim ad vocem activam et passivam.

Item absolvimus fr. Fredericum de Civitate Vetula (4) ab omni poena, quam incurrit, eo quod extra ordinem steterit et ad ordinem reductus fuerit per saeculares, ipsumque restituimus ad gratiam ordinis.

Item absolvimus a poena gravioris culpae fr. Valentinum de Senis magistrum et ab omni alia poena, quam incurrit Senis et alibi hucusque pro quibusdam litigiis suis factis inter fratres, ipsumque restituimus

---

7) Bellandini] Belo S.

---

(1) Fr. Seraphinus Bellandini procurator generalis ordinis ab anno 1532 ad 1535; Masetti l. c. pag. 96.

(2) De fr. Stephano Paris cf. supra pag. 267.

(3) Videtur esse idem ac Th. de Liniaco, de quo supra pag. 76.

(4) De fr. Frederico de Civitate Vetula cf. l. c. pag. 77.

ad omnes gratias ordinis et potissime ad vocem activam et passivam et finem imponimus litigiis suis.

Isti sunt praedicatores generales.

In primis facimus praedicatores generales in provincia Regni ven. patrem fr. Thomam Caucherum de Aversa et fr. Ludovicum de Neapoli; et in vicaria sancti Dominici fr. Thomam seniorem de Liniaco eiusdem vicariae, et fiant secundum tenorem nostrarum constitutionum, et fr. Petrum Andream de Alexandria (1) bacchalaureum, si provincia eum acceptabit.

In provincia Calabriae facimus praedicatores generales fr. Bernardum de Cotronio et fr. Dominicum de Belveder, servata tamen constitutione de praedicatoribus generalibus doctrinae scilicet et temporis ac maturitatis ; et patrem Benedictum Rosam Venetum et fr. Ioannem Petrum Venetum vicariae sancti Dominici.

Istae sunt commissiones.

Committimus reverendissimo magistro omnem nostram auctoritatem et facultatem addendi et minuendi, mutandi et dispensandi ac breviter omnia et singula faciendi, quae generale capitulum potest, etiam si talia forent, quae mandatum exigerent magis speciale, volentes, quod simplici verbo eius credatur.

Committimus et concedimus singulis huius capituli reverendis provincialibus et diffinitoribus praesentibus, quod possint recipere unum apostatam in suis provinciis et restituendi eos ad gratias ordinis cum suis litteris testimonialibus.

Committimus reverendo priori Coloniensi et priori Aquensi iudicium causae et litis inter fratres Lovanienses et Brucellenses ex una parte et fratres conventus Leodiensis ex altera parte ; qui si non possint concordari, possint eligere tertium patrem pro concordia facienda ; praecipientes eis in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae necnon sub poena gravioris culpae, quam ipso facto declaramus eos incurrisse, nisi infra tres menses a notitia praesentium hanc litem determinent et concludant et quoad principalem et quoad accessorem ; mandamusque praedictorum conventuum litigantium patribus, ut absque ulla appellatione illorum sententiae pareant. Et hoc sub poenis eisdem.

Istae sunt licentiae magistrandorum et baccalaureorum ordinandorum.

Concedimus licentiam fr. Ioanni Clarcauth ad suscipiendum magisterium secundum tenorem constitutionum, filio Lovaniensis conventus provinciae Germaniae inferioris.

---

(1) De fr. Petro Andrea de Alexandria cf. supra pag. 239.

Concedimus licentiam legendi sententias pro forma et gradu magisterii fr. Salvatori de Mineo, fr. Leonardo de Faro in studiis bene visis reverendissimo generali cum conditione et concessione facta ad petitionem provinciae Trinacriae de graduandis et promovendis.

Item concedimus licentiam magistrandi fr. Benedicto de sancto Martino provinciae Aragoniae et fr. Gabrieli Bartholomaeo praesentato licentiam magistrandi.

Item concedimus licentiam magistrandi fr. Georgio de sancto Iacobo (1) Hispano provinciae Portugalliae.

Item concedimus licentiam magistrandi fr. Vito de conventu Craccoviensi post rigorosum examen, cui damus in examinatores magistrum Albertum Taurini (2) regentem studii Cracoviensis et fr. Thomam Szyczowwum (3), quibus mandamus, [ut] servent constitutionem de magistrandis ad unguem.

Item concedimus licentiam fr. Cornelio Arborensi conventus Anthverpiensis priori Anthverpiensis conventus magistrandi.

Item concedimus licentiam magistrandi fr. Petro Martyri de Brixia.

Item concedimus licentiam magistrandi fr. Antonio de Padua expleto suo baccalaureato ordinario et lectura sententiarum Paduae, praemisso rigoroso examine per examinatores illius vicariae secundum tenorem nostrarum constitutionum ad unguem et praesentis capituli de tempore ac servato ordine concesso in vicaria sancti Dominici.

Item concedimus licentiam magistrandi fr. Bernardo de Utino vicario provinciae sancti Dominici.

Item concedimus licentiam magistrandi fr. Bartholomaeo de Miranda (4) praesentato ex collegio Vallisoletano provinciae Hispaniae.

Item concedimus licentiam fr. Ioanni de Guasperra provinciae Tholosanae magistrandi et concedimus licentiam magistrandi post annum a notitia praesentium fr. Antonio de Sarmento provinciae Aragoniae.

Item concedimus licentiam fr. Cipriano de Brigella conventus Mediolani, fr. Vincentio de Fornariis conventus Genuensis, fr. Georgio de Brigella, fr. Augustino de Valdengo vicario provinciae sancti Petri Martyris magistrandi; quibus damus in examinatores reverendum magistrum Baptistam Mediolanum (5) et fr. Vincentium de Occimiana utriusque Lombardiae; quibus mandamus, ut examinent ipsos rigorose ut in consti-

---

(1) De fr. Georgio de s. Iacobo cf. SSOP. II, 139.
(2) De fr. Alberto Taurino cf. supra pag. 205.
(3) De fr. Thoma Szyczowo cf. SSOP. II, 125.
(4) De fr. Bartholomaeo de Miranda (de Carranza) cf. l. c. pag. 236.
(5) De fr. Baptista Mediolano cf. supra pag. 235.

tutionibus, (et) aggravantes conscientias ipsorum circa sufficientiam magistrandi eos.

Item concedimus licentiam magistrandi fr. Vincentio Tarvisino (1) baccalaureo vicario provinciae sancti Dominici secundum tenorem nostrarum constitutionum et ordinationem factam in eadem vicaria petitam a reverendo vicario magistro Ioanne Francisco (2) et sibi concessam a toto diffinitorio, cui damus in examinatores lectorem conventus sancti Dominici de Venetiis et lectorem sancti Petri Martyris de Muriano ac praedicatores eorumdem conventuum, aggravantes conscientias ipsorum.

Item concedimus licentiam magistrandi fr. Thomae de Castello et fr. Laurentio Florentino, ut completo baccalaureatu, praemisso examine secundum nostrarum constitutionum etc.

Item concedimus licentiam magistrandi fr. Petro Civitatis Castelli, ut expleta lectura sententiarum et suo baccalaureatu ordinario in studio Senensi Campi regii seu in alio studio ac praemissa rigorosa examinatione tam baccalaureatus quam magisterii, si fuerit iudicatus sufficiens, possit ad magisterium promoveri.

Item concedimus licentiam fr. Ioanni de Savilla provinciae Hispaniae magistrandi, fr. Maximo de Tarvisio (3) vicario provinciae sancti Dominici eiusdem vicariae, ut expleto cursu sui studii et praemisso rigoroso examine et servata ordinatione praesentis capituli de aetate etc.

Concessiones baccalaureorum.

Concedimus licentiam baccalaureatus ad legendum bibliam in conventu Coloniensi fr. Ioanni Calcar provinciae Germaniae superioris.

Item concedimus licentiam legendi pro gradu et forma magisterii fr. Bernardo de Abbate provinciae Tholosanae, fr. Marco de Reufarto conventus sancti Berontii, fr. Odeto de Pino, fr. Garano de Bario, fr. Bernardo de Fraxino conventus Molinensis, fr. Ioanni Fromapts Appamiarum ad baccalaureatum tantum et fr. Michaeli de Viquen ad baccalaureatum tantum.

Item concedimus licentiam fr. Paulo Sardinio conventus Posnaniensis baccalaureo praesentis capituli diffinitori Poloniae provinciae pro forma et gradu magisterii in studio Cracoviensi, et fratribus Gabrieli conventus Lanicensis, Ludovico Wratislaviensis assumendi gradum baccalaureatus in aliqua universitate, fr. Antonio Bertalti Carpentoracensis conventus in Montepessulano, fr. Hiriquin Loche conventus Aquensis in universitate Aquensi ad legendum sententias pro gradu et forma magisterii et similiter fr. Stephano Muretti in universitate Montispessulani.

(1) De fr. Vincentio Tarvisino cf. supra pag. 236.

(2) De fr. Ioanne Francisco cf. l. c. pag. 155.

(3) De fr. Maximo de Tarvisio cf. l. c. pag. 236.

Item concedimus licentiam legendi sententias pro forma et gradu magisterii in conventu Barcellonae fr. Iacobo Bosca et similiter in conventu Valentino fr. Thomae de los Reies provinciae Aragoniae, fr. Melchiori Percanno ex collegio Vallisoletano, fr. Michaeli de Aratia de Victoria, fr. Martino de Ledesma (1) conventus Salamantini, fr. Francisco de Bobadilla conventus Lapidis fixi et fr. Petro Serrano conventus Abulensis.

Item concedimus licentiam fr. Iacobo Naclanto Florentino (2) ad legendum sententias in conventu Perusino pro forma et gradu magisterii per tres annos videlicet 1539, 1540, 1541.

Item assignamus ad legendum sententias pro forma et gradu magisterii in aliqua universitate famosa provinciae Tholosanae fr. Ioannem de Carrusio et similiter fr. Georgium de Lima provinciae Portugalliae in universitate Bituricensi vel in aliqua universitate famosa, et fr. Theophilum Sculicem Calabrum ad legendum sententias pro forma et gradu magisterii in studio Neapolitano pro praesenti anno 1539 et pro secundo anno 1540.

Item assignamus in conventu Trivisino vicariae sancti Dominici in baccalaureum fr. Petrum Martyrem de Cipro provinciae Terrae sanctae ad legendum sententias pro forma et gradu magisterii, qui examinatus hic in capitulo et approbatus ab examinatoribus generalis capituli.

Et notum facimus nos diffinitores una cum reverendissimo magistro, ut licentiati ad magisterium et baccalaureatum supradicti nullo modo promoveantur, nisi prius fuerint examinati rigoroso examine secundum tenorem nostrarum constitutionum ab examinatoribus in provinciis ipsorum et per saltum non perfecerint cursus suos et iuridice iuxta ordinationem factam de aetate in praesenti capitulo et in universitatibus vel a reverendissimo habente potestatem.

Item concedimus licentiam magistrandi fr. Ioanni Chionis conventus Carpentoracensis, fr. Petro Ruselli conventus Valentiae et fr. Gaspardi [Misonis] conventus Sistarici.

Concedimus licentiam fr. Aurelio de Prierio, fr. Vincentio de Quintiano et Paulo de Cremona provinciae utriusque Lombardiae, ut possint promoveri ad baccalaureatum.

Item concedimus licentiam ad legendum sententias pro forma et gradu magisterii fr. Roderico Muye, fr. Gundesalvo Feruyra, fr. Antonio Freire provinciae Portugalliae.

Istae sunt approbationes.

---

(1) De fr. Martino de Ledesma cf. SSOP. II, 230.

(2) De fr. Iacobo Naclanto cf. l. c. pag. 202.

Approbamus magisteria fr. Iosephi Corrigiae (1) et fratrum Petri Campardi, Simonis Cardetii et Ioannis de Torta provinciae Tholosanae et lecturam sententiarum fratrum Guilelmi de Cruce et Guilelmi Balembido eiusdem provinciae, et fratrum Stephani Rufi (2), Thomae Christiani, Petri Ugonis, Renati Barilerii provinciae Provinciae, et fr. Chrysostomi de Tarento provinciae sancti Thomae, et lecturam sententiarum Ioannis Chionis conventus Carpentoracensis, Petri Ruselli conventus Valentiae, Gaspardi Misonis conventus Cistarici; et magisteria fratrum Bernardi Berardi, Damiani Regis, Claudii Baccineti, et eundem assignamus in regentem provinciae conventus Avinionensis, fr. Petri Martiris (3), Gabrielis de Padua (4) magisteria, et baccalaureatum fr. Ioannis Bernardi de Cherio, et fr. Andreae de Alexandria, si sint legitime per viam ordinis promoti; et magisteria fratrum Dominici de Florentia (5), Raphaelis de Florentia, Vincentii de Tibure, Mariotti Victoris et Zenobii de Florentia (6), Matthaei de Cassano (7), Alberti de Balneolo (8) et Antonii de Neapoli (8), magisterium fr. Andreae de Penna provincialis provinciae sancti Thomae, fratrum Francisci de Ianua et Augustini de Ianua (9) et baccalaureatum fr. Dominici de Taurino et magisterium fr. Gabrielis Alphonsi provinciae Aragoniae et magistri Archangeli Veneti (9) ac magistri Nicolai Veneti diffinitoris Graeciae et magistri Augustini Marsianini de Florentia regentis in studio Perusino, et fr. Petri Pauli Aretini magistri, Antonii de Martina (9) magistri, et Vincentii de Licio magistri, fr. Bartholomaei de Miranda (10) magistri, qui magisterium accepit publica habita licentia a summo pontifice, Gregorii Silvii Todiensis provinciae Franciae in conventu Bituricensi et Ioannis Giaencaut (11) et Petri Divole (11) conventus Antisiodorensis in studio Parisiensi eiusdem provinciae et Marci [de] Tropea Calabri (12).

Approbamus translationem factam per reverendissimum magistrum Ioannem de Fenario fr. Ioannis Fannaquerensis provinciae Portugalliae

(1) De fr. Iosepho de Corrigia cf. supra pag. 235.
(2) De fr. Stephano Rufi cf. l. c. pag. 238.
(3) De fr. Petro Mart. cf. l. c. pag. 251.
(4) De fr. Gabriele de Padua cf. l. c. pag. 236.
(5) De fr. Dominico de Florentia cf. l. c. pag. 237.
(6) De fr. Zenobio [de Medici] de Florentia cf. SSOP. II, 133.
(7) De fr. Matthaeo de Cassano et Antonio de Neapoli cf. supra pag. 238.
(8) De fr. Alberto de Balneolo cf. l. c. pag. 211.
(9) De fr. Augustino de Ianua, Archangelo Veneto, Antonio de Martina cf. l. c. pag. 236.
(10) De fr. Bartholomaeo de Miranda cf. l. c. pag. 277.
(11) De fr. Ioanne Giaencaut (*al.* Guin Curt) et Petro Divole cf. l. c. pag. 235.
(12) De fr. Marco cf. l. c. pag. 267.

ad provinciam Aragoniae et filiationem eiusdem in conventu sanctae Luciae villae Alcanicii.

Approbamus filiationem fr. Francisci Catavide a conventu sancti Matthaei provinciae Aragoniae, fr. Ioannis Navarro pro conventu Xativae, Laurentii Ximenez pro conventu Barchinonae et translationes eorum a suis provinciis ad provinciam Aragoniae.

Approbamus, quod nullus habeatur pro magistro etiam examinatus per examinatores, nisi compleverit gradus suos in aliquo studio et non per saltum, addentes in vicaria provinciae sancti Dominici, qui ultra hoc solus publice cathedram teneat in studio generali Paduae eiusdem vicariae.

Item approbamus, quod conventus Perae, qui est prope Constantinopolim sub nulla provincia, uniatur provinciae Graeciae et subiiciatur provinciali Graeciae, et translationis fr. Ioannis Ganzini factam per reverendissimum generalem de Fenario de congregatione Franciae ad provinciam Provinciae et approbamus etiam conventualitatem factam in conventu Carpentoracensi.

Item approbamus conventualitatem fr. Antonii Alfantis factam a conventu Carpentoracensi.

Item acceptamus et approbamus incorporationem conventus Niciensis provinciae Provinciae congregationi Franciae, et quantum opus est, dictum conventum incorporamus eidem congregationi iuxta breve sanctissimi domini nostri Pauli tertii.

Item approbamus loca Corrigiae, Lugi et Medulae, ut scilicet sint conventus.

Item acceptamus locum Civitatis Vigiliarum, Gravinae, Gratularum et Terrae Altemurae provinciae sancti Thomae, et quod fiant conventus et priores habeant. Et in provincia Aragoniae acceptamus domum sanctae Annae Vallis de Albaida, ut possit fieri conventus ordinis.

Approbamus magisteria fratrum Vincentii Calvo (1) praesentis capituli diffinitoris, Ioannis de Ochoa (2), Augustini ex Mafforio, reformationem studii Barchinonensis et conventus Valentini provinciae Aragoniae et ordinationem factam de assignatis per reverendum provincialem ibidem provinciae Aragoniae, quam volumus inviolabiliter observari.

Item approbamus in provincia Germaniae, quod fratres fugitivi illius provinciae non admittantur ad quodcumque studium generale extra provinciam illam sine speciali licentia capituli provincialis illius provinciae, et in eadem provincia approbamus, quod fratres ordinis volentes habitare

(1) De fr. Vincentio Calvo cf. supra pag. 267.
(2) De fr. Ioanne de Ochoa cf. l. c. pag. 237.

Lovanii studii gratia non permittantur habitare in civitate in scandalum ordinis, et concedimus prioribus praedictae provinciae, [ut] possint recurrere ad summum pontificem expellendi eos, si per breve habitarent ibidem.

Item mandamus et praecipimus fratribus sancti Othomari et Atrebatensis in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae, [ut] solvant contributiones solitas reverendo provinciali Germaniae inferioris.

Item approbamus magisteria infrascriptorum magistrorum provinciae Trinacriae magistri Pauli de Ballo, Dominici Landolina, Hieronymi de Renatio, Petri de Mirto, Raymundi de Recanato, Michaelis de Mirto (1), Antonini de Longo, Damiani de Taputio et Vincentii de Mirto (2).

Item approbamus lecturam sententiarum in conventu Parisiensi videlicet fratrum Iacobi Alberti, Antonii de Fonseca (3), Guilelmi de Belneviso, Gasparis de Regibus et Augustini de Rivis ac Antonii de Contis, confessoris illustrissimi ducis Sabaudiae.

Item approbamus translationem factam per reverendissimum suffraganeum Cracoviensem magistrum Dominicum (4) conventui Cracoviensi ob suffragia in vita pariter [et] post mortem.

Item approbamus magisterium fr. Ludovici de Magistris de Turo provinciae sancti Thomae.

Item approbamus temporalitatem provincialis regni Poloniae videlicet quod provincialis possit durare annos sex, obtenta licentia tamen a summo pontifice.

Item approbamus, quod conventus in provincia Poloniae, qui solum habent numerum senarium, vocem habeant tam in electione prioris conventualis quam provincialis.

Item approbamus in eadem provincia, quod nullus de cetero promoveatur ad legendum sententias, nisi prius legerit bibliam ad minus per annum in conventu Cracoviensi aut in alio maiori conventu reformato secundum ordinationem capituli provincialis.

Item in eadem provincia praecipimus omnibus fratribus conventuum hactenus reformatorum et potissime maiorum, ut huiusmodi reformationem accipiant et observent.

Item approbamus et concedimus oratorium Terdotii ad vitam servitio reverendissimi domini cardinalis Salviati nostri protectoris absque tamen praeiudicio ordinis et ipsum aedificandum et in bonis tam sta-

---

(1) De fr. Michaele de Mirto cf. supra pag. 240.

(2) De fr. Vincentio de Mirto cf. l. c pag. 213.

(3) De fr. Antonio de Fonseca cf. SSOP. II, 136.

(4) De Dominico Malochovio ep. Laodiceen. cf. BO. IV, 529.

bilibus quam mobilibus augendum et quod prius accedat ad hoc consensus illius communitatis.

Istae sunt translationes.

In primis transferimus fr. Ioannem Baptistam de Castro Sangri provinciae sancti Thomae a conventu Castri Sangri ad conventum sancti Dominici de Sulmona eiusdem provinciae, fr. Michaelem Battum de provincia Trinacriae de conventu sancti Dominici de Messana ad provinciam sancti Thomae ad conventum provinciae eiusdem Vastihaimonis et fr. Prosperum Romanum et Romualdum (1) Romanae provinciae de conventu sanctae Mariae super Minervam ad conventum Ananiae eiusdem provinciae et facimus eos filios nativos eiusdem conventus, fr. Sebastianum Urbevetanum de conventu Urbevetano provinciae Romanae ad conventum Tudertinum eiusdem provinciae et facimus eum filium nativum eiusdem conventus et fr. Aurelium de Soncino de conventu Iustinopolitano vicariae sancti Dominici ad conventum Estensem vicariae eiusdem, et fr. Nicolaum de Veris provinciae Germaniae inferioris conventus Aquensis ad provinciam Germaniae superioris, et fr. Claudium Roderi a conventu Molinensi congregationis Gallicanae ad conventum Gratianopolitanum provinciae Franciae et fr. Reginaldum Dircis a conventu Rotomagensi congregationis Gallicanae ad provinciam Franciae, de conventu sibi providebit provincialis Franciae, et fr. Riccardum Marcialis cum socio suo a provincia Angliae ad provinciam Scotiae, quibus damus licentiam, [ut] possint recipi in aliquo conventu Italiae seu Saxoniae, donec habebunt iter tutum in Scotiam, ubi possit sibi provideri de necessariis; et fr. Guilelmum Nicolai conventus Marsiliae de congregatione Franciae ad provinciam Provinciae; et revocamus translationem magistri Iacobi Armandi (2) factam in conventu Aquensi et eundem reducimus ad conventum Cistarici, et revocamus translationem magistri Ioannis Castiddi factam in conventu Montispessulani et eundem reducimus ad conventum Gengliasi, et transferimus fr. Salvatorem de Aversa provinciae Regni de conventu sancti Petri Martyris de Neapoli ad conventum Adversanum, et Vincentium de Olibano eiusdem provinciae de Neapoli ad conventum Olibani et Petrum de Gaeta a conventu Taburni ad conventum sancti Petri Martyris de Neapoli omnes eiusdem provinciae, accedente assensu maioris partis conventus; et fr. Benedictum de Sinario a conventu Voraginis ad conventum Ianuae vicariae sancti Petri Martyris, et Michaelem Lembender sacrae theologiae lectorem conventus Norimbergensis provinciae superioris Germaniae, a quo expulsus fuit a Lute-

(1) De fr. Romualdo de Roma cf. supra pag. 237.

(2) De fr. Iacobo Armandi cf. l. c. pag. 238.

ranis ad conventum Ruthvilrensem, fr. Michaelem Armanino a conventu nunc sancti Hieronymi de Messana ad conventum sanctae Annunciatae del Burgo Milete provinciae Trinacriae, et fr. Antonium Syrenure a conventu Noti ad conventum sanctae Mariae de Gritta Milete eiusdem provinciae, et fr. Thomam de Castalia a suo conventu ad conventum sanctae Mariae de Angelis Terrae Caccabi eiusdem provinciae, et Nicolaum Rubeum a conventu Scentini, et Ioannem Petrum de Calabria a conventu Plociae, et Silvestrum de Savoia ad conventum sancti Dominici de Messana provinciae Trinacriae.

Istae sunt assignationes.

In studio Parisino assignamus fr. Ioannem Fabri de provincia Provinciae pro lectura sententiarum in scholis sancti Thomae pro anno domini 1540 pro loco extraneis debito.

Item assignamus fr. Ioannem de Gozma extraordinarie ut supra, [ut] de consensu facultatis Parisiensis possit recipi.

Item pro eodem anno in parvis scholis assignamus fr. Ioannem Louperte conventus Carnotensis provinciae Franciae.

Item pro lectura bibliae eodem anno assignamus fr. Franciscum Vituli conventus Cenomanensis congregationis Gallicanae.

Item assignamus pro anno 1541 in magnis scholis pro secundo iubileo ad lecturam sententiarum fr. Manassem de Molendinis conventus Nanetensis congregationis Gallicanae.

Item assignamus in parvis scholis pro eodem anno et iubileo fr. Antonium Verboes conventus Belvacensis provinciae Franciae.

Item assignamus pro lectura bibliae in eodem anno fr. Petrum Morinum conventus Ambianensis provinciae Franciae.

Item pro anno quarto et primo iubileo in magnis scholis assignamus fr. Ioannem Ludenia (1) Petrae fixae provinciae Hispaniae.

Item in parvis scholis pro eodem anno fr. Michaelem Quatrebeufs conventus Redonensis congregationis Gallicanae.

Item pro lectura bibliae pro eodem anno fr. Iulianum Gritorgol conventus Dinanensis eiusdem congregationis.

Item in eodem studio Parisino assignamus ad lecturam sententiarum pro forma et gradu magisterii pro locis extraordinariis et absque praeiudicio ordinariorum fratres Petrum de Iacha provinciae Aragoniae et Iulianum Ferenensem et Nicolaum Cotentu.

Item in universitate Nanatensi assignamus ad legendum sententias pro forma et gradu magisterii fr. Franciscum de Villaribus congregationis Galliae.

---

(1) De fr. Ioanne Ludenia cf. SSOP. II, 198.

In studio Bononiensi assignamus in regentem pro tribus annis videlicet pro anno domini 1539, 1540, 1541 reverendum magistrum Vincentium de Placentia (1) et substituimus magistrum Thomam de Vicentia (1), et in bacchalarium pro anno 1540 fr. Aurelium de Prierio (2), et 1541 et pro duobus aliis annis videlicet 1542 et 1543 fr. Vincentium de Quintiano (3); in biblicum vero assignamus eos, qui pro tempore fuerunt magistri studentium. In magistrum vero studentium pro anno 1539 fr. Reginaldum de Mantua, pro anno 1540 fr. Bartholomaeum de Vicentia et pro 1541 fr. Paulum de Mirandula. In studentem theologiae assignamus fr. Bartholomaeum Hasabacher conventus Lansutensis provinciae Germaniae superioris in studio Bononiensi utriusque Lombardiae pro rata provinciae Germaniae superioris.

In studio sancti Dominici de Neapoli damus in regentem pro primo anno magistrum Vitum de Matera (4) videlicet 1539, pro secundo et tertio et anno 1540, 1541 magistrum Stephanum de Cassano (5); in bacchalarium ordinarium pro duobus annis fr. Theophilum de Calabria scilicet pro anno 1539, 1540, qui fuit examinatus in capitulo generali et adiudicatus sufficiens pro forma et gradu magisterii, pro duobus aliis annis videlicet 1541, 1542 assignamus fr. Thomam de Calabria. In magistrum vero studii pro primo anno videlicet 1539 fr. Thomam de Calabria, pro secundo 1540 fr. Augustinum de Balneolo (5), pro tertio anno 1541 fr. Iulium de Aversa. In studentes theologiae fr. Lucam de Balneolo, fr. Gregorium de Balneolo, fr. Thomam de Melphi et fr. Modestum de Senis pro rata provinciae Romanae, fr. Dominicum de Dalmatia pro rata provinciae Dalmatiae et fr. Thomam de Sicilia pro rata provinciae Trinacriae. Item assignamus fr. Michaelem Borgeronis pro rata provinciae Franciae.

In studio Hispalensi provinciae Beticae damus in regentem pro primo anno 1539 reverendum magistrum Ioannem de Ochoa (6), pro secundo 1540 magistrum Augustinum de Basforia, pro tertio 1541 magistrum Vincentium de Calvo (7). In omnibus aliis studiis provinciae Beticae providebit capitulum provinciale Beticae cum suo reverendo provinciali.

In collegio Barchinonensi provinciae Aragoniae in primis assignamus in regentem reverendum magistrum Antonium de Sarmiento licen-

(1) De fr. Vincentio de Placentia et fr. Thoma de Vicentia cf. supra pag. 235.
(2) De fr. Aurelio de Prierio cf. l. c. pag. 279.
(3) De fr. Vincentio de Quintiano cf. SSOP. II, 235.
(4) De fr. Vito de Matera cf. supra pag. 238.
(5) De fr. Stephano de Cassano et Augustino de Balneolo cf. l. c. pag. 274, 210.
(6) De fr. Ioanne de Ochoa cf. l. c. pag. 281.
(7) De fr. Vincentio Calvo cf. l. c.

tiatum, in lectorem sententiarum seu in bacchalarium ordinarium fr. Iacobum Bosca.

In studio Valentino eiusdem provinciae Aragoniae assignamus in regentem reverendum patrem magistrum Benedictum de sancto Martino (1) praesentatum, in bacchalarium et lectorem sententiarum fr. Thomam de Regibus, in lectorem artium fr. Dominicum Sandugon.

In collegio Dertusiensi eiusdem provinciae assignamus in regentem reverendum magistrum Balthasarem Sorio (2), in lectorem sententiarum ac bacchalarium fr. Hieronimum Taix (3); in lectorem artium fr. Ginnesium Linares. In ceteris vero studiis reverendus pater provincialis provinciae providebit; in omnibus aliis locis studiorum provinciae Aragoniae committimus provisionem provinciali reverendo et ipsius capitulo.

In studio conventus Bituricensis assignamus fr. Ioannem de Ghyanguert (4) magistrum Parisiensem conventus sancti Quintini prov. Franciae pro regente principali in conventu Bituricensi. Item assignamus fr. Ugonem Marcieti conventus Divionensis eiusdem provinciae ad legendum sententias in eodem conventu Bituricensi pro anno domini 1540. Item assignamus fr. Guilelmum Rugetti conventus Divionensis ad legendum sententias in eodem studio Bituricensi et hoc de consensu magistri et provinciae conventus sui.

In studio conventus Panormitani provinciae Trinacriae in primis assignamus pro primo anno videlicet 1539 reverendum magistrum Vincentium de Sachetto, pro secundo magistrum de Ballo, pro tertio magistrum Hieronymum de Randatio (5). Item in bacchalarium pro primo anno ad legendum sententias pro forma et gradu magisterii fr. Thomam de Castania (5), pro secundo fr. Franciscum Formosa (6), pro tertio fr. Vincentium Raniolum. Item in biblicum pro primo anno fr. Franciscum Formosa, pro secundo fr. Vincentium Raniolum, pro tertio provideat reverendissimus generalis. Item in magistrum studii pro primo anno damus fr. Vincentium Raniolum, pro secundo et tertio provideat reverendissimus. Item assignamus in studentes theologiae pro tribus annis fr. Leonardum de Marsalia, fr. Iosuelem de Marsalia et fr. Vincentium Canali.

In studio Patavino assignamus pro duobus annis videlicet 1539 et 1540 reverendum magistrum Paridem de Cingulo (6), pro tertio videlicet 1541 damus in regentem magistrum Bernardinum de Utino. Item pro

(1) De fr. Benedicto de s. Martino cf. supra pag. 263, 277.
(2) De fr. Balthasare Sorio cf. l. c. pag. 264.
(3) De fr. Hieronymo Taix cf. SSOP. II, 174.
(4) De fr. Ioanne de Ghyanguert cf. supra pag. 280 et SSOP. II, 151.
(5) De fr. Hieronymo de Randatio et fr. Thoma de Castania cf. l. c. pag. 240.
(6) De fr. Francisco Formosa et fr. Paride de Cingulo cf. l. c. pag. 236.

anno 1539 damus in bacchalarium ordinarium ven. patrem fr. Matthaeum Siculum (1), in biblicum fr. Antonium Patavum, in magistrum studii pro eodem anno fr. Ioannem Mariam Iustinopolitanum ; pro secundo anno in bacchalarium ordinarium fr. Antonium Patavum, in biblicum fr. Ioannem Mariam Iustinopolitanum, in magistrum studii pro eodem secundo anno fr. Liberium de Florentia ; pro tertio autem anno videlicet 1541 damus in bacchalarium ordinarium fr. Ioannem Mariam Iustinopolitanum, in biblicum fr. Liberium de Florentia, in magistrum studii vero fr. Ioannem de Trevisio ; qui omnes tam pro secundo quam pro tertio annos praefatos officiales studii, antequam suscipiant sua officia, examinentur rigorose per examinatores datos a reverendissimo magistro. Quod si insufficientes inventi fuerint, reverendissimus magister de dictis officialibus providebit. In bacchalarium extraordinarium in eo[dem] studio pro tertio anno videlicet damus fr. Hieronymum de Liniaco, examinandum per examinatores provinciae. In studentem assignamus pro tribus annis sequentibus fr. Franciscum de Suessa (2).

In conventu sanctorum Ioannis et Pauli de Venetiis damus in regentem pro tribus annis futuris videlicet 1539, 1540, 1541 reverendum magistrum Nicolaum Birrianum Venetum ; in magistrum studii pro primo anno fr. Thomam sancti Petri in Galatina provinciae sancti Thomae, in biblicum fr. Ioannem Venetum et in bacchalarinm fr. Albertum de Trivisio ; in secundo anno in magistrum studii damus fr. Antonium de Cherio 1540, in bacchalarium fr. Ioannem Petrum Venetum ; pro tertio anno 1541 damus in magistrum studii fr. Iulium Venetum, in biblicum fr. Antonium de Cherio et in bacchalarium fr. Thomam sancti Petri in Galatina. Item in bacchalarium extraordinarium damus fr. Augustinum de Liniaco non pro forma et gradu magisterii, sed volumus, quod examinetur ab examinatoribus, an sit sufficiens. De studentibus in theologia providebit vicarius generalis illius provinciae vel ipsius capitulum. Assignamus in studentes in theologia in eodem studio fratres Baptistam et Stephanum Venetos.

In studio conventus Coloniensis provinciae Germaniae superioris assignamus in regentem reverendum patrem priorem conventus Coloniensis et inquisitorem fr. Tilmanum de Segeburgio (3) magistrum, in praedicatorem fr. Ioannem de Tremonia (4) sacrae theologiae licentiatum ; et damus in magistrum studentium fr. Ioannem de Tila sacrae theologiae licen-

(1) De fr. Matthaeo Siculo cf. supra pag. 76.
(2) De fr. Francisco de Suessa cf. l. c. pag. 233.
(3) De fr. Tilmano cf. l. c. pag. 211.
(4) De fr. Ioanne de Tremonia cf. l. c. pag. 144.

tiatum; bibliam legat fr. Ioannes de Calcar, physicam fr. Iacobus de Bacarano s. theologiae licentiatus, dialecticam fr. Ioannes Calcar baccalarius; studentes generales sacrae theologiae fratres Georgius Frichenosiensis de Lypsia, Dominicus Gal, Guarnellus Mich, Arnoldus de Tila, Hieronymus de Osden, Petrus Vacallo, Adrianus de Busco, Servatius de Osden, Georgius de Tremonia.

In studio Viennensi fr. Ioannem Colifries (1), [et] liberam eidem licentiam damus, ut possit lectionem audire in civitate.

In studio Perusino assignamus in regentem pro duobus annis 1539, 1540 magistrum Augustinum de Marcianinis de Florentia (2), pro anno 1541 fr. Petrum Paulum de Aretio (2) magistrum, in bacchalarium ordinarium ad legendum sententias pro forma et gradu magisterii 1539, 1540, 1541 fr. Iacobum de Nachlantis de Florentia.

In studio sanctae Mariae Novellae de Florentia damus in regentem pro primo, secundo et tertio anno scilicet 1539, 1540 et 1541 ven. patrem fr. Zenobium de Florentia (2); in bacchalarium pro primo et secundo anno scilicet 1539, 1540 fr. Laurentium Sebastiani de Florentia, pro tertio anno fr. Nicolaum de Maida Calabrum, pro tertio anno scilicet 1541 fr. Angelum de Spoleto. In magistrum studii pro primo anno 1539 fr. Nicolaum de Maida, pro secundo 1540 fr. Angelum de Spoleto, pro tertio fr. Alexandrum de Florentia. In studentes assignamus fr. Angelum de Spoleto, fr. Archangelum de Senis, Gabrielem de Senis, Theophilum de Tibure, Iulium de Florentia et Ioannem Mariam de Florentia. In studentes artium fratres Robertum et Rodulphum et Dominicum et Barnabam de Florentia.

In studio conventus Senensis Campi regii assignamus in regentem pro anno domini 1539 reverendum magistrum Antonium de Cortona (3), in baccalarium fr. Thomam de Castello ad legendum sententias pro forma et gradu magisterii, praemissa tamen examinatione, in biblicum fr. Petrum de Castello, qui fuit magister studii; in magistrum studii fr. Ioannem Coronatum de Hispania. In secundo anno scilicet 1540 damus in regentem rev. magistrum Vincentium de Tibure, in baccalarium pro forma et gradu magisterii fr. Petrum de Castello, praemissa tamen examinatione, in biblicum fr. Ioannem Coronatum de Hispania, in magistrum studii fr. Vincentium Siculum; in tertio anno damus in baccalarium fr. Ioannem Coronatum de Hispania et in magistrum studii providebit reverendus vicarius Tusciae.

(1) Videtur esse idem ac I. Kolfeuer, de quo S. Brunner l. c. pag. 5.
(2) De fr. Augustino, Petro Paulo et Zenobio cf. supra pag. 280.
(3) De fr. Antonio de Cortona cf. l. c. pag. 75.

In studio Tarentino provinciae sancti Thomae de officialibus studii providebit reverendus provincialis ; et quoniam per aliquot annos propter ingruentia bella vacavit, ipsum de novo in conventu nostro sancti Petri Martyris confirmamus et mandamus provinciali pro tempore, [ut] invigilet ad ipsum prosequendum.

In studio Taurinensi vicariae sancti Petri Martyris in regentem tribus annis futuris damus rev. magistrum Thomam Iacomellum (1), in magistrum studii pro primo anno fr. Stephanum de Taurino, quem etiam pro secundo anno facimus biblicum et pro tertio baccalarium, praemissa tamen diligenti examinatione et sic de aliis. De ceteris officialibus pro his tribus annis reverendissimus magister providebit.

In conventu et studio Lovaniensi assignamus ad legendum sententias fr. Iacobum Messiam pro tertio anno videlicet 1541.

Item approbamus magisterium fr. Guilelmi Tadei et fr. Petri Bertiranni provinciae Tholosanae.

In conventu Cosentino de regente et baccalariis pro tribus annis reverendissimus generalis providebit. In magistrum studii assignamus pro primo anno 1539 fr. Bonifacium de Aminolaria, pro secundo 1540 fr. Thomam de Maida, pro tertio 1541 fr. Iacobum de Burella, et in biblicum pro primo anno fr. Thomam de Polistina, pro secundo fr. Bonifacium de Aminolaria, pro tertio fr. Thomam de Maida.

Suffragia pro vivis.

In primis pro sanctissimo domino nostro papa, nostro ordini affectissimo, qui pro generali capitulo opulentissimam dedit eleemosinam, quilibet sacerdos tres missas, clerici septem psalmos, laici triginta pater noster decies, et pro eius sanctissimo et felicissimo statu orare non cessent.

Item pro reverendissimo domino cardinali Salviato protectore nostro quilibet sacerdos unam missam.

Item pro reverendissimo domino cardinali tituli sancti Sixti Ioanne Petro Carapha nostro viceprotectore quilibet sacerdos unam missam, clerici septem psalmos, laici triginta pater noster.

Item pro serenissimo rege Portugalliae, a cuius oratore ex dicti regis commissione opulentam eleemosinam pro praesenti capitulo recepimus, quilibet sacerdos duas missas, clerici septem psalmos, laici centum pater noster.

Item pro omnibus benefactoribus huius capituli quilibet sacerdos unam missam et nihilominus facimus eos participes omnium bonorum, quae per ordinem nostrum fient, donec in conspectu divinae maiestatis condigne pro eis fuerit satisfactum.

(1) De fr. Thoma Iacomello cf. l. c. pag. 239.

Item pro bono statu reformationis totius ordinis ac reverendissimo magistro et eius societate quilibet sacerdos unam missam, clerici septem psalmos, laici viginti quinque pater noster.

Item pro illis qui fuerunt ad beneficia ordinis per litteras recepti, quilibet sacerdos unam missam, clerici septem psalmos, laici triginta pater noster.

Suffragia pro defunctis.

In primis pro anima serenissimae imperatricis nuper defunctae, affectissimae ordini nostro, quilibet sacerdos unam missam, clerici septem psalmos, laici triginta pater noster.

Item pro anima reverendissimi cardinalis de Ursinis, qui perpetuam dedit ordini eleemosinam, quilibet sacerdos unam missam, clerici septem psalmos, laici triginta pater noster.

Pro anima reverendissimi Gaetani cardinalis sancti Xisti ordinis nostri et reverendissimi cardinalis etiam sancti Xisti fr. Nicolai de Alemania quilibet sacerdos unam missam, clerici septem psalmos, laici centum pater noster.

Item pro anima illustrissimae ducissae Urbini, pro qua habuimus eleemosinam uberem, quilibet sacerdos unam missam, clerici septem psalmos, laici centum pater noster.

Pro animabus fratrum et sororum ordinis nostri quilibet sacerdos unam missam, clerici septem psalmos, laici centum pater noster.

Item pro animabus illorum, qui per litteras recepti fuerunt ad beneficia ordinis, quilibet sacerdos unam missam, clerici septem psalmos, laici centum pater noster.

Sententias iudicum approbamus et eorum auctoritatem durare volumus per totam ultimam diem maii.

Auctoritatem diffinitorum durare volumus per totam diem primam iunii.

Item mandamus acta capituli huius generalis per reverendos provinciales vel socios eorum diligenter conscripta et sigillo ordinis sigillata ad suas provincias deferant (!)

Sequens capitulum generale, quod erit diffinitorum, hinc ad triennium videlicet anno domini 1542 assignamus Barchinonae provinciae Aragoniae.

Concedit reverendissimus magister ordinis omnibus fratribus, sororibus et personis tertiariis licentiam eligendi sibi confessorem expositum, a quo possint absolvi ab omnibus peccatis praeteritis et ab irregularitatibus ac habilitare eos ad executionem officiorum suorum, ac si suae reverendissimae paternitati confiterentur.

Datum Romae apud sanctam Mariam super Minervam die ·XXV· maii ·MDXXXIX· Laus Deo.

In nomine domini nostri Iesu Christi. Amen.

HAEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS ROMAE CELEBRATI IN CONVENTU S. MARIAE SUPER MINERVAM IN FESTO PENTHECOSTES DIE 27 MAII ·M°·D°·XLII°·

Sub reverendissimo patre fr. Alberto Casaus (1) Hispalensi in eodem capitulo canonice electo in generalem magistrum ordinis, diffinientibus communiter reverendis patribus prioribus provincialibus atque eorum diffinitoribus videlicet:

fr. Stephano Paris (2) provinciali Franciae,
fr. Maximo de Crema provinciali utriusque Lombardiae,
fr. Angelo Giacetho (3) Florentino provinciali Romano,
fr. Vincentio Caloina magistro provinciali Regni,
fr. Archangelo Veneto (4) magistro provinciali Graeciae,
fr. Thoma Strotio Florentino (5) provinciali Terrae sanctae,
fr. Antonio Geruloli provinciali Provinciae,
fr. Dominico Bucchia (6) magistro provinciali Dalmatiae,
fr. Salvatore Magnavacca (7) provinciali Trinacriae,
fr. Hieronymo Padilla (8) magistro provinciali Portugaliae,
fr. Vincentio Calvo (9) magistro provinciali Beticae,
fr. Antonio Caramanico (10) magistro provinciali sancti Thomae,
fr. Hieronymo de Monte Leone provinciali Calabriae.

Diffinitoribus vero:

fr. Dominico Galindo (11) diffinitore provinciae Hispaniae,

---

(1) De fr. Alberto Casaus (de las Casas) cf. supra pag. 274.
(2) De fr. Stephano Paris cf. l. c. pag. 275.
(3) De fr. Angelo Giacetho cf. l. c. pag. 266.
(4) De fr. Archangelo Veneto cf. l. c. pag. 280.
(5) De fr. Thoma Strotio cf. SSOP. II, 119.
(6) De fr. Dominico Buchia cf. l. c. et pag. 825.
(7) De fr. Salvatore Magnavacca cf. supra pag. 255.
(8) De fr. Hieronymo Padilla cf. l. c. pag. 274.
(9) De fr. Vincentio Calvo cf. l. c. p. 285.
(10) De fr. Antonio Caramanico cf. l. c. pag. 274.
(11) De fr. Dominico Galindo cf. l. c. pag. 191.

fr. Bernardo Castellano magistro diffinitore provinciae Tholosanae,
fr. Dominico Fereth diffinitore provinciae Franciae,
fr. Sancto de Mantua (1) diffinitore utriusque Lombardiae,
fr. Nicolao Michalozio Florentino (2) diffinitore Romano,
fr. Ambrosio de Balneolo (3) magistro diffinitore provinciae Regni,
fr. Gabriele (4) diffinitore provinciae Poloniae,
fr. Thoma Cretense diffinitore provinciae Graeciae,
fr. Ioanne Glierdo magistro diffinitore provinciae Aragoniae,
fr. Wilhelmo Gagliardi diffinitore provinciae Provinciae,
fr. Dominico de Brachia diffinitore provinciae Dalmatiae,
fr. Vincentio Giachetto (5) magistro diffinitore provinciae Trinacriae,
fr. Ambrosio Martello de s. Iacobo (6) bacchalario diffinit. prov. Beticae,
fr. Ioanne Gualteri diffinitore Germaniae inferioris,
fr. Antonio de Martina (7) magistro diffinitore s. Thomae,
fr. Dominico de Roblano (8) magistro diffinitore Calabriae.

Epistola reverendissimi magistri ordinis.

In Dei filio sibi charissimis universis conprofessoribus ac sororibus ordinis praedicatorum fr. Albertus de Casaus, sacrae theologiae professor atque totius eiusdem ordinis humilis generalis magister et servus salutem.

Cum reipublicae suae pacem, conservationem et augmentum omnes intendere debeant, potissimum autem assumpti ad ea officia, ut prosint aliis, dirigant et illuminent, ad hoc operosius invigilare debent.

Quocirca cum ex divina bonitate et numine, sine quo nihil recte agitur, effectum sit, ut nos immeriti prosimus toti sacrae familiae praedicatoriae sanctitate vitae morumque probitate, doctrina institutisque optimis, nulli secundum propensius nobis adnitendum est omni studio et solertia, ut religio nostra praedicatoria in dies clarior, illustrior et sanctior reddatur, ne censeamur degeneres a patribus nostris sanctissimis, qui hunc ordinem spiritus sancti nutu plantarunt, auxerunt et ornaverunt.

---

(1) De fr. Sancto de Mantua cf. l. c. pag. 274.
(2) De fr. Nicolao Michalozio cf. l. c. pag. 266.
(3) De fr. Ambrosio de Balneolo cf. l. c. pag. 210.
(4) De fr. Gabriele cf. l. c. pag. 278.
(5) De fr. Vincentio Giachetto (Grachetto) cf. l. c. pag. 230.
(6) De fr. Ambrosio Martello cf. l. c. pag. 252.
(7) De fr. Antonio de Martina cf. l. c. p. 280.
(8) Videtur esse idem ac Dom. de Calabria, de quo l. c. pag. 70.

Hortor itaque inprimis omnes religionis nostrae primates ac maiores, provinciales ac vicarios generales ac quoscumque praesidentes, sacrae theologiae doctores et verbi dei praecones, reliquosque omnes fratres ac filios, ut omnem diligentiam adhibeant, quo in nostris coenobiis religiose et observantialiter vivatur; conenturque imitari vestigia, stemmata ac vitam sanctissimi patris nostri patriarchae Dominici, divi Petri Martiris zelum, doctoris angelici sancti Thomae doctrinam et studia saluberrima, sancti Vincentii confessoris in contionibus suis ardentes sermones, praesulis Florentini beati Antonini in dignitatibus ac regimine populorum pervigilem curam ac sanctitatem, aliorumque sanctorum patrum nostrorum in omni genere virtutum redolentia exempla, quod consequi faciliter poterimus, si iuxta Platonis de Republica sententiam omnem curam nostram reformandis magistratibus religionis ac bene educandis ac imbuendis iuvenibus adhibuerimus; populi namque omnes principum vitam ac maiorum mores veluti umbram stipitis sui rectitudinem ac obliquitatem imitantur ac sequuntur. Conentur in monasteriis pacem seminare, discordias extinguere, studia sacrarum litterarum, quibus religio nostra claruit, aliis sic fuit celebrior, fovere et augere, somnolentes iuvenes ad praedicationes et sacras litteras excitare et propellere studeant, et labentis saeculi blanditias evitare, nihilque aliud sibi peculii quam sanctitatem vitae ac bonarum litterarum thesauros sibi parare, tantum bonum omnium animarum, ad quod ordo noster institutus est, sitire, exorientes haereses doctrina, verbo et exemplis extinguere et succidere. Divinis horis canonicis die noctuque continuent interesse, antiquioribus patribus ut progenitoribus suis subesse et deferre. Antiquiores vero discant iunioribus ut filiis prodesse et providere. Omnes demum nos re et nomine fratres ex eodem utero religionis nati in vinculo charitatis nos ipsos amplexantes ad bravium virtutum ac civitatem dei, in qua ascripti sumus concives et filii dei, laeto cursu properemus; hic militantem ecclesiam ac sedem apostolicam observemus, veneremur et extollamus, illic triumphantem nobis optemus, quam pro certo obsequemur, si regulae ac nostrarum constitutionum splendorem, integritatem religionis diligenter observaverimus.

Valete ac continuis orationibus vestris tanto pondere regiminis onustum iuvate.

Datum Romae die octava iunii apud sanctam Mariam supra Minervam 1542.

Istae sunt inchoationes.

In primis confirmamus et inchoamus, quod de beata Caecilia, beata Agatha fiat festum duplex, cum in populis sint satis solemnia et de illis habeamus propria officia; et habet duo capitula.

Item quod de beata Martha fiat officium sub festo duplici ubique.

Item inchoamus, quod in missis quatuor doctorum dicatur evangelium « Vos estis sal terrae ».

Istae sunt ordinationes.

In primis intimamus et ordinamus unanimi voto, ne multiplicentur ordinationes, quod quilibet provincialis provinciarum vel quilibet vicarius et priores omni conatu faciant observare constitutiones in provinciis et conventibus suis, ut observantia et vita regularis manuteneatur, hortantes eos, [ut] invigilent ad reformationem ordinis et observationes eorum, quae statuta sunt in constitutionibus.

Item ordinamus, quod, cum Credo cantatur in ecclesia, non cantetur cum organis.

Item ordinamus, quod vicarius ordinis post mortem generalis non possit instituere propria auctoritate provincialem Terrae sanctae, sed reservetur magistro ordinis.

Item ordinamus, quod in feria quinta, cum vacat tam a festo simplici quam trium lectionum, fiat officium de corpore Christi sicut de beato Dominico.

Item ordinamus, quod praedicatores generales, si non fiant a provinciali et diffinitoribus capituli provincialis secundum formam constitutionum, non admittantur nec pro praedicatoribus generalibus habeantur ; et qui iam sunt instituti, si de novo non approbentur, a suis provinciis destitutos esse intelligantur.

Item ordinamus, quod omnes litterae quomodolibet impetratae eximentes conventus seu fratres nostros a iurisdictione suorum superiorum ordinariorum per praesentes sint revocatae et annullatae et subiaceant potestati et ordinationi suorum superiorum sicut ceteri conventus et loca provinciarum et in provincia Calabriae de loco Torpeae et Cutri.

Item ordinamus, quod acta capituli generalis publicentur per totum ordinem et etiam in conventibus, et non expectetur capitulum provinciale ; et hoc per provincialem fiat seu per visitatores.

Item ordinamus, quod in conventu Parisino circa numerum assignandorum et promovendorum nihil innovetur.

Item ordinamus, quod affiliationes fratrum de conventu in conventum eiusdem provinciae non fiant nisi de consensu reverendi provincialis ipsius provinciae et confirmentur per reverendissimum magistrum et de consensu maioris partis capituli illius conventus.

Item ordinamus, quod priores in conventibus nostris instituti aliter quam per compromissum vel scrutinium vel communem inspirationem non sint priores, sicut numquam fuerunt.

Item ordinamus, quod inquisitores non magistri teneant primum

locum post suppriorem et bachalaureos in conventibus suis, in quibus actualiter exercent officium inquisitionis.

Item ordinamus, quod omnes quilibet promoti vel licentiati quomodolibet in isto capitulo generali non sortiantur effectum nec acceptentur, quousque constiterit, eosdem fuisse a suis provinciis legitime promotos seu expositos.

Confirmationes.

In primis confirmamus statutum factum Lugduni in capitulo celebrato sub reverendissimo magistro Ioanne de Fenario (1) de alternatione lectoris artium et sententiarum Parisiis tam quoad extraneos quam quoad internos de provincia Franciae et congregationis Gallicanae, et hanc alternationem praecipimus inviolabiliter observari sub poena gravioris culpae et absolutionis a suis officiis, quas ipso facto contrafacientes incurrant.

Item confirmamus conformiter ad acta capituli generalis Lugduni celebrati, quod non promoveantur Parisiis aut alibi filii provinciarum et praesertim provinciae Franciae, nisi praesententur per provincialem suum et capitulum provinciale.

Item confirmamus inchoationem factam in capitulo Lugduni celebrato per reverendissimum magistrum Ioannem de Fenario videlicet, quod ante trigesimum annum nullus promoveatur ad magisterium nec licentietur per reverendissimum generalem nec per provinciam suam, nisi expleverit trigesimum annum aetatis suae, et nihilominus servetur constitutio de magistrandis et promovendis ad bachalaureatum pro forma et gradu magisterii ad unguem, alioquin nullo modo in provincia aliqua acceptentur, et maxime haec confirmatio de aetate triginta annorum habeat tria capitula.

Item confirmamus ordinationem factam in capitulo Lugduni celebrato sub reverendissimo magistro Ioanne de Fenario de capitulo provinciali celebrando post annum in provincia Hispaniae et Beticae, videlicet quod possit differri per annum aut eo amplius, ita quod ante electionem futuri provincialis non sit nisi unum capitulum; et hoc idem in omnibus provinciis fieri posse diffinimus.

Item confirmamus ordinationem factam in capitulo generali Romae sub reverendissimo magistro Augustino Recuperato de Faventia (2), quod subscriptiones litterarum non possint fieri a conventibus, nisi patres et fratres subscribentes et consentientes sint simul congregati in aliquo uno loco, et hoc idem dicimus de patribus provinciae subscribentibus se vel

---

(1) De fr. Ioanne de Fenario cf. supra pag. 268.

(2) De fr. Augustino Recuperato de Faventia cf. l. c. pag. 274.

consentientibus in aliquibus litteris, et quod videatur et sciatur, quae in illis continentur et scribuntur, et hoc sub poena gravioris culpae, ut in ista ordinatione inhibetur, quae iam est constitutio, cum habeat tria capitula; declarantes et confirmantes omnia, quae in contrarium fiunt, esse irrita et invalida ac nullius roboris et momenti.

Item confirmamus seu approbamus magisteria fr. Constantii de Fenario et fr. Petri Martiris de Padua (1) et fr. Antonini de Padua.

Declarationes.

In primis determinamus, quod reverendus prior provincialis Tolosanus sit quadriannualis, et is qui nunc est provincialis modo suum quadriennium incipiat, sicut per diffinitores capituli Tolosani a nobis requisitum fuit, et petatur super hoc breve domini nostri papae.

Item declaramus, quod si quis non praesentatus a sua provincia promotus fuerit ad bachalaureatum in conventu Parisino vel in quavis alia universitate, non accipiatur in sua provincia nec habeat locum, ut in capitulo de studentibus, quod inviolabiliter servari volumus, statuitur.

Item determinamus, quod cum fratribus, qui exempti vel quomodolibet permanserint extra ordinem nostrum, non computetur nec numeretur tempus illud inter alios suae professionis annos, si postea reverti contingeret ad ordinem, ad quem tamen nolumus posse recipi nisi de licentia magistri ordinis vel provincialis sui accedente consensu maioris partis capituli conventus sui.

Item determinamus, quod graduati aliter quam per viam ordinis aut per breve aut per saltum non habeant locum, quousque per capitulum generale approbentur, et ex tunc incipiat ratio sui loci.

Item declaramus, quod si vocales fuerint discordes et pares in electione priorum, si infra mensem fecerint aliquem electionis actum, quamvis nullus egrediatur electus, propterea non devolvitur auctoritas ad provincialem providendi de priore, et si priores taliter [fuerint] provisi in conventibus, determinamus non esse priores.

Item declaramus, quod magistri in theologia tam in capitulis provincialibus quam extra habeant locum super priores non magistros.

Item declaramus, quod provinciales biennales absoluti post quadriennium iterum possint reeligi et confirmari, et de hoc impetretur breve ab iis, qui optant hanc determinationem.

Item declaramus, quod provincialis Hispaniae in capitulo generali habeat primum locum et subsequenter alii provinciales in ordine antiquitatum suarum provinciarum, non obstante, quod capitulum in aliena

(1) De fr. Petro Martyre de Padua cf. supra pag. 236.

provincia celebretur, et hoc idem dicimus de diffinitore in anno diffinitorum et disputatio tertiae feriae pentecostes detur Hispaniae sicut prima Parisiis et secunda Bononiae.

Item declaramus, quod vicarius ordinis vigore constitutionum non potest creare provincialem Terrae sanctae, ut etiam in ordinationibus statutum fuit.

Item declaramus magistrum Antonium Caramanicum (1) esse vicarium provinciae et electionis in provincia sancti Thomae.

Item declaramus fr. Ioannem Mariam de Iustinopoli (2) bachalaureum studii Patavini et fr. Vincentium de Marsano esse praedicatores generales in vicaria sancti Dominici.

Determinationes.

Ad tollenda scandala honestatemque religionis servandam in Urbe totius mundi capite statuimus et ordinamus et volumus, quam citius executioni mandari, quod prior Minervae de iudicio reverendissimi magistri ordinis locum quam citius habeat disponendi pro hospitibus acceptandis, omnesque hospites ordinis nostri undecumque advenientes teneatur cum omni charitate recipere et de omnibus necessariis providere; hospites vero certam portionem taxandam a reverendissimo magistro ordinis conventui solvere teneantur; fratres vero sine licentia et necessitate magna ad Urbem venientes iuxta determinationem et ordinationem factam poena carceris irremisibiliter puniantur.

Denuntiationes.

Denuntiamus in hoc capitulo generali fuisse electum in generalem magistrum ordinis reverendissimum magistrum Albertum de Casaus Hispalensem (3) acceptatumque, et quantum opus fuerit, confirmatum a sanctissimo domino nostro Paulo papa tertio in capella maiori sancti Petri coram omnibus reverendissimis cardinalibus et patribus prioribus provincialibus et diffinitoribus.

Item denuntiamus reverendissimum magistrum ordinis in hoc capitulo generali assentientibus omnibus provincialibus et diffinitoribus patrem fr. Hieronymum de Toleto in procuratorem ordinis instituisse.

Approbationes.

Approbamus translationem fr. Innocentii de Ast et fr. Hieronymi Paganutii de Monte Politiano bachalarei et fr. Aurelii de Soncino (4) et eorum etiam conventuum filiationem; similiter etiam approbamus transla-

---

(1) De fr. Antonio Caramanico cf. supra pag. 291.
(2) De fr. Ioanne M. de Iustinopoli cf. l c. pag. 287.
(3) De fr. Alberto de Casaus cf. l. c pag. 291.
(4) De fr. Aurelio de Soncino cf. l. c. pag. 283.

tionem fr. Dionisii de India in sua provincia ad vicariam sancti Dominici et eius filiationem in conventu Veneto confirmamus.

Licentiae magistrandorum et laureandorum.

Licentiamus ad magisterium fr. Ioannem Gomez, fr. Iacobum Bosca (1), fr. Genesium Linares (1) provinciae Aragoniae, quorum lecturas approbamus.

Licentiamus ad magisterium fr. Ioannem Mariam de Iustinopoli bachalareum Patavinum et venerabilem patrem fr. Hieronymum Paganisium Politianum et fr. Hieronymum Bamuchtellum de Liniaco bachalareos.

Approbationes magisteriorum.

Approbamus magisteria magistrorum hic creatorum per reverendissimum patrem generalem magistrum auctoritate sibi a sede apostolica concessa, videlicet patris fr. Ambrosii Martel (2) provinciae Beticae diffinitoris, fr. Melchioris Cano (3) provinciae Castellae electoris, fr. Petri Martiris Coma (4) provinciae Aragoniae electoris, fr. Rolandi Claye provinciae Franciae.

Item approbamus magisteria fr. Onufrii Maut (5), fr. Michaelis Gargallo, fr. Hieronymi Taix (6).

Translationes.

Transferimus fr. Thomam Esquivel a conventu Lucentensi provinciae Hispaniae ad conventum Caesaraugustae provinciae Aragoniae, servatis tamen servandis.

Item transferimus fr. Thomam Munoz a conventu Lucentino ad conventum Fontinentis et fr. Petrum Martinez sancti Onufrii ad eundem conventum Fontinentis et fr. Ioannem de Berrio a conventu Salmantino provinciae Hispaniae ad conventum Pampillonensem provinciae Aragoniae et fr. Cristophorum de Luna a provincia Bethica ad conventum Montis Albani provinciae Aragoniae et fr. Arnaldum Marracerio a provincia Franciae ad conventum Sedis Urgelli provinciae Aragoniae, quorum affiliationes approbamus, servatis servandis iuxta ordinationem prius factam.

Transferimus venerabilem patrem fr. Vincentium seniorem de Medunio a provincia sancti Thomae ad vicariam sancti Dominici et eum in conventu Iustinopolitano assignamus.

Assignationes.

---

(1) De fr. Iacobo Bosca et Genesio Linares cf. l. c. pag. 286.
(2) De fr. Ambrosio Martel cf. l. c. pag. 292.
(3) De fr. Melchiore Cano cf. SSOP. II, 176.
(4) De fr. Petro Martyre Coma cf. l. c. pag. 250.
(5) De fr. Onuphrio Maut cf. supra pag. 263.
(6) De fr. Hieronymo Taix cf. l. c. pag. 286.

Assignamus ad legendas sententias in provincia Aragoniae fr. Ioannem Porcel in collegio Dertusiensi, et fr. Thomam de Paredes in conventu de Luchent.

In studio Patavino damus in regentem pro duobus annis reverendum magistrum Ioannem Franciscum de Beatis Venetum (1), pro tertio rev. magistrum Antonium de Martina (2) in bacchalaureum, pro gradu et forma magisterii in primo anno venerabilem patrem fr. Liberium de Florentia (3), in biblicum fr. Ioannem de Taranto, in magistrum studii fr. Franciscum Suessonum (3). Pro secundo anno damus in bacchalaureum pro gradu et forma magisterii fr. Ioannem de Tarvisio, in biblicum fr. Franciscum de Suessa, in magistrum studii fr. Thomam Peregrinum Venetum (4). Pro tertio anno damus in baccalaureum pro gradu et forma magisterii fr. Franciscum de Suessa, in biblicum fr. Thomam Venetum, in magistrum studii fr. Salvatorem de Liniaco, et assignamus in studentes in theologia fr. Petrum Antonium de Utino et fr. Vincentium de Rechaneto pro rata vicariae s. Dominici, fr. Dominicum de Neapoli pro rata provinciae Regni, fr. Antonium de Griptolis pro rata provinciae s. Thomae.

Ex parte reverendissimi magistri ordinis et totius diffinitorii praesentis capituli generalis praecipitur priori conventus s. Augustini de Padua pro tempore existenti sub poena absolutionis ab officio illico et sine alia declaratione incurrenda, ut regenti Patavini studii solvere debeat annuatim seu de mense in mensem debita stipendia, ut in aliis conventibus praedictae vicariae s. Dominici fieri consuevit. Patribus insuper praecipitur sub poena privationis paternitatis et quorumcumque officiorum, ut huic nostrae ordinationi resistere non debeant, et hoc in archiviis et privilegiis praefati studii annotari iussimus.

In studio Veneto assignamus in regentem pro primo anno rev. magistrum Ioannem Utinensem (5), in bacchalaureum fr. Franciscum Venetum pro forma et gradu magisterii, in biblicum fr. Iulium Venetum (6), in magistrum studii fr. Archangelum de Senis (7). Pro secundo et tertio anno damus in regentem rev. magistrum Nicolaum Byrianum Venetum (6), in bacchalaureum pro forma et gradu magisterii fr. Iulium Venetum, in biblicum fr. Archangelum de Senis, in magistrum studii fr. Franciscum de Utino. Pro tertio anno damus in bacchalaureum pro gradu et forma

(1) De fr. Ioanne Francisco de Beatis cf. SSOP. II, 123.
(2) De fr. Antonio de Martina cf. supra pag. 292.
(3) De fr. Liberio de Florentia et Francisco de Suessa cf. l. c. pag. 287.
(4) De fr. Thoma Peregrino cf. SSOP. II, 270.
(5) De fr. Ioanne de Utino cf. supra pag. 230.
(6) De fr. Iulio Veneto et Nicolao Byriano cf. l. c. pag. 287.
(7) De fr. Archangelo de Senis cf. l. c. pag. 288.

magisterii fr. Archangelum de Senis, in biblicum fr. Franciscum de Utino, in magistrum studii fr. Stephanum Bindi Venetum. In studentes pro tribus annis assignamus fr. Cornelium de Padua et fr. Salvatorem de Liniaco, fr. Stephanum et fr. Baptistam Venetos et fr. Vitalem de Ravenna.

In vicaria s. Dominici damus examinatores promovendorum reverendissimum magistrum Sixtum Medicem (1) vicarium provincialem, rev. magistrum Ioannem Franciscum Venetum regentem Patavinum et rev. magistrum Leonardum de Utino (2) regentem Utinensem.

Studii Tarvisini curam committimus reverendo vicario provinciae una cum priore illius conventus.

Istae sunt acceptationes.

Acceptamus et approbamus collegium Dertusae ad instar collegii Vallisoletani et Hispalensis cum omnibus gratiis et privilegiis illorum et volumus, quod servetur determinatio facta in capitulo Barchinonensi circa collegiaturas conventuum pro dicto collegio institutas.

Istae sunt concessiones.

Concedimus et committimus reverendissimo magistro ordinis omnem nostram auctoritatem et facultatem addendi, minuendi, mutandi, dispensandi, et breviter omnia et singula faciendi, quae generale capitulum potest, etiamsi talia forent, quod mandatum exigerent magis speciale, volentes, quod simplici eius verbo credatur.

Item committimus et concedimus omnibus et singulis prioribus provincialibus, ut possint dispensare et absolvere omnes et quoslibet damnatos ad poenas gravioris culpae usque ad hanc diem et restituere ad omnes gratias ordinis, quantum ipsemet reverendissimus generalis posset, et singulis diffinitoribus huius capituli, ut quilibet possit recipere unum apostatam in suis provinciis et restituere ad gratias ordinis cum litteris testimonialibus pro hac vice tantum.

Concedimus vicariae s. Dominici pro rata eiusdem vicariae, ut possit assignare duos studentes in theologia in quocumque studio generali, etiam Parisiis et Bononiae sicut aliae provinciae.

Concedimus provinciae s. Thomae, ut nullus possit fieri magister in theologia, nisi publicam cathedram in aliqua civitate tenuerit coram tribus magistris in theologia dandis a provinciali dictae provinciae, ut ostendant, se habere sufficientiam, quatenus constitutio determinat. Et hoc idem conceditur vicariae s. Dominici, alioquin pro non magistris habeantur; et haec concessio habet duo capitula.

Suffragia pro vivis.

(1) De fr. Sixto cf. SSOP. II, 179.

(2) De fr. Leonardo de Utino cf. supra pag. 237.

In primis pro sanctissimo domino nostro Paulo papa tertio quilibet sacerdos celebret unam missam et clerici psalmos graduales et conversi triginta pater noster et totidem Ave Maria, et pro eius felici statu instanter hortamur omnes fratres ordinis continue orare.

Pro reverendissimo cardinali domino de Salviatis nostri ordinis protectore, qui continue laborat pro honore et exaltatione nostri ordinis, quilibet sacerdos unam missam.

Pro reverendissimo cardinali de Burgos, qui assidue pro nostri ordinis reputatione et conservatione laborat, quilibet sacerdos unam missam.

Pro serenissimo imperatore nostro Carolo quilibet sacerdos unam missam.

Pro serenissimo rege Portugalliae, qui continue confert eleemosinas nostro ordini, quilibet sacerdos unam missam.

Pro omnibus benefactoribus huius capituli quilibet sacerdos duas missas, et nihilominus eos recipimus ad participationem omnium bonorum, usquequo eis satisfactum fuerit.

Pro bono statu ac reformatione totius ordinis ac reverendissimi magistri ordinis et eius societate necnon et reverendo procuratore ordinis quilibet sacerdos unam missam, clerici vero quinque psalmos graduales et conversi viginti pater noster semel dicant.

Pro illis qui per litteras ad beneficia ordinis sunt recepti, quilibet sacerdos unam missam, clerici et laici ut supra.

Suffragia pro defunctis.

In primis pro anima reverendissimi cardinalis de Ursinis domini Matthaei ex ordine nostro assumpti, qui perpetuam dedit eleemosinam nostro generali capitulo ex suo testamento, quilibet sacerdos unam missam, clerici psalmos poenitentiales, laici centum pater noster semel.

Pro animabus fratrum et sororum ordinis nostri quilibet sacerdos unam missam, clerici psalmos poenitentiales, laici centum pater noster [et] totidem dicant Ave Maria.

Pro animabus eorum qui dum viverent, recepti sunt per litteras reverendissimi magistri ad beneficia ordinis, quilibet sacerdos unam missam, clerici vero septem psalmos poenitentiales, laici centum pater noster et totidem Ave Maria.

Sententias iudicum approbamus.

Auctoritatem diffinitorum durare volumus per totum diem dominicum sequentem inclusive et usque ad secundam feriam inclusive.

Mandamus acta capituli huius per reverendos provinciales et socios eorum seu provinciarum diligenter conscripta et correcta atque ordinis sigillo sigillata ad suas provincias deferri et, prout ordinavimus, publicari.

Sequens generale capitulum, quod erit solum diffinitorum, assignamus in provincia Aragoniae in conventu Valentiae hinc ad triennium videlicet anno domini 1545.

Concedit reverendissimus magister ordinis omnibus fratribus et sororibus ac personis tertii habitus licentiam, ut semel possint eligere sibi confessorem ex ordine et absolvi ab eo ab omnibus peccatis usque ad harum notitiam et dispensari ab omnibus irregularitatibus, a quibus ipse potest sua videlicet auctoritate.

Datum Romae in conventu sanctae Mariae super Minervam die 8 iulii anno 1542.

Fr. Albertus de Casaus
Magister ordinis.

In nomine domini nostri Iesu Christi
et totius coelestis curiae.

HAEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS ROMAE CELEBRATI IN CONVENTU SANCTAE MARIAE SUPER MINERVAM IN FESTO SANCTISSIMI PENTHECOSTES ANNO DOMINI ·M°·D°·XLVI°· DIE ·XIII· IUNII.

Sub reverendissimo patre fr. Francisco Romeo de Castillione (1), sacrae theologiae professore, in eodem capitulo canonice electo magistro generali ordinis praedicatorum, diffinientibus communiter reverendis prioribus provincialibus atque eorum diffinitoribus videlicet:

fr. Stephano Paris (2) magistro provinciali Franciae,
fr. Stephano Fuscarario (3) provinciali utriusque Lombardiae,
fr. Vincentio Fivisano (4) provinciali Romano,
fr. Michaele de Caesaraugusta provinciali Regni,
fr. Ambrosio Zilignano provinciali Ungariae,
fr. Bartolomaeo de Vicentia (5) magistro provinciali Graeciae,
fr. Antonio de Sigistro magistro provinciali Terrae sanctae,
fr. Hieronymo Buchia provinciali Dalmatiae,

---

(1) De fr. Francisco Romeo de Castillione cf. supra pag. 266.

(2) De fr. Stephano Paris cf. l. c. pag. 291.

(3) De fr. Stephano Fuscarario cf. l. c. pag. 245.

(4) De fr. Vincentio Fivisano cf. Masetti l. c. pag. 49 sq., qui tamen affirmando iam anno 1545 Vincentium se abdicasse officio provincialatus errat.

(5) De fr. Bartholomaeo de Vicentia cf. supra pag. 285.

fr. Ioanne Petro de Cortesio (1) magistro provinciali Trinacriae,
fr. Francisco de la Cerda provinciali Bethico,
fr. Eustachio de Aquaviva (2) magistro provinciali s. Thomae,
fr. Dominico de Roblano (3) magistro provinciali Calabriae.

Diffinitoribus reverendis patribus:

fr. Dominico Soto (4) magistro diffinitore Hispaniae,
fr. Ioseph Corriger (5) magistro diffinitore Tholosanae,
fr. Iacobo de Campis magistro diffinitore Franciae,
fr. Stephano de Genua diffinitore utriusque Lombardiae,
fr. Angelo Iaceto (6) diffinitore Romano,
fr. Vincentio Caloyna (6) magistro diffinitore Regni,
fr. Ioanne de Garra magistro diffinitore Ungariae,
fr. Melchiore de Polonia bachalaureo diffinitore Polono,
fr. Petro Irurozqui (7) magistro diffinitore Aragoniae,
fr. Thoma Christiano (8) magistro diffinitore provinciae Provinciae,
fr. Desiderio Patavino (9) diffinitore Graeciae,
fr. Daniele [de] Prato (10) diffinitore Terrae sanctae,
fr. Antonio Cassio magistro diffinitore Dalmatiae,
fr. Vincentio Mirto (11) magistro diffinitore Trinacriae,
fr. Thoma de la Barrera diffinitore Bethico,
fr. Gaspare Baliner licentiato diffinitore Germaniae inferioris,
fr. Vincentio Delitio (12) magistro diffinitore s. Thomae,
fr. Paulo de Taberna (13) magistro diffinitore Calabriae.

Litterae reverendissimi magistri ordinis.

In dei filio sibi carissimis reverendis prioribus provincialibus, magistris fratribusque ac sororibus universis ordinis praedicatorum fr. Franciscus Romeus de Castillione, sacrae theologiae professor ac totius eius-

(1) De fr. Ioanne Petro de Cortesio cf. supra pag. 213.
(2) De fr. Eustachio de Aquaviva cf. l. c. pag. 214.
(3) De fr. Dominico de Roblano cf. l. c. pag. 292.
(4) De fr. Dominico Soto cf. l. c. pag. 251.
(5) De fr. Iosepho Corriger cf. l. c. pag. 280.
(6) De fr. Angelo Iaceto et Vincentio Caloyna cf. l. c. pag. 291.
(7) De fr. Petro Irurozqui cf. SSOP. II, 163.
(8) De fr. Thoma Christiano cf. supra pag. 280.
(9) De fr. Desiderio Patavino cf. SSOP. II, 227.
(10) De fr. Daniele [de] Prato cf. l. c. pag. 154.
(11) De fr. Vincentio Mirto cf. supra pag. 282.
(12) Videtur esse idem ac V. de Licio, de quo l. c. pag. 280.
(13) De fr. Paulo de Taberna cf. SSOP. II, 163.

dem ordinis humilis generalis magister et servus, salutem et religionis augmentum.

Postquam divina providentia factum est, ut nobis potissimum, quamvis nihil tale merentibus, universae praedicatoriae reipublicae crederentur habenae, non praetermisimus, quae esse censemus pro illius tranquillitate, pace, incremento et splendore pro viribus consulere.

Hortor itaque ut pater filios, ut, postquam tanto munere donati estis a deo, ut vos in suam sortem ceu levitas de populo suo elegit et adiunxit sibi, tam egregium privilegium ac donum vobis numquam excidat, sed per bona opera certam vocationem et electionem faciatis, ne forte degenerantes a patribus cum indignatione illorum divinam in vos iracundiam provocetis. Ne iterum vox illa audiatur: nec ego pater, nec vos filii, sed occurrant maiorum gesta, occurrant facinora, sit prae oculis sanctimonia beati patris nostri Dominici, Petri constantia, Thomae doctrina, Vincentii fervor, Antonini vigilantia, ut eorum exemplo examussim rectissimam vitam vestram ellaboretis effingere.

Hortamur provinciales, vicarios, coenobiorum praefectos, ut linceis ac perspicacissimis oculis agant excubias vultumque sui pecoris diligenter agnoscant ac meminerint se esse illos, de quibus Christus dixit: Vos estis sal terrae, vos estis lux mundi.

Hortamur theologiae magistros ac lectores omnes, ut ita intellectum illustrent, ut tamen non obliviscantur et affectum accendere vitaeque sanctitate optimum de se specimen praebere discipulis; ut enim maxime prosunt, si bene gesserint, ita et maxime obsunt, si faxint secus.

Hortamur dominici verbi praecones, ne sint canes muti, non volentes latrare, sed ascendant super montem Sion, attolant vocem, carpant vitia, commendent virtutes, alliciant probos, perterreant improbos, Christique nomen ubique dilatare conentur.

Hortamur tirones, iuniores, provectos, ut pro matre religionem colant, observantias suscipiant, decreta custodiant, nec transiliant terminos, quos patres sui posuere; nam mandatum lucerna est et lex et lux et via vitae omnibus, increpatio disciplinae.

Hortamur demum cum Petro in universum omnes, ut sint unanimes, concordes, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles, ut sint iuxta apostolum tamquam luminaria in mundo, in medio nationis pravae et perversae, et cum pristinis sanctionibus, quas nostri sanxere maiores, has quoque quas nuper advertimus, observare nitantur, pro comperto habentes, quod id quod in praesenti est laboris nostri perexiguum et modicum, supra modum sublimitate aeternum gloriae pondus operetur in nobis.

Valete.

In nomine dei nostri et beatae semper virginis Mariae matris eius et beati Dominici patris nostri et omnium sanctorum et sanctarum dei: haec sunt quae patres nostri pro bono religionis et augmento virtutum, auscipe deo optimo maximo, statuerunt observari.

Ordinationes.

Intimamus et ordinamus unanimi voto, ne multiplicentur ordinationes, quod quilibet provincialis seu vicarius aut priores omni conatu faciant observare constitutiones in provinciis et conventibus suis, ut observantia et vita regularis manuteneatur, hortantes eos et monentes in domino invigilare ad ordinis reformationem et observantiam eorum, quae in nostris constitutionibus sunt statuta.

Item ordinamus, ne quis fratrum nostrorum ad Urbem, ubi maxime cum omni circumspectione esse debemus, accedere audeat nisi cum expressa licentia et in scriptis sui provincialis; contrafacientes vero quam primum ad Urbem venerint, omni postposita excusatione incarcerentur.

Item ordinamus, quod in qualibet provincia seu congregatione aut vicaria nostri ordinis a provinciali seu vicario cum consilio discretorum patrum, quorum omnium conscientiam aggravamus, instituantur iudices docti et timorati, qui sub poena excommunicationis promovendos ad gradus quomodolibet examinare debeant.

Item ordinamus, quod in quolibet conventu pro corrigendis, quantum opus fuerit, delinquentibus habeantur carceres bene tuti, et hoc sub poena taxanda a superioribus.

Item ordinamus, quod manentes extra ordinem pro quacumque causa distinctum habitum portare debeant, et revocantes eiusmodi licentias per omnes hactenus concessas nolumus, istas licentias aliquo modo concedi posse nisi per reverendissimum magistrum ordinis.

Item ordinamus, quod habentes beneficia et omnes poenitentiarii intelligantur extra ordinem et privati voce activa et passiva.

Item ordinamus, ne quis fratrum nostrorum barbam deferat sub poena privationis a suis officiis ac suorum graduum, si sint magistri vel graduati; alii vero sub poena taxanda a suis superioribus.

Item ordinamus conformiter ad nostras constitutiones, quod revelantes crimina et peccata fratrum nostrorum personis extraneis tamquam destructores ordinis incarcerentur, praelatique non punientes eiusmodi scienter a suis officiis absoluti intelligantur ipso facto.

Item ordinamus, quod nullus in nostro ordine ad magisterium promoveri possit, nisi per quatuor annos ad minus sententias legerit ac inde rite examinatus idoneus comprobetur, alioquin pro non magistris habeantur.

Item ordinamus, quod graduati sufficientes ac idonei iudicati admoneantur et compellantur, quantum opus fuerit, ne divina deserant sive

in missis sive in officiis, docereque et praedicare ac alia pro suis gradibus agere, alioquin a provinciali cum consilio discretorum suis gradibus priventur.

Item ordinamus, quod studentes comprovinciales Bononiae sint liberi ab exactione nuper imposita et cum eis mos antiquus servari debeat.

Item ordinamus, quod in provincia Siciliae priores de cetero sint biennales, conformiter ad alias provincias Italiae, provincialisque absolutus tam in hac provincia quam in provincia s. Thomae et provincia Aragoniae remaneat vicarius provinciae et electionis, donec sequens provincialis sit electus, confirmatus et praesens in provincia, et quatenus opus sit, super praemissis impetrentur litterae apostolicae, ita tamen quod non arceatur potestas reverendissimi magistri ordinis aliter pro arbitrio providendi.

Item ordinamus, quod nullus fratrum revelet extasim, visiones aut miracula sororum quarumcumque nisi de consensu reverendissimi magistri ordinis aut capituli provincialis sub poena gravioris culpae.

Confirmationes.

Confirmamus, quod de beata Caecilia et de beata Agatha fiat festum duplex, et quod in missa quatuor doctorum dicatur evangelium: « Vos estis sal terrae ». Et haec habent tria capitula.

Item confirmamus, quod de beata Martha fiat festum duplex ubique. Et sunt duo capitula.

Item confirmamus, quod Credo in missa cantetur a choro et non cum organis, et quod in feria quinta, cum vacat etiam a festo trium lectionum, fiat officium de sanctissimo corpore Christi, ubi non consuevit de alio officio celebrari.

Item confirmamus, quod omnes litterae quomodolibet impetratae eximentes conventus seu loca aut fratres nostri ordinis a iurisdictione suorum superiorum ordinariorum per praesentes sint annullatae et revocatae et subiiciant potestati et iurisdictioni suorum superiorum pleno iure.

Item confirmamus, quod acta capituli generalis publicentur per totum ordinem et maxime in conventu Parisiensi et aliis conventibus particularibus per provincialem seu visitatores, nec propter hoc expectetur capitulum provinciale.

Item confirmamus, quod cum fratribus, qui exempti vel quomodolibet extra ordinem manserint, non computetur nec numeretur tempus illud inter alios suae professionis annos, si postea eos reverti contigerit ad ordinem, in quem tamen nolumus posse recipi nisi de licentia reverendissimi magistri ordinis vel provincialis sui, accedente etiam consensu maioris partis capituli sui conventus.

Item confirmamus, quod graduati aliter quam per viam ordinis sive per breve sive per saltum non habeant locum, quousque per capitulum generale acceptentur.

Item confirmamus, quod fugitivi a provincia Germaniae inferioris non retineantur in aliqua provincia nec admittantur ad quodcumque studium generale, nec fratres alterius provinciae absque suorum provincialium licentia in dicta provincia Germaniae recipiantur.

Item confirmamus, quod non promoveantur Parisiis aut alibi filii provinciarum alienarum et praesertim provinciae Franciae, nisi praesententur per provincialem suum, vel saltem ipso non reclamante.

Item confirmamus, quod nullus promoveatur ad magisterium ante trigesimum annum.

Item confirmamus omnes alias ordinationes vel declarationes capituli generalis Romae sub reverendissimo de Casaus celebrati.

Declarationes.

Declaramus, quod quando aliquid fiat a provincialibus et diffinitoribus in capitulis provincialibus sive quoad graduandos sive quoad alia in capitulo generali praesentanda intelligatur fieri per capitulum provinciale iuxta formam nostrarum constitutionum.

Item declaramus, quod qui in capitulo provinciali fuerit electus diffinitor capituli generalis, possit in sequenti capitulo reelegi, si non diffinivit.

Item declaramus, quod si praecedente confirmatione provincialis in aliqua provincia et finito capitulo provinciali electum mori contingeret, vicariatus eiusdem provinciae ad illum priorem pertineat, in cuius conventu sequens capitulum fuerit assignatum.

Item acceptamus in provincia Aragoniae domum quamdam in oppido de Ayerve ad instantiam dominae Greide de Lanuza uxoris domini Hugonis de Urreas, quondam secretarii maiestatis Caesareae, cum conditione quod domus aedificata habeat certos redditus, quibus possent fratres mediocriter sustentari.

Item acceptamus in provincia Aragoniae collegium a reverendissimo Illerdensi episcopo erigendum in conventu Oriolae et dotationem eius iuxta decretum reverendi provincialis, cui in his nostram committimus facultatem.

Item affiliamus fr. Dominicum de Acuna in conventu Toletano et fr. Dominicum de s. Anna in conventu Taurensi in provincia Hispaniae.

Licentia promovendorum.

Licentiamus ad legendum sententias pro forma et gradu magisterii exclusive fr. Ioannem de Suarez provinciae Hispaniae.

Item pro provincia Portugalliae licentiamus ad bachalariatum fr. Lupum de Aveiro.

Item in provincia Aragoniae licentiamus fr. Ioannem Verrio et Martinum Ajanzo (1) ad gradum magisterii.

Approbationes.

Item in provincia Aragoniae approbamus magisteria fr. Petri Ugo Moragues, Petri Irurosqui (2), et Ioannis Gomez (3), praesentaturas vero fr. Blasii Ferrer, Ioannis Verrio, Ioannis Torres et Bartholomaei Llor (4).

Item approbamus omnes alios magistros creatos seu creandos per reverendissimum magistrum ordinis ex concessione apostolica sibi in hac parte concessa secundum morem capitulorum generalium.

Item damus et concedimus omnem nostram auctoritatem reverendissimo magistro ordinis addendi, minuendi, disponendi et breviter omnia et singula faciendi, quae generale capitulum potest, etiamsi talia forent, quae mandatum exigerent speciale, volentes, quod simplici eius verbo credatur.

Item concedimus omnibus et singulis prioribus provincialibus, ut possint dispensare et absolvere omnes et quoslibet damnatos ad poenas gravioris culpae usque ad hanc diem et restituere ad gradus ordinis, quantum et ipse reverendissimus generalis possit; et singulis diffinitoribus huius capituli, ut quilibet possit recipere unum apostatam in suis provinciis et restituere ad gratias ordinis cum litteris testimonialibus pro hac vice tantum.

Suffragia pro vivis.

In primis pro sanctissimo domino nostro domino Paulo III. quilibet sacerdos celebret unam missam et clerici psalmos graduales, conversi pater noster trigesies et toties Ave Maria, et pro eius felici statu instanter hortamur omnes fratres nostri ordinis, ne cessent continue orare.

Pro reverendissimo cardinali de Salviatis, protectore nostri ordinis, qui continue laborat pro honore et protectione nostri ordinis, quilibet sacerdos unam missam dicat.

Pro reverendissimo cardinali de Burgos assidue pro decore nostri ordinis et regulari observantia zelante, ac pro reverendissimo cardinali s. Silvestri quilibet sacerdos unam missam dicat.

Pro serenissimo imperatore nostro Carolo quilibet sacerdos unam missam, pro aliisque omnibus benefactoribus huius nostri capituli quilibet sacerdos duas missas dicat, et nihilominus recipimus eos ad participationem omnium bonorum, usquequo eis satisfactum fuerit.

---

(1) De fr. Martino Ajanzo cf. supra pag. 263.
(2) De fr. Petro Irurosqui cf. l. c. pag. 303.
(3) De fr. Ioanne Gomez cf. l. c. pag. 298.
(4) De fr. Bartholomaeo Llor cf. l. c. pag. 227.

Pro reverendissimo episcopo Illerdensi, qui unum collegium in provincia Aragoniae constituit et ordini valde afficitur, quilibet sacerdos unam missam dicat.

Pro bono statu et reformatione totius ordinis ac reverendissimi magistri ordinis et eius societate necnon pro reverendo procuratore ordinis quilibet sacerdos unam missam, clerici psalmos graduales et conversi vigesies pater noster; et hoc idem pro illis, qui per litteras sunt recepti ad beneficia ordinis, dicatur.

Suffragia pro defunctis.

In primis pro anima reverendissimi cardinalis de Ursinis domini Matthaei ex ordine nostro assumpti, qui perpetuam dedit eleemosinam nostro generali capitulo in suo testamento, quilibet sacerdos unam missam, clerici psalmos poenitentiales, conversi centies pater noster dicant.

Pro animabus eorum, qui dum viverent, per litteras reverendissimi magistri ordinis recepti sunt ad beneficia ordinis, quilibet sacerdos unam missam, clerici psalmos poenitentiales, conversi centies pater noster et toties Ave Maria dicant.

Sententias iudicum approbamus.

Auctoritatem reverendorum diffinitorum durare volumus per totum diem dominicum proxime sequentem et usque ad secundam feriam inclusive.

Mandamus acta huius capituli per reverendos provinciales et socios eorum diligenter conscripta et correpta atque ordinis sigillo sigillata ad suas provincias deferri et prout ordinamus publicari.

Sequens capitulum generale, quod erit provincialium, assignamus in provincia Hispaniae in conventu Salamantino, hinc ad triennium videlicet anno domini 1549.

Concedit reverendissimus magister ordinis omnibus fratribus et sororibus nostri ordinis et personis tertii habitus licentiam, ut semel possint eligere sibi confessorem ordinis nostri et absolvi ab eo de omnibus peccatis praeteritis usque ad praesentium notitiam et dispensari ab omnibus irregularitatibus, a quibus potest absolvere et dispensare ipse reverendissimus magister ordinis.

Datum Romae in nostro generali capitulo in conventu sanctae Mariae super Minervam anno domini 1546.

Fr. Franciscus Romaeus
Magister ordinis praedicatorum.

Insuper reverendi patres magistri, priores ceterique praesentes nostrae Aragoniae provinciae, notum vobis facio, me a reverendo patre

diffinitore provinciae recepisse litteras apostolicas mihi et patribus prioribus conventuum provinciae Aragoniae destinatas sequentis tenoris :

Dilectis filiis provinciali et aliis prioribus conventuum ordinis fratrum praedicatorum provinciae Aragoniae secundum morem eiusdem ordinis Paulus papa III. Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum sicut nobis nuper exponi fecistis, iam dudum domus et conventus vestri ordinis et provinciae ad regularem et strictiorem, quam antea vigebat, observantiam reducti fuerint, et sub dicta reformatione ac regularibus institutis et exemplo bonorum operum auctore domino vivere intendatis, et propterea desideratis ab alio quam superioribus dicti ordinis non visitari, nobis humiliter supplicari fecistis, ut vobis in praemissis de opportuno remedio providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur qui religiosorum quorumlibet vota, quantum cum deo possumus, ad exauditionis gratiam libenter admittimus, huiusmodi supplicationibus inclinati omnibus et singulis domibus et conventibus vestri ordinis et provinciae Aragoniae, quod de caetero per alium quam dicti vestri ordinis superiores, nisi ipsi superiores id facere recusaverint seu neglexerint, visitari aut reformari, quodque vos et dicta vestra provincia ab antiquo una cum Cathalonia et Valentia ac Navarra provinciis unita et unum corpus efficiens separari et dismembrari seu dividi nullatenus possitis, auctoritate apostolica tenore praesentium de speciali gratia indulgemus ; necnon quibusvis fratribus ordinis et provinciae praedicatorum, ne secreta seu aliquos actus, qui in domibus et conventibus huiusmodi pro tempore fiunt, contra eiusdem ordinis constitutiones etiam praetextu cuiusvis indulti apostolici illa quibusvis personis revelandi alicui praeterquam superioribus praefatis revelare audeant vel praesumant sub excommunicationis latae sententiae poena per quemlibet contravenientem ipso facto incurrenda, a qua ab alio quam nobis aut Romano pontifice pro tempore existente seu dictis superioribus praeterquam in mortis articulo absolvi nequeant, districtius inhibemus ; non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis necnon quibusvis privilegiis, indultis et litteris apostolicis quibusvis fratribus eiusdem ordinis in eo residentibus etiam super receptione in acolitos et capellanos sedis apostolicae ac aliis personis etiam super visitatione et correctione conventuum et religiosorum vestri ordinis et provinciae huiusmodi per quoscumque Romanos pontifices praedecessores nostros ac nos et sedem praedictam et illius legatos etiam de latere aut nuntios quibusvis fratribus dicti ordinis et quibusvis aliis personis sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis etiam irritantibus, concessis et confirmatis ac etiam iteratis vicibus innovatis. Quibus omnibus etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus

specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quaevis alia expressio habenda aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, et in eis caveatur expresse, quod illis nullatenus derogari possit, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum inserti forent praesentibus, pro sufficienter expressis et insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque seu si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Dat. Romae apud sanctum Marcum sub annulo piscatoris die ·xxviii· iulii anno domini ·mdxxxxvi· pontificatus nostri anno ·xii·

V. Blo. El. Fulgin.

Fr. Ioannes Isquierdo (1) prior provincialis.

Locus ✠ sigilli.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HAEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS SALMANTICAE CELEBRATI IN CONVENTU SANCTI STEPHANI IN FESTO SANCTISSIMO PENTHECOSTES ANNO DOMINI ·M°·D°·LI°· DIE ·XVII· MAII

Sub reverendissimo P. fr. Francisco Romaeo Castillionen. (2) sacrae theologiae professore magistro generali ordinis praedicatorum, diffinientibus communiter reverendis prioribus provincialibus videlicet:

fr. Bartholomaeo de Miranda (3) magistro provinciali Hispaniae,
fr. Guilliermo Marlayon magistro provinciali Tholosae,
fr. Angelo Bethino de Florentia (4) provinciali Angliae,
fr. Iacobo Ferrant magistro (5) provinciali Aragoniae,
fr. Francisco de Bovadilla (6) provinciali Portugaliae,

---

(1) De fr. Ioanne Isquierdo cf. supra pag. 251.
(2) De fr. Francisco Romaeo Castillionen. cf. l. c. pag. 302.
(3) De fr. Bartholomaeo de Miranda cf. l. c. pag. 280.
(4) De fr. Angelo Bettino cf. SSOP. II, 168.
(5) De fr. Iacobo Ferrant (Ferran) cf. supra pag. 263.
(6) De fr. Francisco de Bobadilla cf. l. c. pag. 279.

fr. Michaele de Arcos (1) magistro provinciali Bethicae,
fr. Thoma de sancto Martino magistro prov. s. Iohannis Bapt. del Peru,
fr. Ioanne Lebesque magistro socio pro provinciali Franciae absente,
fr. Felice Castelfranco (2) socio pro provinciali Romano absente,
fr. Ioanne Moton magistro socio pro provinciali Provinciae absente,
fr. Petro de Miranda socio pro provinciali Provinciae s. Crucis absente.

Universis sui ordinis professoribus Franciscus Romaeus humilis generalis magister ordinis praedicatorum salutem et religiose agere.

Attendite ad petram, unde excisi estis, et ad cavernam loci, de qua praecisi estis; attendite ad Abraham patrem vestrum et ad Saram, quae peperit vos, quia unum vocavi eum et benedixi eum, et multiplicavi eum etc.

Peractis nostris comitiis Salmantinis per dei gratiam, etiam plerisque nostri ordinis provinciis visitatis, patres reverendi atque dilecti, non alia in praesentiarum se offerunt verba, quibus sub brevitate vos provocem et inclinem ad collapsae religionis nostrae reparationem, quam quae ex Esaya typice proponuntur. Voluissem equidem, si fuisset possibile, vos omnes meae peregrinationis habuisse socios, quo vestris oculis una mecum et vidissetis et ploraretis, quantum ubique gentium ordo noster a pristino suo decore deciderit et quotidie a patrum decretis exorbitet, ut vel sic zelo sanctae vetustatis accensi, noxias relaxationum novitates evitaremus.

Agite igitur, agite patres, si qua pietas, si qua laus, si qua vos tenet nostrae familiae miseratio, collapsos mores erigite; honesta studia sacrae praesertim paginae renovate, quae sunt divini cultus et cerimonias ordinis resarcite, exactiorem votorum observantiam inducite, regularem uniformitatem retinete, instructioni iuvenum diligentiores insistite, aegrotantibus solliticiores adestote, necessitatibus fratrum, ne pereant, paterna viscera exhibete. Proximis adiuvandis praedicando, legendo, audiendo, consulendo, ne deficiatis. Denique constitutionum nostrarum aut iam deperditos aut certe silvescentes ritus ad meliorem frugem et observantiam restituite.

Erit vobis profecto in supradictis qualiscumque instauratio, si infrascripta patrum decreta in hac nostra synodo novissime edita servaveritis. Non est autem abbreviata manus domini, nec profutura dei genitricis sanctorumque nostrorum suffragia vobis deerunt, quibus pia vota vestra excitentur et opere compleantur ad perpurgandam nostri sodalitii

(1) De fr. Michaele de Arcos cf. supra pag. 252.
(2) De fr. Felice [de] Castelfranco cf. SSOP. II, 215.

colluvionem, simulque illustrandum et instaurandum pristinum illius institutum. O si velitis patres, o si velitis ad haec munera vires intendere, confido autem, quia voletis, nam et debetis, quanta foret vobis gloria, quanta vobis laetitia, quanta proximis salus, quanta et quae omnibus praemia.

Moveat vos saltem , quod christiani estis et Christum prototypum effigiare debetis, qui vos de captivitate saeculi in religionem induxit ; sic enim adhortatur propheta : attendite, inquit, ad petram, nempe ad Christum, unde excisi estis ; attendite ad cavernam loci, profecto ad captivitatem saeculi, de qua educti et evocati estis.

Moveat quoque vos, quod turpis est omnis pars, quae suo toti non congruit. Quare attendite ad Abraham patrem vestrum, attendite, inquam, ad caput patremque vestrum, divum Dominicum, sub cuius nomine militatis. Attendite demum ad Saram matrem vestram, nempe ad praedicatoriam institutionem, quae a principio genuit vos, ut essetis anima una et cor unum in deo, ut essetis in populis specialiter benedicti, ut denique multiplicati claritate doctrinae et exemplaritate vitae universum orbem illustraretis.

Testor hodie iam sexagenarius, quod maiorem hac gratiam ego habere non possum, quam ut audiam fratres meos in veritate ambulare. Unde quotidie divexor, quotidie morior propter gloriam vestram, ut sit in Christo Iesu domino nostro.

Faxit, faxit, ut haec omnia pro voto nostro compleantur in vobis.

Bene valete et pro nobis orate.

In nomine domini nostri Iesu Christi, et beatae semper virginis Mariae genitricis eius, et beati Dominici patris nostri, et omnium sanctorum et sanctarum dei, haec sunt, quae patres nostri pro bono religionis et augmento virtutum, Deo optimo maximo auspice, observanda statuerunt.

Ordinationes.

In primis ne ordinationes inutiliter multiplicentur, monemus omnes ac singulos reverendos provinciales, et ceteros conventuum praesidentes, ut quantum possunt, curent suos subditos ad veram formam vitae regularis iuxta nostrorum patrum instituta revocare. Et exemplo illius qui prius coepit facere quam docere, non minus eos doceant exemplo quam verbo. Neque sint, quod primus ecclesiae pastor docet, veluti dominantes in clero, sed forma sacri gregis ex animo. Id semper prae oculis habentes, quod pater noster ait Augustinus, quia deo pro illis reddituri sunt in die domini rationem. Omnibus itaque viribus insistant manutentioni et reformationi nostri ordinis, ac studeant, ut sacrae nostrae constitutiones in suis provinciis et conventibus observentur. Et circa ea praecipue invigilent, in quibus cognoverint plurimos defecisse.

Igitur, quia totum bonum ac malum ordinis ex novitiorum educatione pendere cognoscitur, in primis ordinantes praecipimus, ne de cetero novitii in minoribus conventibus recepti, singuli aut bini pro serviciis retineantur, sed statim ad maiores conventus provinciae, ubi saltem in numero senario possint sub bono et discreto magistro nutriri, mittantur. Quibus suo tempore de lectore grammaticae vel dialecticae secundum eorum exigentiam provideatur.

Ad cuius tamen dialecticae audientiam nolumus ipsos novitios ante annum a sua professione admitti posse, ut eo tempore melius valeant cerimoniis ordinis, devotione et humilitate informari. Mandamus autem reverendis provincialibus et vicariis quibuscumque, ut in suis provinciis vel congregationibus statim conventus aliquot determinent secundum suas nationes, ad quos novitii in minoribus conventibus recepti, transmitti et educari debeant, ubi et suo tempore poterunt profiteri; verum tamen non nisi pro suis conventibus, ubi habitum susceperunt. Quos omnes etiam tam in minoribus quam in maioribus conventibus receptos, mandamus ante triennium a sua professione, a tali vel consimili societate et magistri cura non posse eximi ullo pacto.

Item omnibus conventuum praesidentibus praecipimus, ut intenti sint curae infirmorum, ex cuius defectu cognovimus proprietatem in nostro ordine irrepere; ita videlicet, ut suis fratribus infirmis de lecto, de carnibus, secundum exigentiam de medico et de medicinis et convenienti societate provideant iuxta nostras constitutiones, ac circa alios omnes fratres sint solliciti, ut scilicet eis sufficienter provideant de omnibus vestimentis et de expensis pro itineribus necessariis.

Et haec tam de novitiis, quam de infirmorum et vestium ac expensarum pro itineribus provisione, praesertim cum fratres ad suas assignationes vadunt, aut praedicationis gratia, seu alias pro obedientia mittuntur, volumus et mandamus inviolabiliter ab omnibus praelatis observari sub poena absolutionis a suis officiis ipso facto, si contravenerint, incurrenda. Praecipientes reverendis patribus provincialibus, ut eos quos in his negligentes invenerint, a suis officiis incunctanter absolvant, aut absolutos esse declarent, ne fratres ex praelatorum negligentia in suis necessitatibus communi ac debito subsidio deficientes, proprietarii effici compellantur. Quos vicissim volumus in ea, quam professi sunt, paupertate persistere et ab omni pecuniarum cumulatione abstinere.

Quae scilicet pecuniae, si sibi a consanguineis vel amicis pro emendis libris aut aliis necessariis tradantur, nolumus, ut eas ullatenus, nisi in communi deposito tenere possint, et hoc per mensem tantum; quo transacto si eas non exposuerint, statim illas decernimus ex vi praesentis nostri statuti esse communitati conventuum applicatas, neque subditos

repetendi, nec praelatos eas restituendi de cetero ullam habere authoritatem. Cassantes et annullantes omnes et singulas licentias hactenus super his datas, si quae sunt, nisi tempus ultra mensem aliquando reverendis provincialibus aut vicariis congregationum in aliquo particulari casu prorogandum videatur; quorum tamen conscientias sub praecepto formali astringimus, ne id unquam faciant nisi pro evidenti necessitate, quod sane statutum nostrum ab omnibus fratribus nostri ordinis, quacumque praefulgeant dignitate vel gradu, volumus inviolabiliter observari; eos qui contravenerint, proprietarios et Ananiae et Saphirae maledictionum declarantes participes et haeredes.

Ordinantes item admonemus omnes priores tam conventuales quam provinciales, ut in poenitentiis, praesertim in constitutionibus taxatis, imponendis sint severiores, et in his maxime, quae ad honestatem pertinent, unde solet ex paucorum erratis tota religio infamari, et in aliis quae in capitulo de graviori culpa continentur.

In recipiendis etiam apostatis, et eis qui per brevia plures annos habitum dimiserunt, videant, ne cum fermento modico totam massam corrumpant, et ex nimia misericordia erga paucos, crudeles in communitatem inveniantur, et ideo qui fuerunt quatuor annos sine habitu, nolumus, posse recipi sine licentia reverendissimi magistri ordinis, et illi qui ad civitates suspectas de haeresi accesserunt vel post haec accesserint, non recipiantur nisi tamquam apostatae.

Item ordinantes mandamus, ut nostra constitutio observetur, ne scilicet fiant aut fieri permittantur in domibus nostris curiosates aut superfluitates notabiles in sculpturis aut picturis, et confirmantes propterea ordinationem factam hoc anno a reverendissimo patre nostro generali in conventu Victoriensi, qua inhibitum est, ne claustrum cum sculpturis, prout inceperant, prosequantur.

Item ne fiat aedificium aliquod vel constructio notabilis in aliquo conventu, nisi de assensu patrum et cum licentia provincialis et cum consilio peritorum; et quod taliter ab uno priore inceptum est, subsequens prosequatur, et non magis nova aedificia inchoat. Et qui his contravenerint, poenae gravioris culpae debitae subiacere intelligantur.

Item ordinamus, ut in creandis praedicatoribus generalibus conditiones debitae observentur, ut scilicet tales sint, qui in provincia illa saltem per tres quadragesimas in aliqua bona civitate vel terra gloriose praedicaverint, et pro gloriosis praedicatoribus habeantur, et qui sint maturi et discreti ad negocia ordinis pertractanda, et aetatis ad minus ·xxxv· annorum, et nihilominus theologiam audierint saltem per tres annos, prout in constitutionibus et ordinationibus capitulorum generalium continetur; quod si contrafiat aut factum fuerit, totum irritum decernimus et inane.

In conferendis itidem gradibus baccalaureatus seu praesentaturae et magisterii cum aliis conditionibus requisitis, hoc etiam observetur, ut ad magisterium nullus promoveatur ante aetatem triginta annorum, et haec clausula, cum iam ante hoc habeat tria capitula generalia, in capitulo de studentibus apponatur.

Ordinamus item, ut de cetero in nullo studio nostri ordinis baccalaurei extraordinarii assignentur ad legendas sententias pro forma et gradu magisterii, et minus in conventibus, ubi in veritate non est studium generale. Et qui ita hactenus assignati sunt, nunquam cursum peregisse intelligantur, nisi saltem per duos annos adhuc legerint tanquam baccalaurei ordinarii in conventu, ubi viget in veritate studium generale.

Item ordinantes reprobamus abusum quarumdam provinciarum de loco dando lectoribus super omnes patres; mandantes et praecipientes in virtute sanctae obedientiae consuetudinem antiquam nostri ordinis ubique ab omnibus observari, ut fratres subditi et non graduati locum teneant secundum ordinem suae professionis, sive sint patres consilii seu de gratia sive non.

Item reprobamus abusum quorumdam claustralium sive conventualium de vendendis aut etiam testandis post mortem cameris, irritantes quascumque concessiones, si quae sunt super his hactenus factae, et ordinantes, ut si de cetero usus illarum concessus fuerit viventibus, semper ponatur in litteris concedentis ad beneplacitum nostrum et nostrorum successorum.

Item ordinamus, ut in qualibet provincia praeter generalia studia sint lectiones in conventibus praesertim principalioribus et sacrae bibliae et theologiae, vel philosophiae saltem, in quibus iuvenes exerceantur. Et in minoribus conventibus, ubi haec servari non possunt, teneantur vel conclusiones aliquae de casibus conscientiae, vel studiosum exercitium sacrae scripturae, super quibus gravamus conscientias provincialium, ut haec servari curent, et priores, quos contra hoc negligentes invenerint, absolvant.

Ordinamus item, ut non solum in sacra theologia sed etiam in philosophia ab omnibus lectoribus legatur, declaretur et defendatur semper doctrina sancti Thomae, sicut mandatum est a patribus nostris in pluribus capitulis generalibus; ita ut in summulis legatur ab omnibus Petrus Hispanus et bene intelligatur, reiectis sophisticis argutiis, in logica textus Aristotelis et in philosophia similiter cum integro commento sancti Thomae, relictis inutilibus et sophisticis argumentis. In sacra theologia item declaretur totus articulus scilicet sancti Thomae, et ex ipsomet sancto Thoma elucidetur et difficultatibus respondeatur, ut habetur apud Capreolum vel Cayetanum, relictis propriis fantasiis et scartafaciis, a

quorum scribendorum obligatione omnes et singulos scholares absolvimus, nolentes eos ad id posse a quoquam magistro generali inferiore de caetero obligari.

Item ordinamus pro uniformitate nostri ordinis, ut cappae in conventu a paschate resurrectionis usque in festum omnium sanctorum nonnisi in communione et a servitoribus missarum portentur ; in hyeme vero in provinciis, ubi consuetum est, portari possint praeterquam in mensa.

Item ordinantes strictissime inhibemus praelatis et praesidentibus conventuum sub poena absolutionis statim, si contrafecerint, incurrenda, ne de caetero aliquam mulierem ad habitum tertii ordinis recipiant, quae sit aetatis minoris quam quadraginta annorum et quae non habeat, unde de victu et vestitu sufficienter sibi valeat providere. Quod tamen non de monasteriis collegiatis, sed de his, quae in propriis domibus habitant, intelligimus.

Item quoniam multae provinciae defecerunt et contributiones tam reverendissimi generalis quam reverendi procuratoris ordinis adeo sint imminutae, ut ex eis sustentari non possint, ordinamus, ut de caetero omnes remanentes provinciae solvant iuxta infrascriptam taxam videlicet :

Provincia Hispaniae solvat reverendissimo generali ducatos ·xxv· et reverendo procuratori ducatos decem.

Provincia Tolosana patri generali ducatos 12, reverendo procuratori ducatos quatuor.

Provincia Franciae ducatos 25, rev. procuratori ducatos 5.

Provincia utriusque Lombardiae reverendissimo generali ducatos 25, reverendo procuratori ducatos 10.

Provincia Romana reverendissimo generali ducatos 8, reverendo procuratori ducatos 4.

Provincia Regni 16, procuratori 8.

Provincia Hungariae 4, procuratori 2.

Provincia Poloniae 8, procuratori 4.

Provincia Graeciae 4, procuratori 2.

Provincia Aragoniae 16, procuratori 8.

Provincia Provinciae 14, procuratori 6.

Provincia Dalmatiae 6, procuratori 4.

Provincia Trinacriae 18, procuratori 8.

Provincia Portugalliae 10, procuratori 6.

Provincia Beticae 20, procuratori 8.

Provincia Germaniae inferioris 18, procuratori 8.

Provincia sancti Thomae 12, procuratori 6.

Provincia Calabriae 12, procuratori 4.

Provincia sanctae Crucis 6, procuratori 2.
Provincia sancti Iacobi de Mexico 25, procuratori 6.
Provincia sancti Ioannis Baptistae del Peru 16, procuratori 8.
Provincia sancti Vincentii Indiarum 10, procuratori 5.
Congregatio Gallicana 25, procuratori 5.
Congregatio Franciae 10, procuratori 4.
Congregatio Ragusina 4, procuratori 3.
Vicaria sancti Dominici 12, procuratori 4.
Vicaria sancti Petri Martyris 7, procuratori 4.
Vicaria Romana 8, procuratori 4.

Denuntiationes.

Denuntiamus et intimamus reverendissimum magistrum ordinis nostrum generalem in pluribus provinciis rogatum instantissime fuisse, quod curaret, ut breviarium nostri ordinis in multis deturpatum et corruptum in praesenti capitulo purgaretur et reformaretur, et multa circa divinum officium in melius commutarentur. Et propterea fuisse sibi oraculum sanctissimi domini nostri papae a nostro reverendissimo protectore collectum, in haec verba transmissum:

Nos Ioannes miseratione divina episcopus Portuensis S. R. E. cardinalis, de Salviatis vulgariter nuncupatus, ordinis praedicatorum protector. Universis et singulis has nostras litteras inspecturis fidem facimus et in verbo veritatis attestamur, qualiter hodie sanctissimus in Christo pater et dominus noster dominus Iulius divina providentia papa III vivae vocis oraculo nobis et ad instantiam nostram super hoc facto concessit, quod quicquid in proximo generali capitulo ordinis praedicatorum anno videlicet 1551 celebrando, magister generalis ipsius ordinis cum prioribus provincialibus ad divinum pertinens officium ordinaverint, mutaverint, correxerint, addiderint, vel minuerint, totum id habeat vim et robur constitutionum, ac si per tria capitula generalia continua fuerit approbatum et approbatum fuisset, non obstantibus constitutionibus praefati ordinis in contrarium facientibus quibuscunque. In quorum fidem praesentes manu propria subscriptas fieri, et per infrascriptum secretarium nostrum subscribi, sigillique nostri, quo in similibus utimur, iussimus et fecimus appensione muniri.

Datum Romae in palatio nostrae residentiae anno a nativitate domini 1550 die vero 17 Decembris, pontificatus sanctissimi domini nostri praelibati anno primo.

Ioannes episcopus Portuensis cardinalis ut supra.

Dominicus Rosinus secretarius de mandato etc.

Hac igitur supradicta auctoritate suffulti, infrascripta nos circa praedicta ordinasse denuntiamus, videlicet :

In primis pro conservanda, et magis exaltanda solemnitate dierum dominicalium, qui in tota ecclesia in memoriam dominicae resurrectionis ab omnibus universaliter celebrantur, ordinamus, ut de cetero ipsi dominici dies ita celebrentur per totum annum, quod quando festum aliquod simplex in ipsa dominica evenerit, in secundam feriam vel in aliam sequentem, si in secunda aliud simplex vel maius fuerit, transferatur. Officium vero de simplici octava non solemne propter dominicam dimittatur nisi in dominicis, quae occurrunt inter nativitatem domini et octavam epiphaniae, et etiam in die octava apostolorum Petri et Pauli, propter propriam homiliam. In octavis vero aut infra octavas solemnes fiat officium de octavis, sed legatur tamen homilia dominicalis, nisi octava fuerit habens propriam homiliam. Homilia vero de vigiliis, exceptis nativitatis domini et epiphaniae, si vigiliae in dominica evenerint, in praecedenti sabbato legantur, licet fiat officium de beata virgine. Si autem in ipso sabbato festum aliquod simplex aut maius fuerit, pro illo anno ipsa homilia de vigilia omittatur. In omnibus autem missis ipsarum dominicarum, et similiter in missis et officiis festorum duplicium cantentur cantus, qui pro festis semiduplicibus notati sunt, prout alias ordinatum est.

Declarantes inter octavas solemnes quatuor tantum solemnissimas esse videlicet : nativitatis, resurrectionis, penthecostes et corporis Christi, in quibus omnibus diebus octavarum Credo in missa cantandum est. In ceteris vero octavis nequaquam, prout alias declaratum fuit. Et idcirco mandamus missalia aliter habentia corrigi, et hanc rubricam inter ceteras annotari. Octavae vero nativitatis et visitationis beatae Mariae virginis non debent tanquam solemnes alicubi celebrari.

Item confirmavimus, ut de beata Martha fiat festum duplex, et quod de ea officium dicatur, prout habetur in communi unius virginis, excepto quod pro primo hymno dicatur « huius obtentu etc. » prout consuetum est, et in primo responsorio, ubi dicitur « pro cuius amore sanguinem tuum fudisti », dicatur « pro cuius amore saeculum contempsisti ».

Item pro beata Anna et pro beata Elisabeth vidua, ubi de ipsa fiunt IX. lectiones et pro similibus, si quae occurrerint, iuxta consuetudinem Romanae ecclesiae novum officium de non virginibus neque martyribus approbavimus, quod in fine curabimus apponendum.

In conceptione vero seu in sanctificatione, praesentatione et visitatione beatae Mariae virginis fiat officium sicut in nativitate eiusdem, et in festo undecim millium virginum ubique de communi plurimorum

martyrum, et de beato Ioseph tam in officio quam in missa praeter epistolam et evangelium de communi confessorum, prout alias ordinatum est, et communiter in toto ordine observetur. Et nova officia et missae consimiles de breviariis et missalibus tollantur.

Item ordinavimus, quod de officiis translationum sanctorum nostri ordinis seu aliorum de cetero nihil fiat, nisi in conventibus ubi translata dicta sanctorum corpora requiescunt.

Item ordinavimus, quod festa sancti Hilarii Pictaviensis, magni fidei defensoris die ·XIIII· ianuarii cum memoria sancti Felicis, dimisso beato Remigio, de quo die ·VIII· octobris agitur, et sanctorum Cornelii et Cipriani die ·XVII· septembris. Item patris nostri Athanasii die ·IX· maii, sancti Ioannis Chrisostomi die ·XXVII· ianuarii, et magni Basilii ·XIV· iunii sub festo duplici celebrentur.

Item absolvimus tam chorum quam ministros altaris ab obligatione recitandi vigilias trium lectionum pro mortuis, prout hactenus observatum est. Et in recompensatione pro debito iustitiae et charitatis ordinavimus et ita servari volumus, ut nullis festis aut octavis etiam solemnibus obstantibus praeter octavas paschae et penthecostes totum officium pro ipsis defunctis cum novem lectionibus qualibet hebdomada semel ab omnibus et singulis fratribus, tam in choro quam extra existentibus persolvatur. Et in mane sequenti pro ipsis una missa cantetur de Requiem, si non sit dies multum solemnis, alias cantetur missa ordinaria cum oratione : Omnipotens sempiterne deus, qui vivorum dominaris etc., et cum aliqua processione per claustrum vel per ecclesiam cum responsorio vel responsoriis etc. et hoc inviolabiliter in omnibus conventibus nostri ordinis observetur ; super quo tam praelatorum quam cantorum conscientias oneramus. Qui etiam curent, ut tali die et hora praedicta fiant, quibus omnes possint interesse. Ad quae omnes et singuli teneantur etiam magistri et actuales lectores, suis dispensationibus non obstantibus.

Item ut in officio quotidiano beatae virginis tam in vesperis quam in matutinis semper fiat memoria post primam collectam de beato Dominico, deinde de sanctis ordinis, postea de patrono ecclesiae, ubi est consuetudo, et ultimo de sanctis omnibus et pro pace. Et in officio maiori nullae fiant aliae memoriae, nisi quae particulariter pro tempore sunt signatae.

Item quod in memoria sanctorum nostrorum nomen sancti Antonini tamquam pontificis, prout decet, nomini sancti Thomae et Vincentii praeponatur, et in letaniis recitetur inter pontifices post sanctum Nicolaum.

Item declaravimus, letanias debere dici in choro, quando fit de feria, prout hactenus factum est, sed in eis non repetatur a choro nomen

alicuius sancti, sed solum respondeatur : « Ora pro nobis », neque dicantur post matutinas, sed in sero praecedenti post completorium, ubi melius omnes fratres conveniant ; qui tamen non convenerint vel extra conventum fuerint, ad eas minime teneantur.

Item quod in ipsis letaniis nomina sanctorum, qui non habentur in antiquo ordinario, a nemine apponantur et apposita deleantur.

Item denuntiamus, nos ordinasse correctionem lectionarii sanctorum, ita scilicet ut in festis sanctorum, si sunt novem lectiones, tres ex illis, si vero trium una saltem de sacra scriptura legantur, exceptis hebdomadae paschae et penthecostes, et historiae aut apochriphae aut minus verisimiles, ut de pluribus apostolis, de beata Anna, de beata Ursula, de praesentatione virginis et consimiles, omnes pro honore nostri ordinis removeantur, et lectiones potius de authenticis sanctorum sermonibus ponantur. Et idem dicimus de multis missis novis appositis in missalibus, ad quae perficienda reverendissimo patri nostro generali nostram authoritatem commisimus, ut per suos socios aut alios idoneos tam missalia quam breviaria et ordinarium sive rubricas ab huiusmodi repurgari et reformari faciat, mutando etiam, si videbitur, aliquot homilias et sermones, praesertim sine certo titulo in lectionariis tam de tempore quam de sanctis. Et propterea omnibus et singulis fratribus nostri ordinis in virtute sanctae obedientiae et sub poena gravioris culpae praecipimus, ne ante praefatam correctionem alia breviaria vel missalia imprimi faciant aut permittant, sed postquam taliter reformata impressa fuerint, sua priora et praesertim Hispali impressa ad eandem formam corrigant et emendent.

Item denuntiamus, nos ordinasse, ut completorium etiam diebus ieiuniorum semper in choro per « Iube domne » etc. incipiatur, et quod, quando dicitur « Noctem quietam », omnes fratres sicut in aliis benedictionibus inclinent, prout in multis provinciis observatur, et quod huic ordinationi contrariari videtur in constitutionibus capitulo de collatione, corrigatur conformiter ad hanc determinationem.

Item quando dicitur psalmus « Laudate pueri » omnes erecti inclinent caput ad « Sit nomen domini benedictum », sicut fere in toto ordine observatur.

Item quod missa tali voce adeo distincte dicatur, quod sacerdos audiri et intelligi possit a populo circumstante, e contra vero canon et verba consecrationis proferantur secreto et reverenter, et facientes contrarium puniantur.

Item quod in missa tam privata quam communi nihil, quod notatum in nostro ordinario non est, interponatur, sicut versus quidam inter « Kyrie » « Cunctis potens genitor » etc. cum sequentibus et in

« Gloria in excelsis » in missis de beata virgine post versum « Tu solus sanctus » « Mariam sanctificans », « Tu solus dominus » « Mariam gubernans » etc., quae in aliis capitulis proposita nequaquam approbata fuerunt. Sed neque post communionem interponat sacerdos, sicut quidam faciunt, « Nunc dimittis » vel « O sacrum convivium », vel alia huiusmodi alta voce, sed simpliciter « Quod ore sumpsimus » etc. Et expediat se ad missam perficiendam, plicationem corporalis reservans post benedictionem, quando evangelium « In principium » dicitur; post quod etiam alia non addantur.

Item quod pax detur tantum cum patena vel aliqua imagine tam ministris altaris quam fratribus in choro existentibus.

Item pro sublevandis conversis, tam fratribus quam sororibus, qui magis pro servitiis aliorum quam pro divinis officiis recipiuntur, a tam multa recitandi obligatione statuimus, quod pro matutinis loco viginti octo vel quadraginta pater noster tam in diebus trium quam novem lectionum sufficiant viginti quatuor; pro vesperis duodecim, pro ceteris autem horis septem pater noster, ut hactenus servatum est. Pro psalterio vero in suffragiis defunctorum pro quingentis pater noster dicant centum quinquaginta, et pro psalmis poenitentialibus, ubi centum habebant, sufficiant viginti quinque; et ita constitutiones in capitulis de conversis et de suffragiis mortuorum reformentur. Et haec omnia, quae tam de missa quam de officio ordinata praemisimus, tamquam si habeant tria capitula continua, ut supra denuntiatum est, sunt ab omnibus observanda.

Item denuntiamus, nos renuntiasse omnibus privilegiis praesertim minorum, in quantum tangunt authoritatem de audiendis confessionibus fratrum in praeiudicium praelatorum et authoritatem praelatorum in promovendis fratribus ad sacerdotium infra vigesimum quartum annum completum, inhibentes omnibus prioribus, etiam provincialibus, ne ante dictum terminum a iure positum exponant quemquam ad sacerdotium.

Item cum monialium cura a principio ordinis reverendissimo generali unice demandata fuisse noscatur, denuntiamus, nos renuntiasse, et ita renuntiamus moniales s. Xisti de Urbe et eas omnibus gratiis et beneficiis ordinis nostri privamus, si statim a notitia praesentis intimationis non renuntiaverint litteris in forma brevis, quibus volunt provinciali et priori unius conventus subesse, non autem generali. Hoc enim tamquam monstrum et schisma iudicavimus prorsus a nostro ordine explodendum.

Inchoationes.

Inchoamus, ut in capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur de electione provincialis fienda extra capitulum, quod tantum spectat ad priores conventuales et ad praedicatores generales et duos fratres de quolibet conventu, mutetur hoc et dicatur: et ad unum fratrem de

quolibet conventu etc., et hoc ad evitandum tot expensas et superfluos discursus, et immediate ubi subsequitur : ad hoc idem pro qualibet electione provincialis fienda noviter electos, dicatur : noviter electum, et addatur : nisi confirmator praesens fuerit vel in tam parva distantia, quod ante dissolutionem prioris congregationis potuerit de cassatione electionis prius factae, si eam cassari contingat, nuntium pervenire. Tunc enim et secunda et tertia, si opus fuerit, electio ad eosdem pertinebit, et hoc propter causam supradictam. Et infra ubi dicitur : unus autem de illis duobus electoribus illo anno in socium prioris conventualis eligatur, notetur conformiter ad supradicta, ut dicat : et ille elector supradictus, sit illo anno socius prioris.

Item in capitulo de electione magistri ordinis, ubi dicitur : si autem in aliqua provincia provinciale capitulum fuerit celebratum et in proximo festo penthecostes electio magistri fuerit facienda, diffinitor capituli generalis in anno diffinitorum et socius eius sint illo anno magistri ordinis electores, subiungatur : si autem quia capitulum generale instare illo anno non putabatur, vel ex alia quacumque causa diffinitor et socius praedicti non fuerint electi, neque suppetat tempus, ut eligantur, vel futurum capitulum sit priorum provincialium, tunc duo de diffinitoribus praecedentis capituli provincialis etc.

Item inchoamus, ut in capitulo octavo de capitulo generali, ubi dicitur : priores quoque provinciales absoluti loca in provinciis, in quibus praefuerunt, super omnes alios ubique habebunt, addatur : et similiter primam vocem in omnibus electionibus provincialium et diffinitorum et electorum magistri ordinis habebunt.

Item in capitulo, ubi dicitur : priori vero provinciali eunti ad capitulum generale detur socius a diffinitoribus provincialis capituli, addatur : qui, si priorem provincialem impediri contigerit, quod ad capitulum generale in anno provincialium non accedat, loco ipsius cum prioribus provincialibus admittatur ad omnia tractanda et diffinienda. Et hoc in tribus capitulis generalibus fuit alias ordinatum.

Confirmationes.

Confirmamus ordinationem factam in capitulo praecedenti, quod nullus fratrum nostrorum accedat ad curiam Romanam sine expressa licentia sui provincialis habita in scriptis, et hoc sub poena carceris statim incurrenda; quam ordinationem etiam ad fratres Romanae provinciae extendi volumus.

Item confirmamus, quod, quando pulsantur organa in missa, « Gloria in excelsis » a choro et organis alternatis, « Credo » autem totum a choro dextro et sinistro, vel a cantoribus et choro alternatis similiter versibus cantetur.

Item confirmamus, quod graduati aliter quam per viam ordinis sive per breve sive per saltum non habeant locum, quousque per capitulum generale fuerint approbati.

Item confirmamus, quod in conventu Parisiensi baccalaurei extraordinarii admittantur ad consilium patrum eiusdem conventus; et in determinationibus promovendorum excludantur officiales, qui de eorum sufficientia iudicare nequeunt.

Item confirmamus determinationem pro eodem conventu a reverendissimo generali factam, quod in promovendis stetur determinationi consilii Parisiensis, et non capituli congregationis.

Item confirmamus sententiam latam a reverendissimo generali inter conventus Pruvinensem provinciae Franciae et Trecensem congregationis Gallicanae circa terminos eorumdem et fr. Stephanum Mangonis, si, ut dicitur, ab illa sententia appellavit extra ordinem, magisterio privamus, et respicientes arctitudinem terminorum praefati conventus Pruvinensis et eius paupertatem mandamus, quod nullus nostri ordinis audeat praedicare ultra fluvium Matronae a Parisiis absque licentia prioris Pruvinensis.

Declarationes.

Declaramus conformiter ad nostras constitutiones, neminem posse assumere gradum magisterii in theologia nisi prius actus exercuerit pro forma et gradu dicti magisterii per annos quatuor ad minus in aliqua universitate, declarantes conventus universitatum, in quibus dicti actus exerceri possunt, esse infrascriptos, videlicet:

In primis conventum nostrum Parisiensem.

Item in provincia Hispaniae conventum Salmantinum, Valleoletanum, Segobiensem et de Trianos.

In provincia Tolosana conventum Burdegalensem.

In provincia Franciae conventum Bituricensem.

In provincia utriusque Lombardiae conventum Bononiensem.

In provincia Romana conventum Perusinum.

In provincia Regni conventum Neapolitanum s. Dominici.

In provincia Provinciae conventum Aquensem.

In provincia Aragoniae conventus Barchinonensem et Valentinum.

In provincia Trinacriae conventum s. Dominici de Panormo.

In provincia Portugalliae conventum Ulixbonensem et de Bello.

In provincia Betica conventum Cordubensem et Hispalensem.

In provincia inferioris Germaniae conventum Lovaniensem.

In provincia s. Thomae conventum Andriensem.

In provincia Calabriae conventum Consentinum.

In congregatione Gallicana conventum Nanetensem.

In congregatione Franciae conventum Tolosanum.
In provincia s. Crucis Indiarum conventum civitatis s. Dominici.
In vicaria s. Dominici conventum Patavinum.
In vicaria Romana conventum s. Mariae Novellae de Florentia.
In vicaria s. Petri Martyris conventum s. Eustorgii Mediolanensis.

Protestamur autem actus scholasticos sive lecturas sententiarum extra hos conventus supradictos nullatenus in posterum debere cuiquam pro suscipiendo magisterio suffragari, salva tamen concessione apostolica, facta aliis universitatibus provinciae Franciae.

Declaramus, reverendum vicarium congregationis Gallicanae pro tempore in determinationibus promovendorum nostri conventus Parisiensis non habere nisi unam vocem tantum, sicut in toto ordine consuetum est, et quia contrarium hoc anno factum percepimus, idcirco fratrem Petrum Richer congregationis praedictae ad lecturam bibliae in conventu Parisiensi per talem vocem determinatum cum deiectione alterius, qui alioquin plures habebat, admittere noluimus.

Item declaramus, nullum provincialem vel vicarium habere potestatem dispensandi ordinarie cum uno vel pluribus conventibus super esu carnium in communi, esseque hanc censendam non pro causa dispensationem, sed magis ipsarum constitutionum immutationem.

Item declaramus domum sancti spiritus Toletani id est beatas sive sorores ad eam pertinentes, esse exclusas a nostri ordinis obedientia, quas et nunc denuo excludimus et renuntiamus, ac propterea liberatum esse monasterium matris dei eiusdem civitatis ab annua obligatione solvendi dictae domui vel beatis viginti fanegas tritici, quas debebat ex dispositione domini Martini.

Item declaramus, in provinciis Indiarum sufficere senarium numerum fratrum ad conventum constituendum, prout authoritate apostolica est concessum.

Item declaramus et determinamus, provinciales nostros Franciae et Germaniae inferioris in posterum expleto quadriennio provincialatus, statim fore a suo officio absolutos, et ita eos nunc pro tunc a dicto officio absolutos decernimus et declaramus iuxta determinationem apostolicam Iulii papae secundi.

Acceptationes.

Acceptamus breve apostolicum olim a reverendissimo Cayetano a Leone papa decimo impetratum, directum congregationi Tusciae in haec verba :

Leo papa X. Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem. Exposuit nobis dilectus filius Thomas vestri ordinis magister generalis,

quod licet ipse cum multorum patrum vestrorum consilio pro quiete et pacifica libertate votorum in electionibus et in aliis quibusdam rebus, quantum in se fuit, ordinaverit et statuerit, quod vota singulorum sic essent secreta, ut nullus posset scire alicuius determinatae personae votum, ac per hoc electiones fierent per viam compromissi, ita limitati, ut scilicet a compromissario vel compromissariis eligatur, qui a maiori parte omnium eligentium et una amplius voce esset nominatus per cedulas singulorum, in quibus nomen tantum unius eligendi scriptum esset, alia vero, quae circa determinatas personas per suffragia fieri solent, ut recipere aliquem ad habitum vel professionem, instituere aliquem in sindicum, et alia huiusmodi per fabas albas et nigras, vel aliquid simile fierent; verum quia in dubium verti posset, an in electione per viam compromissi sic limitati requiratur consensus omnium in hanc formam, et si confirmatori per hoc auferretur via discernendi ex decreto electionis meritum et zelum eligentium, ut nos providere dignaremur de benignitate apostolica, humiliter supplicavit. Nos attendentes pacem ipsam esse quid praecipuum bonum, praesertim eorum, qui in religione conveniunt et in electionibus libertatem votorum esse maxime fovendam, huiusmodi supplicationibus inclinati, tenore praesentium apostolica authoritate literas magistri generalis praedictas, quas una cum contentis in eisdem, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro expressis habemus, approbantes statuimus et decernimus, ut non solum in dicta vestra congregatione, sed etiam in universo praedicatorum ordine et monasteriis sororum dicto ordini commissis in omnibus electionibus dicta forma, ut praefertur, servari possit, ita tamen quod duae partes eligentium consentiant in eam formam, cum non sit verisimile duas partes consensuras in dictam formam, debito zelo postposito, vosque in domino hortamur, ut in favorem pacis huiusmodi formam amplectamini. Et nihilominus mandamus vobis, ut alia quae per suffragia absque canonica electione circa determinatas personas per vos concludenda sunt, collatione prius facta, et auditis omnibus volentibus aliquid in negotio, de quo agitur, dicere, cum ad vota pervenitur, per fabas vel simile vota non nisi secrete dentur, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac dicti ordinis caeterisque in contrarium facientibus quibuscunque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima tertia februarii pontificatus nostri anno secundo.

Iacobus Sadoletus.

Nos igitur apostolicas literas acceptantes, declaramus hanc formam cum aliis, quae in constitutionibus sunt, fratribus electoribus debere proponi; quam si duae partes acceptaverint, compromissarios eos eligere oportebit, qui ad bancum resideant, cedulas recipiant, numerent, et si conveniant cum numero vocalium, aperiant, legant, computum faciant et electionis denique decretum forment; quae quidem compromissariorum electio ita fieri debet, ut proponantur primo antiquiores quousque duo vel tres inveniantur, qui a maiori parte vocalium sint recepti, quorum antiquior, si aliquem in cedulis a maiori parte et una amplius utpote a duodecim, si sint viginti, vel ab undecim si sint decem et novem, nominatum invenerit publicata electione, decretum in haec verba formet:

Ego frater N. primus compromissarius huius capituli vice mea et meorum collegarum, virtute compromissi in nos facti, eligo fratrem N. in priorem huius conventus vel in priorem provincialem huius provinciae, in nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

Neque autem obstat, quod ille, qui formare debet decretum, non nominaverit eligendum, quia non elegit virtute compromissi in se facti. Ponitur autem in ipsa forma, quod ultra maiorem partem una adhuc vox seu nominatio requiratur, ne si forsan, quod absit, aliquando se quisque in sua cedula nominaverit, electio sufficienti vocum numero defraudetur.

Item acceptamus nostras novas provincias Indiarum videlicet: sanctae Crucis in insula Hispaniola, sancti Iacobi de Mexico, et sancti Ioannis Baptistae del Peru, et propter earum magnitudinem eas iterum dividendas et secundum petitionem consilii regii et earumdem provinciarum opportunitatem iuxta audientias regias terminandas censuimus, et ita dividimus et terminamus:

Provincia sanctae Crucis habeat insulam Hispaniolam cum adiacentibus insulis, videlicet de Cuba, sancti Ioannis, Portus divitis et Iamayca.

Provincia sancti Iacobi habeat novam Hispaniam a terra Tequantepeque exclusive usque ad Floridam.

Aliam provinciam ibidem de novo erigimus a Tequantepeque inclusive usque ad oppidum de nata Hispanorum per litus Antarticum.

Item a litore Artico ad oppidum de Guazaqualco inclusive, ita quod contineat quatuor episcopatus, videlicet de Chiapa, Guatimala, Nicaragua, Honduras, et appelletur provincia sancti Vincentii de Chiapa, quam cum aliis recipimus cum omnibus gratiis et privilegiis, quibus provincia sancti Iacobi potitur, nec non et aliae provinciae nostri ordinis, dantes sibi pro hac prima vice in provincialem per quattuor annos fr. Thomam de Turre; et in terra verae pacis mandamus construi conventum

sub nomine beati Dominici, patris nostri, cui pro prima vice praeficimus in priorem fr. Petrum de Angulo.

Provinciam sancti Ioannis Baptistae terminamus a portu nominis Dei inclusive et ultra quousque terminetur; quam dividentes aliam provinciam erigendam decernimus sub nomine sancti Antonini de Novo regno, cui assignamus novum regnum de Granata et novum regnum de Popayan usque ad provinciam de Guito exclusive, et per terram interiorem quousque terminetur, per litus vero maris ab oppido de Acla cum provincia Carthagenae et sanctae Marthae, et Promontorii de la Acla, et Venezuela, Cumana, cum insula de Cubagua, et caeterum litus, quousque terminetur. Quia tamen pro nunc sufficientem numerum fratrum et conventuum non habet, volumus, ut sub titulo congregationis sub provincia supradicta sancti Ioannis Baptistae per vicarium gubernandam remaneat, quousque melius coalescat, et nostro reverendissimo patri generali aliter videatur; cui nunc damus in vicarium fr. Petrum de Miranda (1), assignantes in ea fr. Ioseph de Robles cum omnibus fratribus, qui in ea sunt et qui cum eo deputati fuerant pro provincia del Rio de la Plata.

Quibus provinciis propter maximam ab orbe nostro distantiam concedimus, quod stare possint constitutionibus et ordinationibus capitulorum generalium antiquis usque ad annum 1505, neque ad novas teneantur, nisi quatenus eis innotuerit.

Supradictas autem quatuor provincias erectas et constitutas mandamus in nostris constitutionibus post provincias sancti Thomae et Calabriae sub titulis et nominibus annotari.

Item acceptamus novam congregationem in Indiis serenissimi regis Portugalliae cum conventu in ea ab ipso serenissimo rege aedificato, quem cum aliis erigendis esse volumus sub obedientia reverendi provincialis Portugalliae, quousque ipsa congregatio in provinciam erigatur.

Item acceptamus divisionem nationis Aprutinae a provincia Apuliae seu sancti Thomae propositam a dictae provinciae priore provinciali propter nimiam distantiam et difficultatem visitandi eam, et de novo erigimus in congregationem Aprutinam, regendam per unum vicarium sub reverendissimo generali immediate, prout ante quinque annos fuerat alias constitutum.

Translationes.

Transferimus fratrem Vincentium de sancta Cruz a conventu Granatensi provinciae Beticae ad conventum seu collegium Complutensem provinciae Hispaniae. Item fratrem Vincentium de Aldea nova conver-

(1) De fr. Petro de Miranda cf. supra pag. 312.

sum a conventu sanctae Chaterinae de la Vera ad conventum sancti Dominici de Caceres. Item fratrem Lodovicum Arnandi a conventu Tarrasconensi ad conventum Draginiani. Item fratrem Dominicum de Grangia a conventu Arelatensi ad Narbonensem. Item fratrem Ioannem de Angulis et fratrem Petrum Arnulphi a congregatione Franciae ad conventum Narbonensem provinciae Provinciae. Item fratrem Dominicum Fabro a provincia Aragoniae ad provinciam Tholosanam. Item fratrem Franciscum Lereti ad conventum Genesiaci, et fratrem Petrum de Larquerio a conventu sancti Severi ad conventum Orthesii.

Licentiae promovendorum.

Licentiamus ad magisterium in sancta theologia in provincia Hispaniae fratrem Dominicum de Arteaga (1), fratrem Alvarum Osorio, fratrem Christophorum a Corduba, fratrem Dominicum de Cuevas, fratrem Ioannem Suarez (2). Ad baccalaureatum vero seu praesentaturam fratrem Thomam de Xuara, fratrem Ioannem Guttierez (3), fratrem Petrum Lopez, fratrem Ioannem de Avila, fratrem Philippum de Meneses (4).

In provincia Tholosana ad legendum sententias usque ad gradum magisterii exclusive, praemisso etiam rigoroso examine, fratrem Iacobum Carreria, fratrem Ioannem Bellana, fratrem Petrum Valleti, fratrem Petrum de Caza, fratrem Ioannem Fabri, fratrem Ioannem Trinoti; ad praesentaturam fratrem Petrum Doriandi, fratrem Leonardum Mazellieri, fratrem Manaeum Goyon.

In provincia utriusque Lombardiae ad magisterium fratrem Reginaldum de Mantua (5), fratrem Hieronimum de Panormo (6), fratrem Stephanum de Quintiano, fratrem Andream de Imola. Ad baccalaureatum fratrem Agapitum de Fino, fratrem Stephanum de Asta, fratrem Vincentium de Casali.

In provincia Romana ad magisterium fr. Mathaeum Lachium (7); ad baccalaureatum fratrem Maurum Arrighetum (8).

In provincia Aragoniae ad magisterium fratrem Blasium Ferret (9), fratrem Thomam de los Reyes (10), fratrem Petrum de Salamanca. Ad

(1) De fr. Dominico de Arteaga cf. SSOP. II, 218
(2) De fr. Ioanne Suarez cf. supra pag. 307.
(3) De fr. Ioanne Guttierez cf. SSOP. II, 321.
(4) De fr. Philippo de Meneses cf. l. c. pag. 219.
(5) De fr. Reginaldo de Mantua cf. supra pag. 285.
(6) De fr. Hieronymo de Panormo cf. SSOP. II, 210.
(7) De fr. Matthaeo Lachio cf. l. c. pag. 195.
(8) De fr. Mauro Arrigheto cf. l. c. pag. 211.
(9) De fr. Blasio Ferret (Ferrer) cf. supra pag. 308.
(10) De fr. Thoma de los Reyes cf. l. c. pag. 279.

baccalaureatum seu praesentaturam fratrem Dominicum de Sandozon (1), fratrem Thomam de Sivel, fratrem Petrum de Arques, fratrem Antonium Campomar, fratrem Ioannem Ladron, fratrem Laurentium Lopez, cum hac tamen conditione, quod omnes supradicti de hac provincia non suscipiant gradum, antequam a nostro generali reverendissimo examinentur.

In provincia Provinciae ad magisterium fratrem Antonium a Granerio et ad baccalaureatum fratrem Albertum de Grangia, et fratrem Dominicum eius fratrem germanum cum conditione supradicta, quod ante generalem reverendissimum examinentur etc.

In provincia Portugalliae ad magisterium fratrem Bartholomaeum de Martyribus (2). Ad praesentaturam fratrem Alphonsum de Peralta et fratrem Didacum de Moranes et fratrem Georgium Timudo.

In provincia Beticae ad magisterium fratrem Franciscum de la Parca, fratrem Nicolaum de Salas, fratrem Thomam de Molina (3), fratrem Illefonsum Carrillo, fratrem Hieronymum Caro, fratrem Ioannem de Burgoa; ad praesentaturam seu baccalaureatum fratrem Dyonisium de Sanctis, fratrem Lupum de Caizedo, fratrem Antoninum de Leon, fratrem Dominicum de sancto Bernardo, fratrem Franciscum de Fuentes, fratrem Alphonsum de la Milla, fratrem Dominicum de Herrera.

In provincia Calabriae ad magisterium fratrem Ioannem de Castrocucho.

In vicaria Romana ad magisterium fratrem Robertum Vannucium de Florentia.

Approbationes.

Approbamus magisterium reverendi patris procuratoris ordinis fratris Stephani Genuensis (4); item fratris Angeli de Mutina et fratris Placidi de Parma (5); et baccalaureatus fratris Reginaldi de Mantua, fratris Hieronymi de Panormo et fratris Stephani de Quintiano et fratris Andreae de Imola provinciae utriusque Lombardiae; item magisterium fratris Ioannis de Ludenia (6) et fratris Petri de Soto maiori; baccalaureatum fratris Didaci de Horozco (7) et fratris Ioannis de Rivero provinciae Hispaniae; item magisterium fratris Ozoni Ursi provinciae Tolosanae; item magisteria fratris Guilliermi Philon et fratris Iacobi Furre (8) et fratris Iacobi

(1) De fr. Dominico de Sandozon (Sandugon) cf. supra pag. 286.
(2) De fr. Bartholomaeo de Martyribus cf. SSOP. II, 296, 826.
(3) De fr. Thoma de Molina cf. supra pag. 252.
(4) De fr. Stephano de Ianua cf. l. c. pag. 303 et SSOP. II, 145.
(5) De fr. Placido de Parma cf. SSOP. II, 167.
(6) De fr. Ioanne de Ludenia cf. supra pag. 284.
(7) De fr. Didaco de Horozco cf. SSOP. II, 209.
(8) De fr. Iacobo Furre cf. l. c. pag. 249.

Lovati et fratris Ioannis Montot et fratris Roberti Gallart provinciae Franciae; item baccalaureatum fratris Matthaei Lachii provinciae Romanae; item baccalaureatum fratris Ioannis Matthaei Valdina in provincia Trinacriae; item magisterium fratris Martini de Ayanzo (1), et praesentaturam fratris Petri de Salamanca provinciae Aragoniae; item magisterium fratris Alfonsi de sancto Emiliano in provincia Germaniae inferioris; item magisterium fratris Ioannis Mutonis provinciae Provinciae; item praesentaturam fratris Lupi de Avero (2) provinciae Portugalliae; item in provincia Beticae magisterium fratris Foelicis Ponce de Leon, cui damus locum a die suae promotionis; item magisteria fratris Pauli Carpentarii et fratris Durandi de Noalio et fratris Ioannis Baladeri, et praesentaturam fratris Ioannis Pinarii congregationis Franciae et fratris Antonini de Groptulis provinciae sancti Thomae; item fratris Ioannis Antonii Corradini et fratris Hieronymi Vielmi (3) et fratris Ioannis Baptistae Diedo vicariatus sancti Dominici.

Item approbamus magisterium fratris Illefonsi Burgensis et praesentaturam fratris Antonii a Leone et fratris Petri de Ortega provinciae sanctae Crucis, cum hoc quod non promoveatur ad magisterium, nisi legerit per quatuor annos et a sua provincia proponatur.

Item approbamus magisteria fratris Dominici de Guzman et fratris Bernardini Vique et fratris Francisci de Vargas; et item magisteria et praesentationes omnium licentiatorum in praesenti capitulo et aliorum promotorum a nostro reverendissimo patre generali, hac tamen conditione et declaratione posita, ut omnes et singuli locum suum ordinate tenere debeant, ac si universi praesenti die et hora simul magisterium suscepissent.

Item approbamus et confirmamus reprobationem magisterii fratris Iulii Albergheti vicariae sancti Dominici, et fratris Simonis de Termis prov. Trinacriae, quos etiam, si opus est, denuo magisterio privamus.

Approbamus ordinationes factas a reverendissimo patre generali in visitatione conventus Parisiensis pro ipso convento et studio, addentes pro sublevatione expensarum, quod vicarius generalis congregationis tam in prima visitatione quam in secunda, quam facit causa determinationum promovendorum, non possit in eodem conventu manere nisi per decem dies pro qualibet illarum.

Item approbamus ordinationes eiusdem in conventu Burdegalensi factas tam pro erectione studii quam pro morum restauratione.

---

(1) De fr. Martino de Ayanzo cf. supra pag. 308.

(2) De fr. Lupo de Avero (Aveiro) cf. l. c. pag. 307.

(3) De fr. Hieronymo Vielmi cf. SSOP. II, 264.

Item approbamus ordinationes factas a reverendo provinciali Angliae in visitatione provinciae Calabriae et a generali reverendissimo confirmatas, et praesertim quoad studium et modum et ordinem promovendorum.

Item approbamus studia conventus Aquensis et Montis Pesulani in provincia Provinciae, ita tamen quod in Aquensi tantum actus scholastici pro gradibus suscipiendis exerceri possint; mandantes reverendo provinciali sub poena absolutionis ab officio, ne in aliquo ipsorum lectiones intermitti sinat.

Item approbamus studia in conventu Ulixbonensi et de Bello provinciae Portugaliae.

Item approbamus studium erectum in civitate sancti Dominici provinciae sanctae Crucis Indiarum, cui damus in regentem fratrem Illefonsum Burgensem.

Item restituimus studium in conventu Biturcensi provinciae Franciae, cui damus in regentem fratrem Guilliermum Philon; mandantes sub praecepto formali et sub poena absolutionis reverendo provinciali Franciae, quod quam primum provideat de officialibus et studentibus.

Item approbamus scholas erectas a reverendo provinciali sancti Ioannis Baptistae in sua provincia ad docendum indos rudimenta fidei.

Item approbamus lectionem sacrae scripturae in conventu civitatis regum provinciae supradictae, pro qua damus in lectorem fratrem Dominicum de sancto Thoma.

Provisiones studiorum.

In conventu et studio nostro Parisiensi assignamus in regentem principalem fratrem Ioannem Benedicti (1) magistrum; in secundum fratrem Henricum Gervasi (2) magistrum; in tertium fratrem Ludovicum de Bolo (3) magistrum; in quartum fratrem Iulianum Freneum (4) magistrum, quem propterea a prioratu, quem gerit, absolvimus, in quo, cum reverendissimi generalis authoritate Parisiis legeret, neque poterat confirmari.

Ad legendum sententias pro anno quinquagesimo secundo in magnis scholis fratrem Antonium de Mendoza provinciae Bethicae; in parvis scholis fratrem Albertum Freulliet provinciae Franciae, et ad lecturam bibliae fratrem Ioannem Caduel congregationis Gallicanae. Pro anno quinquagesimo tertio ad lecturam sententiarum in magnis scholis fratrem Ni-

---

(1) De fr. Ioanne Benedicti cf. supra pag. 223.
(2) De fr. Henrico Gervasi cf. SSOP. II, 166.
(3) De fr. Ludovico de Bolo cf. l. c. pag. 161.
(4) De fr. Iuliano Freneo (Ferenen.) cf. supra pag. 284.

cholaum Burinum congregationis Gallicanae; in parvis scholis fratrem Rochum Mamerot (1) provinciae Franciae.

Ad lecturam bibliae fratrem Robertum Fourre provinciae Franciae pro anno quinquagesimo quarto; ad lecturam sententiarum in magnis scholis fratrem Petrum Guillioti congregationis Franciae; in parvis scholis fratrem Ioannem Aridiensem congregationis Gallicanae; ad lecturam bibliae fratrem Dyonisium Bodardi congregationis Gallicanae.

In studio Bononiensi assignamus eos, qui deputati sunt per capitulum provinciale.

In studio Salmantino damus in regentem primum fratrem Petrum de Soto maiori; in secundum fratrem Dominicum de Cuevas; in baccalaureum ad legendum sententias et in magistrum studii et biblicum, quos ordinaverit reverendus provincialis Hispaniae.

In studio Neapolitano pro tribus annis damus in regentem fratrem Vincentium de Licio (2) magistrum vel fratrem Marcum de Castromaris magistrum, alterum scilicet duorum, quem reverendus provincialis cum bono consilio determinaverit, qui et eodem modo de baccalaureo providebit.

In magistrum studii pro primo anno fratrem Vincentium de Melphi; pro secundo fratrem Bartholomaeum de Polla; pro tertio fratrem Ioannem de Neapoli; in regentem metaphysicae fratrem Antonium de Martina (3) magistrum.

In studio Perusino damus in regentem pro tribus annis fratrem Matthaeum Lachium, quem licentiavimus ad magisterium; in baccalaureum fratrem Maurum Arrighettum, in magistrum studii pro primo et secundo annis fratrem Thomam Rembottum, pro tertio fratrem Basilium de Pisis.

In studio Barchinonensi damus in regentem pro tribus annis fratrem Petrum Martyrem Coma (4) magistrum, in baccalaureum fratrem Raymundum Pasqual (5); in magistrum studii fratrem Michaelem Pinedo.

In studio Valentino providebit reverendus provincialis Aragoniae.

In studio Cordubensi damus in regentem pro tribus annis fratrem Illefonsum Carrillo; in baccalaureum fratrem Lupum de Cayzedo.

In studio Hispalensi damus in regentem pro tribus annis fratrem Ioannem de Burgoa; in baccalaureum fratrem Alphonsum de la Milla; de magistris studentium providebit reverendus provincialis Beticae.

---

(1) De fr. Rocho Mamerot cf. SSOP. II, 280.

(2) De fr. Vincentio de Licio cf. supra pag. 303.

(3) De fr. Antonio de Martina cf. l. c. pag. 299.

(4) De fr. Petro Martyre Coma cf. l. c. pag. 289.

(5) De fr. Raymundo Pasqual cf. SSOP. II, 310.

In studio Nanetensi assignamus ad lecturam sententiarum pro hoc anno 1551 fratrem Dominicum Sergeant (1) conventus Lavalensis, et fratrem Ioannem Perdier conventus Argentomensis.

Pro anno 1552 fratrem Antonium Choleti conventus Montis Miliani et fratrem Franciscum de Pipere conventus Trecensis.

Pro anno 1553 fratrem Ioannem de Vallae conventus Argentomensis et fratrem Ioannem Mahault conventus Guerrandiae.

Concessiones et commissiones et absolutiones.

Concedimus provinciis Indiarum propter deficientiam sargiarum de lana, ut possint uti tuniculis lineis grossis secundum morem patriarum.

Item concedimus provinciae sancti Ioannis Baptistae, ut aliquibus conventibus propter maximam carentiam piscium et eorum pestiferam qualitatem possint vesci carnibus, etiam in conventibus, secundum discretionem reverendi provincialis.

Item concedimus supradictis provinciis Indiarum, ut si necessarium videbitur propter nimiam locorum distantiam, possint capitula provincialia a quadriennio in quadriennium ab una scilicet electione provincialis ad aliam electionem differre.

Concedit reverendissimus omnibus fratribus, quod possint eligere sibi confessarium unum ex fratribus nostri ordinis, expositis ad confessiones fratrum, a quo possint absolvi ab omnibus et singulis censuris, casibus, peccatis et criminibus, a quibus potest eius reverendissima paternitas, de praeteritis tamen usque ad diem notitiae huius concessionis.

Concedit praeterea, quod quilibet provincialis et diffinitor huius capituli possit recipere unum apostatam in suis provinciis ad habitum et gratias ordinis.

Concedimus fratribus conventus nostri Parisiensis pro necessaria sustentatione pauperum studentium et remotione multorum inconvenientium et dissolutionum, ut possint in communi tribus diebus in hebdomada vesci carnibus. Mandantes reverendo priori, ut eos hac nostra concessione uti et potiri permittat, curans magis, ut tam his tribus quam aliis diebus omnes fratres tam graduati quam non graduati compareant in communitate, neque ullatenus comedant in cameris vel diverticulis in destructionem maiorum religionis et vitae reformatae.

Absolvimus sive absolutum declaramus a provincialatu provinciae Franciae fratrem Stephanum Paris (2) magistrum assumptum ad episcopatum, et instituimus vicarium provinciae et electionis fratrem Petrum Divole (3) magistrum et priorem Altisiodorensem.

(1) De fr. Dominico Sergeant cf. SSOP. II, 269.

(2) De fr. Stephano Paris cf. supra pag. 302.

(3) De fr. Petro Divole cf. l. c. pag. 280.

Item absolvimus a provincialatu Germaniae inferioris fratrem Theodoricum de Eschenobia (1) et instituimus fratrem Cornelium ab Erborne (2) vicarium provinciae et electionis.

Suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo domino nostro papa quilibet sacerdos unam missam.

Pro serenissimo domino nostro imperatore et pro illustrissimo principe filio ipsius, et prole regia quilibet sacerdos unam missam.

Pro serenissimo rege Portugalliae cum regina et principe, filio ipsorum, quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo ac reverendissimo protectore nostro cardinali de Salviatis quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo ac reverendissimo domino cardinali Compostellano, patrono et benefactore nostro singularissimo, quilibet sacerdos unam missam.

Pro reverendissimis dominis archiepiscopo Toletano, patriarcha Saguntino et episcopo Malachitano et episcopo Civitatensi quilibet sacerdos unam missam.

Pro reverendissimis dominis archiepiscopis Hispalensi et Granatensi et episcopis Segoviensi et Abulensi et episcopo sancti Thomae quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimis dominis duce et ducissa Albae cum prole sua quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimis dominis duce Metinae, duce de Arcos, et comite de Urenna cum uxoribus et prole quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo domino comite Beneventano quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimis dominabus domina marchionissa de Pliego et domina marchionissa de Villena quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo domino episcopo Salmanticensi et eius colendissimo collegio quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo domino Roderico Mexia, et aliis nobilibus dominis huius inclytae civitatis Salmanticensis, et aliis benefactoribus huius regni, qui etiam eleemosinas pro nostro capitulo hoc contulerunt, quilibet sacerdos unam missam.

Pro bono statu et reformatione totius nostri ordinis et reverendissimi magistri generalis cum eius societate, necnon pro reverendo procuratore ordinis quilibet sacerdos unam missam.

---

(1) De fr. Theodorico de Eschenobio (Sconovia) cf. supra pag. 274.

(2) De fr. Cornelio ab Erborne (Ertborne) cf. HOOGLAND l. c. pag. 38; videtur esse idem ac C. Evoera, de quo supra pag. 241.

Et ubi imponitur sacerdotibus una missa clericis, semper litaniae, conversis decies pater noster imponuntur.

Suffragia pro defunctis.

In primis pro anima reverendissimi domini cardinalis de Ursinis domini Matthaei ex ordine nostro assumpti, qui perpetuam dedit eleemosinam nostro generali capitulo in suo testamento, quilibet sacerdos unam missam; clerici psalmos poenitentiales, laici ·xxv· pater noster.

Pro animabus fratrum omnium et sororum nostri ordinis, quilibet sacerdos unam missam, clerici psalmos poenitentiales, laici ·xxv· pater noster.

Pro animabus eorum, qui dum viverent, per litteras reverendissimi magistri ordinis recepti sunt ad beneficia ordinis, atque aliis benefactoribus, quilibet sacerdos unam missam, clerici psalmos poenitentiales, laici ·xx· pater noster.

Sententias iudicum approbamus.

Authoritatem reverendorum diffinitorum durare volumus per totum diem dominicum usque ad secundam feriam inclusive.

Mandamus acta capituli huius per reverendos provinciales et socios eorum diligenter conscripta et correcta atque ordinis sigillo sigillata ad suas provincias deferri, et prout ordinavimus publicari.

Sequens capitulum generale, quod erit diffinitorum, assignamus in provincia Romana in conventu sancti Marci de Florentia hinc ad triennium videlicet anno domini 1554.

In festo unius virginis non martyris officium.

Ad vesperas hymnus « Huius obtentu » etc., similiter ad matutinas. Cetera omnia de communi, excepto quod in primo responsorio, ubi dicitur « Pro cuius amore sanguinem tuum fudisti », dicatur « pro cuius amore saeculum contempsisti ».

In festo unius nec virginis nec martyris.

Ad vesperas super psalmos antiphona « Haec est, quae nescivit thorum in delicto » etc. Capitulum « Mulierem fortem quis inveniet? procul et de ultimis finibus pretium eius, confidit in ea cor viri sui, et spoliis non indigebit ». Responsorium nonum. Hymnus « Huius obtentu » etc. Antiphona ad Magnificat « Veni electa mea ».

Ad matutinas invitatorium « Laudemus deum nostrum in solemnitate sanctae N. ». Antiphona prima « O quam pulchra est casta generatio cum charitate » [*al.* claritate]. Antiphona secunda « Unguentum effusum nomen tuum ». Antiphona tertia « Ista est speciosa inter filias Hyerusalem ». Versus « Diffusa est gratia » etc. Responsorium primum « Gaudeamus omnes in domino diem festum celebrantes sub honore beatae N.,

de cuius solemnitate gaudent angeli et collaudant filium dei ». Versus « Confessio et pulchritudo in conspectu eius, sanctitas et magnificentia in sanctificatione eius ». Responsorium secundum « Propter veritatem » etc. Responsorium tertium « Specie tua » etc. Antiphona quarta « Specie tua » etc. Antiphona quinta « Adiuvabit eam » etc. Antiphona sexta « Laeva eius » etc. Responsorium quartum « Accinxit fortitudine lumbos suos et roboravit brachium suum ; gustavit et vidit, quia bona est negotiatio eius, non extinguetur in nocte lucerna eius ». Versus « Lucerna pedibus meis verbum tuum et lumen semitis meis ». « Non extinguetur » etc. Responsorium quintum « Manum suam aperuit inopi et palmas suas extendit ad pauperem. Non timebit domui suae a frigoribus nivium ». Versus « Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in saeculum saeculi ». « Non timebit » etc. Responsorium sextum « Veni, electa mea, et ponam in te thronum meum » etc. Antiphona septima « Dum esset rex in accubitu » etc. Antiphona octava « Exultaverunt filiae Iudae propter iudicia tua domine ». Antiphona nona « Haec est, quae nescivit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum ». Responsorium septimum « Hanc amavi et exquisivi sponsam mihi assumere, et amator factus sum formae illius ». Versus « Fortitudo et decor indumentum eius, et ridebit in die novissimo ». « Et amator » etc. Responsorium octavum « Date illi de fructu » etc. ut habetur in fine. Responsorium nonum « Fallax gratia et vana est pulchritudo, mulier timens deum ipsa laudabitur ». Versus « Date illi de fructu manuum suarum, et laudent eam in portis opera eius ». « Mulier » etc. « Gloria patri » etc. « Mulier timens deum » etc.

In laudibus.

Antiphona « Gratia super gratiam mulier sancta et pudorata, omnis autem ponderatio non est digna continentis animae ». Psalmus « Dominus regnavit ».

Antiphona « Sicut sol oriens mundo in altissimis dei, sic mulieris bonae species in ornamentum domus suae ». Psalmus « Iubilate ».

Antiphona « Fundamenta aeterna supra petram solidam, sic mandata dei in corde mulieris sanctae ». Psalmus « Deus, deus meus ».

Antiphona « Columnae aureae super bases argenteas et pedes firmi super plantas stabilis mulieris ». Canticum « Benedicite ».

Antiphona « Aedificatio civitatis confirmabit nomen, et super hanc mulier immaculata computabitur ». Psalmus « Laudate ».

Capitulum « Mulierem fortem » etc. Hymnus « Pia mater et humilis » etc. « Te deprecamur largius » etc. « Sit Christe rex piissime » etc. Versiculus « Elegit eam » etc. Ad Benedictus antiphona « Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem ; fortitudo et decor

indumentum eius, et ridebit in die novissimo ». Canticum « Benedictus » etc.

Ad tertiam capitulum « Mulierem fortem » etc.

Ad sextam capitulum « Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem, non timebit domui suae a frigoribus nivis ».

Ad nonam capitulum « Multae filiae congregaverunt divitias, tu supergressa es universas. Fallax gratia et vana est pulchritudo, mulier timens deum ipsa laudabitur ». Responsorium « Adiuvabit eam » etc. Versus « Elegit eam » etc.

Ad Magnificat antiphona « Accinxit fortitudine lumbos suos et roboravit brachium suum, gustavit et vidit, quia bona est negotiatio eius; non extinguetur in nocte lucerna eius ».

Cetera omnia de communi virginum.

Responsorium « Date ei de fructu manuum suarum, et laudent eam in portis opera eius ». Vers. « Labores manuum tuarum, quia manducabis, beata es, et bene tibi erit ».

Hoc responsorium dicatur loco responsorii sexti vel tertii.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HAEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS ROMAE CELEBRATI IN CONVENTU SANCTAE MARIAE SUPER MINERVAM IN FESTO SANCTISSIMI PENTHECOSTES ANNO DOMINI ·M°·D°·LIII°· DIE ·XXI· MAII

Sub reverendissimo patre fr. Stephano Ususmaris Genuensi (1), sacrae theologiae professore, magistro generali ordinis praedicatorum, in eodem capitulo unanimiter electo, diffinientibus communiter reverendissimis provincialibus et diffinitoribus, videlicet:

fr. Ludovico de Luvere (2) provinciali utriusque Lombardiae,
fr. Mattheo Strozzo Florentino (3) provinciali Romano,
fr. Thoma Lisio magistro provinciali Regni,
fr. Angelo Bettino Florentino (4) provinciali Angliae,

(1) De fr. Stephano Ususmaris de Ianua cf. supra pag. 330.
(2) De fr. Ludovico de Luvere (Luere) cf. SSOP. II, 219.
(3) De fr. Matthaeo Strozzo cf. MASETTI l. c. pag. 55 sqq.
(4) De fr. Angelo Bettino cf. supra pag. 311.

fr. Bartholomaeo Vicentino (1) magistro provinciali Graeciae,
fr. Iordano Calepio de Cypro provinciali Terrae sanctae,
fr. Ioanpetro Cortesio (2) magistro provinciali Trinacriae,
fr. Georgio Pharensi provinciali Dalmatiae,
fr. Ioanne de Salinas magistro provinciali Portugalliae,
fr. Iacobo de Luceria magistro provinciali sancti Thomae,
fr. Marco de Tropea (3) magistro provinciali Calabriae,
fr. Paulo de Mirandula (4) diffinitore utriusque Lombardiae,
fr. Nicolao Michelotio (5) Florentino diffinitore Romano,
fr. Augustino de Serra magistro diffinitore Regni,
fr. Ambrosio Zylagh (6) diffinitore Ungariae,
fr. Hieronymo Cziram magistro diffinitore Poloniae,
fr. Vincentio de Soncino diffinitore Graeciae,
fr. Vincentio Iustiniano (7) diffinitore Terrae sanctae,
fr. Petro Arques (8) baccalaureo diffinitore Aragoniae,
fr. Fulcrando Varelos diffinitore Provinciae,
fr. Thoma Fazelo (9) magistro diffinitore Trinacriae,
fr. Placido Spalaten. magistro diffinitore Dalmatiae,
fr. Francisco Bovadilla (10) magistro diffinitore Portugaliae,
fr. Antonio Havet (11) magistro diffinitore Germaniae inferioris,
fr. Antonino Salerno magistro diffinitore sancti Thomae,
fr. Antonino de Phileno magistro diffinitore Calabriae.

Frater Stephanus Ususmaris Genuen. totius ordinis praedicatorum generalis magister et servus universis eiusdem ordinis professoribus salutem.

Cum me ad tanti ordinis regimen tam disparibus viribus evectum conspicio, cumque meam utriusque hominis imbecillitatem cum tam gravi sarcina confero, ac quanto discrimine meritorum a praeclaro illo

(1) De fr. Bartholomaeo Vicentino cf. supra pag. 302.
(2) De fr. Ioanne Petro de Cortesio cf. l. c. pag. 303.
(3) De fr. Marco de Tropea cf. l. c. pag. 280.
(4) De fr. Paulo de Mirandula cf. l. c. pag. 285.
(5) De fr. Nicolao Michelotio cf. l. c. pag. 292.
(6) De fr. Ambrosio Zylagh (Zilignanus) cf. l. c. pag. 302.
(7) De fr. Vincentio Iustiniano cf. SSOP. II, 164.
(8) De fr. Petro Arques cf. supra pag. 330.
(9) De fr. Thoma Fazelo cf. SSOP. II, 212.
(10) De fr. Francisco de Bobadilla cf. supra pag. 311.
(11) De fr. Antonio Havet cf. SSOP. II, 246.

virtutum omnium simulachro, divo scilicet parente nostro Dominico caeterorumque, quorum interea sedem occupo, illustrium nostri ordinis heroum splendore ac maiestate deficiam, mente revolvo, non possum non detrectare, non horrere tantum onus mihique timere, ne si non reiecero, sub pondere corruam et opprimar. At rursum duo me relevant ac meliora sperare faciunt et in spe consolantur, quorum alterum quidem a dei bonitate et liberalissima largitate vestrum omnium precibus exorata confidenter expecto, ut qui meam humilitatem ad summum nostrae reipublice gradum extulit, luminis tantum tantumque virium sit mihi collaturus, quod munus istud non honoris aut gradus gratia colam, sed in prosperis integer, in arduis constans, in adversis infractus opere referam. Alterum vero ex vobis, optimi patres, mihi promitto et exigo, quos cum caenobiis tum provinciis in partem sollicitudinis ascitos considero.

Vos quippe coram deo per viscera misericordiae Iesu Christi precor et obsecro, ut iniuncti vobis pastoralis muneris partes non deferentes, in eo pervigiletis, quae mala sunt, correctione et emendatione condigna castigetis, bona fovere, servare ac in melius promovere studeatis, labentem et paene conscissam religionis integritatem retinere et instaurare et in antiquam formam et pristinum candorem restituere curetis, memores semper, quod pro animabus vestrae curae creditis durissimo iudicio reddituri estis exactissimam rationem. Exemplo quoque eius qui coepit facere et inde docere, forma gregis et sanctae conversationis exemplar charissimum fiatis ex animo, ut vita vestra magis quam verba subditorum relaxationes et errata redarguat.

Postremo continua meditatione recolentes, quod in religione Christi non ut clero dominemur, sed ut ex charitate subditorum saluti serviamus, vocati sumus, patres non dominos vestris vos subditis exhibere, regimen humilitatis per fastum ambire et propria lucra et commoda, ubi proximorum salus curanda est, nolite requirere, quinimo iuxta apostolicam doctrinam omnibus omnia facti, vocem quandoque mutare discite, nunc arguere, interdum obsecrare, nonnunquam increpare, secare, et urere aliquando, prout subditorum infirmitatibus expedire cognoveritis, utentes semper ea dexteritate, qua cunctis prodesse possitis, ut salvi fiant, ne si rubiginem altius eradere volueritis, vas fragile, precioso tamen Christi sanguine comparatum frangatur.

Inferiores vero paterna pietate adhortor et tanquam pro Christo legatione fungens obsecro, ut suae professionis et prioris propositi memores ei, qui nec falli nec irrideri vult, mentiri formident, religionem, cui se addixerunt, colant, mores componant, pudicitiam custodiant, cupiditatem, praesentaneum charitatis venenum veluti pestem devitent, maio-

rum leges, mandata ac sancta exempla studiosa et humili emulentur obedientia, sacrarum litterarum studia praecipua diligentia complectantur, ac eis nocturnas diurnasque horas impendere studeant. Memores sint nostrum ordinem ab initio potissimum institutum fuisse, ut esset qui praeiret ante faciem domini ad dandam plebi eius scientiam salutarem, et nomen Christi flammantibus eloquiis ad effugandas densissimas haeresum tenebras coram populis deferret, lucemque catholicae veritatis ac sanctae romanae ecclesiae fidem tueretur immaculatam.

Emulatores igitur operum patrum estote, filii, et pro ipsorum testamento vestras animas libenter offerte, validumque pro domo Dei vos murum obiicite, ad usque sanguinem pro catholica fide tanquam strenui pugiles decertate, his praesertim diebus, quando in catholicam ecclesiam impiae haereses adeo grassantur, ut electorum quoque, si fieri posset, casus et ruina timeatur.

Universos postremo cuiuscunque gradus, qua possum instantia, moneo, ut saluti cum propriae tum alienae curandae verbis et exemplis quamque studiosissime vigiletis; omnes iuxta principis apostolorum doctrinam unanimes fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles, tanquam lucernae in medio nationis pravae positi resplendeatis, ne gratiae, qua ad Christi sequelam vocati fuistis, ingratitudinis culpa superabundet.

Quod vobis omnino contingeret, si quo tempore coram districto iudice comparueritis, gratiam Dei in vacuum recepisse convinceremini, si vocationem sanctissimam impuris moribus et minus religiosa conversatione macularetis. Quod ab universo grege mihi credito pro sua bonitate Deus avertat.

Benevalete meque precibus assiduis adiuvate.

In nomine domini nostri Iesu Christi et beatae Mariae semper virginis et beati Dominici patris nostri et omnium Sanctorum et sanctarum Dei.

Haec sunt acta, quae in eodem capitulo pro conservanda religione, Deo authore, praeponuntur.

Inchoationes.

Inchoamus hanc, quod in capitulo ·xviiii· primae distinctionis nostrarum constitutionum de gravissima culpa, ubi dicitur: gravissima culpa est incorrigibilitas illius, qui nec culpas timet admittere et poenas recusat ferre, addatur: vel ex earum saepius repetita inflictione, iudicio discretorum, cognoscitur non proficere. Et infra, ubi dicitur: si magis expediens iudicatur, addatur: per magistrum ordinis vel per capitulum provinciale. Et post verbum: expellatur, addatur: quod tamen mature fiat et ita, ut appareant gesta cum toto processu et sententia in scriptis

et cum debitis subscriptionibus et sigillis ; et hoc si talis sani capitis et integri sensus usque ad illam horam extitisse cognoscitur. Deinde sequatur, quod habetur in fine capituli scilicet : nullus autem cum habitu ordinis etc. Demum quod supra dicitur: si autem aliqui sint etc. usque ad verbum : puniantur, inclusive inseratur. Et hoc pacto, capitulum illud compleatur. Reliqua vero omnia demantur.

Item inchoamus hanc, quod distinctione 2. capitulo 8. de capitulo generali, ubi dicitur : altera vice citra montes alternatim ; addatur : de triennio in triennium, et quando sequitur : nisi magistro et diffinitoribus ex causa legitima quandoque aliud videatur, dicatur : nisi magistro cum diffinitoribus, vel cum discretorum maturo consilio ex legitima et urgentissima causa illud alibi assignare, aut assignatum transferre vel per annum praevenire aut etiam prorogare necessarium videatur, et nisi obitus magistri generalis acciderit. Quo eveniente fiat, sicut capitulo quarto de electione magistri ordinis est decretum. Et ubi sequitur : praedicti autem viginti quatuor provinciarum diffinitores duobus annis, viginti quatuor priores provinciales tertio anno, dicatur : propter provincias noviter institutas. Praedicti autem triginta provinciarum diffinitores duabus vicibus vel in duobus capitulis, triginta priores provinciales tertia vice vel in tertio capitulo etc., et capitulum ·xvii· de capitulo biennali vel triennali totum, utpote superfluum, deleatur.

Istae sunt confirmationes.

Confirmamus hanc, ut in capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur : de electione provincialis fienda extra capitulum, quod tantum spectet ad priores conventuales et ad praedicatores generales et duos fratres de quolibet conventu, dicatur : et ad unum fratrem de quolibet conventu. Et ubi sequitur : et hoc idem pro qualibet electione prioris provincialis, noviter electos, dicatur : noviter electum. Et addatur : nisi confirmator praesens fuerit vel in tam parva distantia, quod ante dissolutionem prioris congregationis potuerit de cassatione electionis prius factae, si eam cassari contingat, nuntium pervenire ; tunc enim et secunda et tertia, si opus fuerit, electio ad eosdem pertinebit. Et infra ubi dicitur : unus autem de illis duobus electoribus illo anno in socium prioris conventualis eligatur, notetur conformiter ad supradicta, ut dicat : et ille electus supradictus, sit illo anno socius prioris.

Item confirmamus hanc, ut in capitulo de electione magistri ordinis, ubi dicitur : si autem in aliqua provincia provinciale capitulum fuerit celebratum, et in proximo festo penthecostes electio magistri facienda, diffinitor capituli generalis, in anno diffinitorum, et socius eius sint illo anno magistri ordinis electores, subiungatur : si autem quia capitulum generale instare illo anno non putabatur vel ex alia quacum-

que causa diffinitor et socius praedicti non fuerint electi, neque suppetat tempus, ut eligantur, vel futurum capitulum sit priorum provincialium, tunc duo de diffinitoribus praecedentis capituli provincialis etc.

Item confirmamus hanc, ut in capitulo octavo de capitulo generali, ubi dicitur: priores quoque provinciales absoluti loca in provinciis, in quibus praefuerunt, super omnes alios habebunt, addatur: et similiter vocem in omnibus electionibus provincialium et diffinitorum et electorum magistri ordinis.

Item confirmamus hanc in capitulo, ubi dicitur: priori vero provinciali eunti ad capitulum generale detur socius a diffinitoribus capituli provincialis, addatur: qui, si priorem provincialem impediri contigerit, quod ad capitulum generale in anno provincialium non accedat, loco ipsius cum prioribus provincialibus admittatur ad omnia tractanda et diffinienda.

Item confirmamus ordinationem factam in capitulo generali praecedenti: ne de caetero novitii in minoribus conventibus recepti singuli aut bini pro servitiis retineantur, sed statim ad maiores conventus provinciae, ubi saltem in numero senario possint sub bono magistro nutriri, mittantur, sub cuius cura ad minus per triennium regantur; addentes, quod nullus recipiatur ad ordinem, nisi habens aetatem legitimam secundum canones.

Item confirmamus ordinationem factam in eodem capitulo generali de non vendendis neque testandis cameris, et eam volumus inviolabiliter observari, annullantes quascumque concessiones in oppositum factas.

Item confirmamus ordinationem in eodem generali capitulo editam de legenda et defendenda doctrina sancti Thomae, addentes, quod si quis contra eiusdem doctoris sancti doctrinam communiter receptam aliquid asseruerit vel docuerit, privetur lectoratus officio et omnibus gradibus theologicis.

Item confirmamus taxam contributionum reverendissimi magistri generalis ac reverendi procuratoris in eodem capitulo editam, addentes, quod reverendi provinciales possint aliquam moderatam taxam etiam monasteriis monialium imponere, quo possint facilius taxam praenominatam et sibi impositam persolvere.

Item confirmamus determinationem conventuum et universitatum studii in eodem capitulo decretam, ubi possint actus scholastici exerceri, addentes conventum Coloniensem in provincia Theutoniae; extra quas universitates nullus frater ordinis eosdem actus scholasticos exercere queat. In provincia Dalmatiae conventum Iadrensem statuimus, in quo possint eiusdem provinciae baccalaurei legere sententias pro forma et gradu magisterii per annos quatuor, ita tamen, quod antequam ad ipsum bacca-

laureatum promoveantur, legant in artibus vel in theologia ad minus per annos octo.

Item confirmamus in vicarium societatis peregrinantium inter gentes patrem fratrem Benedictum de Filicaria Florentinum usque ad aliud biennium et ultra ad beneplacitum reverendissimi generalis, cassantes et annullantes quamcunque unionem hactenus factam praefatae societatis cum nostra provincia Graeciae.

Confirmamus et approbamus omnes et singulas ordinationes factas per reverendissimum generalem praecedentem de Castillione (1) pro conventu Parisiensi et praesertim de concedenda praesentatura, et quod magistri ibi non assignentur neque ultra praetaxatum terminum deputati maneant, exceptis actu legenti[bus] magistris in theologia et lectoribus.

Confirmamus concessionem in praeterito capitulo generali Salmantino factam eidem conventui Parisiensi pro necessaria sustentatione pauperum studentium et remotione multorum inconvenientium et dissolutionum, ut possint in communi tribus diebus in ebdomada vesci carnibus; praecipientes reverendo patri priori dicti conventus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae, ut hanc nostram concessionem executioni mandet, curans magis, ut tam his tribus quam aliis diebus omnes fratres tam graduati quam alii in communitate compareant, neque ullatenus in cameris vel diverticulis comedant in destructione[m] maioris religionis et vitae reformatae.

Confirmamus concessionem magistri generalis nuper defuncti factam super electione et confirmatione prioris provincialis provinciae Ungariae, et de non veniendo ad capitulum durante desolatione dictae provinciae.

Denuntiationes.

In primis omnium denuntiamus sanctissimum dominum nostrum dominum Iulium, divina providentia papam tertium, vivae vocis oraculo concessisse nobis, reverendissimo protectore nostro supplicante, ut quaecunque in praesenti nostro capitulo per nos instituta, concessa declarataque fuerint et approbata pro reformatione ac bono tranquilloque ac pacato ordinis nostri statu, et rata sint et firma et suum robur habeant, etiam si his quaecunque oracula seu literae apostolicae obsisterent, quibus ad hunc effectum et quatenus his contraveniunt, voluit ac vult esse in omnibus pro hac tamen duntaxat vice derogatum. Deinde denuntiamus omnibus ordinis nostri fratribus reverendissimum magistrum Stephanum Ususmaris Genuensem (2) in hoc capitulo unanimi omnium assensu in generalem magistrum totius ordinis ac familiae nostrae ele-

(1) De fr. Francisco Romaeo de Castillione cf. supra pag. 311.
(2) De fr. Stephano Ususmaris cf. l. c. pag. 338.

ctum fuisse, eundemque summo pontifici oblatum ab eodem hylari vultu agnitum et acceptatum extitisse.

Denuntiamus eundem reverendissimum magistrum instituisse in procuratorem ordinis reverendum p. fr. Thomam Manrrique (1), magistrum provinciae Hispaniae. Interea vero dum ille Romae non adest, quotquot eius opera indigent, ad rev. patrem fr. Vincentium Iustinianum (2) eiusdem reverendissimi socium confugiant, cui hoc negocii datum est, ut eius partes agat.

Denuntiamus insuper animi eiusdem reverendissimi esse, ut universa, quotquot extant ordinis privilegia, in unum colligat ac impressioni mandet, quo magis eiusdem ordinis decor authoritasque diffulgeat; et proinde cunctis provincialibus et praesidentibus conventuum praecipit, ut, si qua maneant apud illos, diligenter inquirant et indicem ad ipsum mittant.

Denuntiamus supradicti oraculi authoritate divisisse nos Marchiae Anconitanae nationem a vicaria sancti Dominici, quam in peculiarem Marchiae Anconitanae congregationem instituimus atque ereximus, reverendissimo generali committentes, ut eidem vicarium praeficiat hominem et literis et moribus decoratum, eisque regulariter ac religiose vivendi normam tradat.

Denuntiamus eundem reverendissimum generalem a regimine et cura nostri ordinis exemisse ac reiecisse monasterium monialium sanctae Mariae Novellae de Aretio, et propterea precipimus omnibus ordinis nostri fratribus, cuiuscunque gradus vel dignitatis in virtute spiritus sancti ac sanctae obedientiae ac sub poena gravioris culpae, cum primum contrafecerint, incurrenda, ne quis ad monasterium illud pergat neve monialibus literas aut munuscula vel nuntium mittat, vel ab eis missa recipiat absque expressa licentia in scriptis habita eiusdem reverendissimi generalis.

Declarationes.

Declaramus conventus, qui nunquam habuerunt numerum saltem senarium fratrum vocalium, pro non conventibus esse habendos, et ab eis subtrahendum titulum prioratus, quem ex vi praesentis statuti subtrahimus, si tamen potest fieri sine scandalo. Qui autem aliquando numerum integrum habuerunt, et modo ad hoc redacti sunt, quod quatuor fratres vocales cum priore non habent, permittantur interim gaudere titulo prioratus; socium vero pro electione provincialis vel pro capitulo provinciali nequaquam eligant; quod si secus factum fuerit, totum sit irritum et inane.

---

(1) De fr. Thoma Manrique cf. SSOP. II, 229.

(2) De fr. Vincentio Iustiniano cf. supra pag. 339.

Declaramus, nullum breve seu oraculum apostolicum poni debere in usum in aliqua provincia, nisi sit de licentia magistri ordinis obtentum et ab ipsa provincia prius petitum vel saltem postea acceptatum.

Declaramus authoritate apostolica pro illis provinciis, in quibus postulationes sunt in usu ex verbis privilegii dicentis : poterit prior provincialis confirmare unum, quem fratres petierint per suas literas, ly per suas literas ita esse intelligendum, quod in scrutinio electionis postulationes ipsae semper ponantur in capitulo ante sui dissolutionem, ita quod recedentibus scrutatoribus a banco nihil possit addi vel minui. Quod si secus factum fuerit, totum sit irritum et inane. Si autem contingat scrutinium ipsum debere transcribi, postquam transcriptum fuerit, scrutatores ipsum coram vocalibus iterum legant et in oculis eorum sigillo claudant.

Declaramus, diffinitores capituli provincialis, prout habetur in constitutionibus, in die precedenti assignationem capituli et omnes simul, non autem sigillatim esse eligendos, nisi per nationes eligantur ; provincialem vero postea in ipso capitulo eligi debere. Ipsos autem diffinitores statim post suam electionem habere locum super omnes fratres ; inter se autem secundum ordinem suorum graduum vel conventuum dignitatem.

Declaramus, nullum provincialem vel vicarium, completo capitulo et expirata authoritate diffinitorum, posse in conventibus, qui priorem non habent, aliquam fratrum vocalium mutationem facere nisi in casibus alias a constitutionibus permissis, non obstante constitutione, ubi in capitulo vel in loco capituli fieri permittuntur ; quod scilicet verbum in loco capituli non pro tempore, quo iam expirata est authoritas diffinitorum, intelligendum declaramus, ut alias etiam fuit declaratum.

Declaramus conformiter ad ea, quae iam a duobus reverendissimis magistris ordinis declarata sunt, si in aliqua provincia contingat inferiorem magistrum prius fieri provincialem et postea antiquiorem, debere utrumque completo provincialatu tenere locum secundum ordinem magisterii eorum ; similiter si duo non magistri provinciales fiant, tenebunt locum suae professionis post provincialatum, etiam si iunior ante antiquiorem provincialis fuerit.

Declaramus conformiter ad ea, quae in actis vetustissimorum capitulorum generalium reperta sunt, quod deinceps in capitulis generalibus et ubique provinciae nostri ordinis servare debeant infrascriptum ordinem, iuxta quem tenebunt loca sua, videlicet :

Provincia Hispaniae,	Provincia Tholosanae,
Provincia Franciae,	Provincia utriusque Lombardiae,
Provincia Romana,	Provincia Regni,
Provincia Ungariae,	Provincia Theutoniae,

Provincia Angliae,
Provincia Daciae,
Provincia Terrae sanctae,
Provincia Bohemiae,
Provincia Trinacriae,
Provincia Portugalliae,
Provincia Bethicae,
Provincia sancti Thomae,
Provincia sanctae Crucis Indiarum,
Prov. s. Ioannis Baptistae del Peru,
Provincia sancti Antonini de Novoregno.

Provincia Poloniae,
Provincia Graeciae,
Provincia Aragoniae,
Provincia Saxoniae,
Provincia Dalmatiae,
Provincia Scotiae,
Provincia Germaniae inferioris,
Provincia Calabriae,
Provincia sancti Iacobi de Mexico,
Prov. sancti Vincentii de Chiappa,

Admonitiones.

Admonemus reverendos provinciales omnes, ut omni, quo possunt studio, investigent atque explorent, ne quis forte inter eos, quibus ipsi praesident, fratres haeresim habeat, eosque ea poena plectant, quam iniungunt canones ; et si quis vel leviter suspectus de haeresi fuerit, officio lectoratus et praedicationis et cuiuscumque praeterea honoris ac dignitatis privetur, et deinceps ad simile officium in futurum non assumatur. Mandamus insuper eisdem reverendis provincialibus, ut haereticos alienae provinciae nullo modo acceptent. Mandamus itidem omnibus cuiuscunque provinciae subditis, ut si quem noverint de eodem haeresis crimine suspectum, protinus reverendissimo generali denuntient, a quo audientur quam libentissime.

Admonemus reverendos provinciales, ut diligenter et exacte incumbant et intendant reformationi provinciarum, quae illis sunt creditae, tam circa tria vota essentialia quam circa victus ac vestitus fratrum, et quae ad itinera eorum necessaria sunt provisionem et praesertim circa curam ac provisionem infirmorum, ne ob defectum eorum, quae necessitas postulat, ipsi proprietarii effici cogantur. Invigilent itidem circa divinum officium et cultum diurnum atque nocturnum, ut solvatur accurate iuxta nostrarum constitutionum formam ac tenorem, cui omnes intersint. Necnon ut omnes etiam magistri caveant, ne in cubiculis seu cameris comedant, sed in communi refectorio; irritamus autem quamlibet hactenus licentiam indultam atque concessam, quod ad hoc spectat. Quod si qui conventus existant, ubi nulla fere servetur communitas, ac praecipue in comedendo in refectorio communi; hos privamus omni induendorum posthac fratrum authoritate.

Admonemus omnes reverendos provinciales et vicarios, ut diligenter inquirant, an suis in conventibus aliqui sint fratres proprietarii, qui redditus, possessiones aut praebendas habeant, eas quae sint locantes aut

administrantes, quibus protinus dominium et administrationem auferant et conventuum ipsorum communitati applicent ac resignent; quibus quidem conventibus ex vi statuti praesentis iam nunc applicamus et assignamus, abrogantes et irritantes omnes hactenus licentias in contrarium concessas. Quod si praelati hanc nostram dictorum applicationem bonorum effectui atque executioni mandare neglexerint, praefata bona viciniori conventui applicata esse decernimus.

Admonemus omnes reverendos priores provinciales et conventuales eorum conventuum et provinciarum, in quibus est sufficiens in victu ac vestitu communitas aliisque necessariis, ut bona quaecunque fratribus etiam ex eleemosynis, praedicationibus, confessionibus, vel quomodolibet aliter obvenientia statim communitati applicent et assignent, in quibus tam praelatorum quam subditorum conscientias aggravamus, omnes et singulas licentias etiam auctoritate apostolica ad hanc usque horam in contrarium concessas irritantes. In conventibus vero, ubi communitas et provisio talis non est, et ideo eleemosinae huiusmodi ad fratrum quandoque usum, donec melior coalescat reformatio, permittuntur, nolumus, quod eas apud se servare possint vel apud aliquem peculiariter deponere, sed in communi deposito eas habere et ex prioris licentia in suis honestis necessitatibus possint expendere.

Admonemus reverendos provinciales, ut fratres, quos contra castitatis votum egisse deprehenderint, poenis in constitutionibus taxatis acriter puniant. Quod si negligentes in hoc fuerint, in poenam a suis officiis absolventur.

Admonemus omnes reverendos provinciales, ut fratres, qui per saecularium literas officia vel assignationes venantur aut quaerunt, nullo pacto exaudiant, imo potius tam eos quam qui secreta ordinis personis extra obedientiam dicti ordinis constitutis revelant, iuxta nostrarum constitutionum formam puniant.

Admonemus omnes et singulos nostri ordinis fratres tam subditos quam praelatos, ut episcopos et ecclesiae praelatos debitis et honoribus et obsequiis prosequantur, nullo pacto in eorum dedecus vel damnum nostris privilegiis abutentes. Si qua vero contentio inter eos obveniat, eam iuste ac modeste, prout religiosos decet, si prosequi oportuerit, prosequantur.

Admonemus omnes et singulos fratres nostri ordinis praesertim praelatos, eisque in virtute sanctae obedientiae praecipimus, ne omnes, qui beneficia curata aut etiam sine cura acceptaverunt, retineant ad manendum in domibus nostris, neque ad vocem activam aut passivam admittant absque magistri ordinis speciali dispensatione, nisi prius cum effectu renuntiaverint dictis beneficiis.

Ordinationes.

Ordinamus, quod in omnibus conventibus a provincialibus ponatur aliquis grammaticae lector, ubi sunt iuvenes, qui grammatica indigeant, et similiter in maioribus conventibus lector aliquis logicae aut physicae aut saltem casuum conscientiae, et quod lectores nullo pacto in aliis occupentur, sed si actu non legerint, lectura priventur, et provinciales his minime providentes a suo officio absolvantur.

Ordinamus, quod nullus promoveatur ad baccalaureatus gradum nisi saltem per quatuor annos legerit in artibus, et nullus item ad magisterium promoveatur, nisi prius realiter legerit per quatuor annos in sententiarum libris, inde in capitulo generali vel saltem provinciali compareat et publice in ecclesia conclusiones theologicas defendat. Quod si oppositum factum fuerit, pro non magistro in nostro ordine habeatur, excepto tamen studio Parisiensi, in quo promovendi sua consueta exercitia ab universitate statuta observabunt.

Ordinamus et auctoritate apostolica supranominati oraculi omnibus provincialibus et eorum vicariis ac omnibus praelatis nostri ordinis inhibemus, ne quem fratrem ad sacerdotii gradum licentient vel promoveant nisi anno 24 completo, prout canones disponunt, auctoritatem antea promovendi reverendissimo magistro ordinis soli reservantes.

Ordinamus, quod nullus provincialis, nullusve prior aut praesidens conventus sub poena gravioris culpae fratres alterius provinciae absque expressa licentia sui provincialis recipiat, sed eos statim ad suas provincias remittat.

Ordinamus, quod fratres, qui de licentia sedis apostolicae nostrae religionis habitum dimiserunt, nullatenus de caetero recipiantur, nisi processu super eorum indulto facto, diligenter examinato, et si vera et rationalis causa assignata et probata fuisse inveniatur, absque poenitentia recipiantur; si autem causa rationalis et vera non inveniatur et consequenter breve subreptitium, non nisi ut apostatae recipiantur. Quod si verum eos exposuisse inveniatur, ita quod stante causa nunquam verae fuerint nostrae religioni obligati, ut cum ante aetatem legitimam vel per vim et metum professi fuerint, tunc velut novitii recipiantur vel magis ut ad nos minime pertinentes omnino expellantur, ita tamen quod illi, qui per quatuor annos extra quomodolibet absque habitu nostri ordinis manserunt, nullo pacto absque magistri generalis licentia recipiantur.

Ordinamus, quod et alias ordinatum est, quod auctoritas licentiandi fratres, ut maneant extra claustrum tantum penes reverendissimum magistrum ordinis resideat, irritantes quascunque licentias super his hactenus a provincialibus concessas.

Ordinamus, quod numerus patrum in nullo conventu, excepto Pari-

siensi ob multitudinem graduatorum, duodenarium numerum excedat, et quod patres conventus ante aetatem 40 annorum nullatenus eligantur, his exceptis qui patres de iure sunt, ut suppriores et principales lectores, et qui prioratum in iisdem conventibus egerunt.

Ordinamus, quod nullus frater nostri ordinis iure paternitatis exemptus a communibus conventus oneribus neque ab hebdomadaria scilicet neque a sequela chori et huiusmodi aliis censeatur, magistris in theologia et lectoribus actu legentibus exceptis; cassantes et irritantes quascunque licentias et exemptiones quibuscunque patribus concessas, volentes tamen, quod habeatur ratio aetatis et personarum secundum exigentiam et discretionem.

Ordinamus, quod in studio Lovaniensi nullus frater nostri ordinis extra conventum causa dicti studii manere possit, sed quos conventus ipse non capit, facta etiam solutione alicuius taxae, a dicto studio ad suas provincias remittantur.

Ordinamus et strictissime inhibemus quibuscumque ordinis nostri fratribus sub poena gravioris culpae, ne medicinae artem sive phisicam sive chirurgicam exerceant, quascumque licentias super his hactenus concessas penitus irritantes.

Ordinamus, quod inquisitores in conventibus intra terminos suae inquisitionis positis resideant; qui autem residere noluerint, inquisitionis officio renuntient aut ab eo deponantur.

Ordinamus, quod nullus reverendus provincialis vel vicarius possit ad aliquem conventum pro aliqua electione facienda vicarium electionis in eo non assignatum mittere, nisi in casu dissensionis eligentium, vel si in veritate contingat, nullum in eo esse fratrem, qui noverit electionem dirigere. Quod si secus factum fuerit, totum sit irritum et inane, et qui pro electione dirigenda fuerit missus, careat ibi voce passiva.

Ordinamus, quod de caetero nullae fiant fratrum affiliationes ex uno ad alium conventum nisi concurrente expresso consensu maioris partis omnium in conventu praesentium fratrum nativorum conventus utriusque respective simul in capitulo congregatorum. Quod si secus factum fuerit, totum sit irritum et inane, exceptis tamen Graeciae et Terrae sanctae et caeteris eiusmodi provinciis desolatis.

Ordinamus, quod in qualibet provincia nostri ordinis, in qua non viget arcta observantia regularis iuxta nostrarum constitutionum formam, a reverendo provinciali aliquis conventus commodus determinetur, in quo possint fratres sub cura tamen sua manere, qui in veritate regulariter vivere desiderant. Quod si etiam ab aliquo domino vel communitate aliquis ad hoc locus idoneus erigendus offertur, debeat ipsum provincialis recipere, ibique ut fratres regulariter et in vera observantia vivant

providere. Quam tamen volumus observantiam ita intelligi, quod possessiones nequaquam dimittantur, neque oblata respuantur. Quas etiam possessiones nolumus, quod ab aliquo provinciali vel praesidente nostri ordinis ullatenus vendantur vel alienentur absque expressa licentia magistri ordinis, nisi sint aliquae provinciae, quae habeant apostolicum indultum, in quibus volumus praedicti indulti formam, si alienentur, inviolabiliter observari. Quod autem de possessionibus praediximus, idem etiam et de universis immobilibus bonis et perpetuis redditibus intelligimus.

Ordinamus, quod in provincia Poloniae nullus mittatur extra provinciam ad famosum studium generale, nisi prius per biennium in phylosophia et aliud biennium in scripturis legerit et aliud biennium in praedicationibus se exercuerit iuxta praescriptum reverendi provincialis.

Acceptationes.

Acceptamus et approbamus reformationem factam nostri breviarii et missalis et ipsum breviarium et missale ita reformata et impressa ex commissione bonae memoriae reverendissimi fratris nostri magistri generalis praedefuncti fr. Francisci Castillionensis (1), prout sunt cum omnibus in eisdem contentis similiter comprobamus, addito hoc tantum, quod omnibus dominicis diebus per totum annum, quando de dominica agitur officium, fiat semper memoria de beata virgine in matutinis per antiphonam: sub tuum, et in vesperis per antiphonam: regali, ut antea consuetum erat. Non obstante, quod ipsi dies dominici sub solemnitate festorum duplicium celebrentur. Quam quidem solemnitatem ita intelligi volumus, ut tam officium quam missa solemnius cantentur et cum pulsatione campanarum et accensione quatuor luminum, prout in aliis duplicibus est consuetum. Non tamen propterea fiat thurificatio in vesperis et matutinis, neque semper incipiatur officium in choro dextro neque dicantur responsoria aut versiculi a duobus fratribus, sed praeter supradicta et alia in breviariis expressa fiant omnia sicut prius. Praecipimus autem in virtute sanctae obedientiae omnibus et singulis praesidentibus conventuum nostri ordinis, quod quam citius poterunt, provideant unum de praefatis breviariis reformatis pro usu chori et saltem unum missale similiter reformatum, ad cuius formam curent et alia in omnibus reducere. Moneant etiam omnes sibi subditos, ut et ipsi breviaria provideant pro usu proprio. Inhibemus autem omnibus et singulis fratribus nostri ordinis authoritate apostolica sub eodem praecepto et sub poena gravioris culpae, ne imprimi de caetero breviaria vel missalia aliter curent vel permittant, vel minimum quid eis addendo vel minuendo, sed

(1) De fr. Francisco Castillionensi cf. supra pag. 344.

ea conservent in sua puritate sicut sunt, vel sicut melius emendata et in minori volumine iam nunc per reverendissimum magistrum ordinis imprimi procurantur. Qua etiam apostolica auctoritate inhibemus omnibus et singulis fratribus dicti nostri ordinis, ne utantur de caetero breviario novo Romano, irritantrs omnes licentias hactenus super hoc obtentas.

Acceptamus seu in conventum erigimus domum Surrentinam in provincia Regni, imponentes reverendo provinciali, quod ei pro hac prima vice de priore et doctore provideat.

Acceptamus locum concessum provinciae Ungariae in Albaiulia Transilvaniae a regia maiestate et capitulo ecclesiae cathedralis.

Restitutiones.

Restituimus ad omnes gratias ordinis patrem fr. Ioannem a Colovoar provinciae Ungariae.

Restituimus fr. Antonium Rescium suae provinciae Germaniae inferioris et conventui Bruxellen., revocantes incorporationem et affiliationem eius in quacumque provincia vel congregatione.

Restituimus ad gratias ordinis, quatenus opus sit, fr. Thomam de Belcastro provinciae Calabriae.

Translationes.

Transferimus in provincia Tolosana fr. Symonem Mazelerii ex conventu sancti Nuriani ad conventum Lemovicen. Item fr. Nicolaum de Rupe ad conventum Bellividere, restituendo eum ad gratias ordinis. Item fr. Ioannem de Lestra et fr. Gulielmum Regis ad ipsam provinciam ab alia quacumque.

In provincia Regni fr. Maurum de Tarento ex provincia sancti Thomae, et fr. Philippum de Viterbio conversum ex provincia utriusque Lombardiae, et fr. Stephanum de Optato ex conventu Optati ad conventum sancti Petri Martiris de Neapoli.

In provincia Aragoniae fr. Andream de Moros, fr. Hieronymum Fontestar et fr. Vincentium Oniate ex conventu de Gotor ad conventum sancti Honofrii, et fr. Antonium Strozzium ex provincia Hispaniae, et fr. Vincentium Ximenez ad conventum Fontinensis, et fr. Martinum Tamarit a conventu Valentiae ad conventum de Lucente, approbantes omnes alias affiliationes, quae a capitulo generali Salmantino usque ad praesens factae sunt.

In provincia Poloniae fr. Conradum et fr. Paulum Galka ex conventu Wilnensi et fr. Erasmum a conventu Sandomiriensi ad conventum Poznaniensem.

In provincia Theutoniae fr. Henricum Viess et fr. Bernardum ex provincia Saxoniae.

In provincia Trinacriae fr. Vincentium Belguardo ex conventu Termano ad conventum sanctae Citae de Panormo et fr. Thomam Iardinum ex conventu sanctae Citae ad conventum sancti spiritus de Politio, et fr. Ioseph de Licodia ad conventum Noti, et fr. Benedictum de Castanea, et fr. Blasium Lupiculo et fr. Ioannem Marsotta ex eorum conventibus nativis ad conventum Agrigentinum.

In provincia s. Thomae fr. Leonardum de Licio a conventu Licii ad conventum Trani.

Item ex eadem provincia fr. Antonium de Monopoli ad provinciam Graeciae et conventum sancti Petri de Candida.

In provincia Calabriae fr. Thomam de Monte Leone (1) magistrum a conventu s. Dominici de Neapoli ad conventum sancti Antonii de Monte Leone, et fr. Franciscum de Amantea ab conventu Minervae provinciae Romanae ad conventum s. Dominici de Monte alto, et fr. Andream de sancto Severino a loco Annunciatae Mendiani ad locum sanctae Mariae gratiarum de Tropea.

In provincia Germaniae inferioris fr. Wilelmum ex provincia Angliae ad conventum Lovaniensem, et fr. Georgium Alem ex conventu Traiectensi ad conventum Zwolensem.

Item in provincia Trinacriae approbamus translationes fr. Vincentii Remuli magistri et fr. Vincentii de Xaca ad conventum s. Dominici de Panormo, et fr. Salvatoris Laficarra ad conventum sanctae Citae de Panormo.

In vicaria sancti Petri Martyris approbamus translationem fr. Bernardi de Scona ex loco Sconae ad conventum sanctae Mariae Magdalenae de Ast.

Concessiones.

Concedimus provinciae Romanae et omnibus conventibus et fratribus ipsius, ut in omnibus suis electionibus et scrutiniis fruantur omnimoda libertate, qua fruuntur caeterae provinciae nostri ordinis, neque ad aliud astringantur tam dicti fratres et conventus quam etiam provinciales et diffinitores quam ad ea, ad quae caeteri fratres, conventus, provinciales et diffinitores aliarum provinciarum astringuntur, non obstantibus quibuscunque placitis et sanctionibus etiam apostolicis quomodocunque alias habitis vel obtentis, quibus in hac parte auctoritate suprascripti nostri oraculi sanctissimi domini nostri papae derogamus.

Concedimus provinciae Poloniae, quod de consensu sui capituli provincialis loca nostri ordinis, quae ibi ferme desolata sunt, praesertim propter infidelium incursus, possint libere a fratribus deseri et eorum

(1) De fr. Thoma de Monteleone cf. supra pag. 236.

bona tam mobilia quam stabilia alteri conventui, cui capitulum provinciale statuerit, applicari, quae et nos nunc pro tunc ex vi praesentium applicamus, cum quibus tamen volumus et filios dictorum locorum transferri, proviso etiam, quod si aliquando locus ita desertus rursus erigatur, ea bona simul cum dictis filiis eidem iterum in integrum restituantur.

Concedimus provinciae Ungariae, quod possit relinquere conventum Kerezzeghiensem.

Concedimus provinciae Dalmatiae, quod in omnibus suis capitulis provincialibus examinatores vocum a maiori parte praetensorum vocalium eligantur.

Concedimus provinciae Germaniae inferioris, quod provincialatus tempus durare possit ultra quadriennium, eo quod nullus ex illa provincia interfuit capitulo Salmantino, et reclamaverunt acceptationi ibidem factae de temporalitate priorum.

Licentiae promovendorum.

Licentiamus ad magisterium sacrae theologiae in provincia Theutoniae fr. Ioannem Giffen conventus Coloniensis.

In provincia Trinacriae fr. Hieronymum de Mirto.

In provincia Dalmatiae fr. Donnium de Almisio.

In provincia Portugalliae ad praesentaturam seu baccalaureatum pro forma et gradu magisterii fr. Gondisalvum de Ferrera.

In provincia Germaniae inferioris ad magisterium fr. Adrianum ab Ocistercink, ad baccalaureatum fr. Ioannem de Mirica (1) et fr. Simonem de Cameraco et fr. Georgium Blavonis.

In provincia Provinciae ad baccalaureatum fr. Simonem de Vinea, fr. Raimundum Iannini, fr. Antonium Martae et fr. Ioannem Carantene.

In provincia sanctae Crucis Indiarum ad baccalaureatum fr. Petrum de Orthega (2).

In provincia Tholosana ad lecturam sententiarum fr. Iacobum de Carreria (3) et fr. Petrum della Casa. Ad licentiaturam sententiarum fr. Gabrielem de Vesa, ad baccalaureatum fr. Ioannem Zoni et fr. Arnaldum de Lusorio.

In provincia Poloniae ad magisterium fr. Esaiam de conventu Wilnensi et fr. Alexandrum de conventu Cracoviensi.

In congregatione Gallicana supposita licentia congregationis ad lecturam sententiarum fr. Ioannem Lamberti et fr. Ioannem Morelli.

(1) De fr. Ioanne de Mirica cf. SSOP. II, 191.
(2) De fr. Petro de Orthega cf. supra pag. 331.
(3) De fr. Iacobo de Carreria cf. l. c. pag. 329.

In vicaria sancti Petri Martyris ad magisterium fr. Dominicum de Ast.

In vicaria Romana ad magisterium fr. Remigium de Florentia (1).

In vicaria sancti Dominici fr. Salvatorem de Liniaco (2) et fr. Gelasium de Utino et fr. Franciscum de Utino (2).

Proviso tamen, quod omnes praenominati prius diligenter examinentur et idonei iudicentur, hi quidem qui sunt in Italia per examinatores dandos a reverendissimo magistro ordinis, qui vero extra Italiam per examinatores ab eorum respective provincialibus vel vicariis generalibus constituendos, quorum conscientias aggravamus.

Approbationes.

In universitate Parisiensi approbamus magisteria fr. Bernardi de Cognacco congregationis Franciae, fr. Claudii Estiventi provinciae Franciae, fr. Nicolai Content, fr. Georgii Milon congregationis Gallicanae, fr. Antonii Havet (3) provinciae Germaniae inferioris, fr. Petri Iuvenis provinciae Franciae, fr. Ludovici Viridis congregationis Gallicanae.

In congregatione Gallicana approbamus magisteria fr. Ioannis Maheu (4), fr. Antonii de Liberto, fr. Hieronymi Hervei, fr. Nicolai Buguet, fr. Ioannis Peronis, fr. Renati Tenelli, fr. Gabrielis Martinet.

Item approbamus baccalaureatum seu lecturam sententiarum fr. Ioannis Adenet provinciae Franciae, fr. Ioannis Molineti, fr. Egidii Guibouti congregationis Gallicanae, fr. Christophori Quintini, fr. Iacobi Dumai, fr. Hervei de Sepe, fr. Hieronymi Poussot provinciae Franciae, fr. Nicolai Fortiet congregationis Gallicanae, fr. Antonii Guilloti congregationis Franciae, fr. Lamberti Feullet provinciae Franciae, fr. Henrici Fabri, fr. Nicolai Garapin congregationis Gallicanae, fr. Bartolomei Valles provinciae Aragoniae, fr. Petri Revellaudi.

In provincia utriusque Lombardiae approbamus magisterium fr. Adriani de Venetiis, salva tamen consuetudine praefatae provinciae de loco et voce.

In provincia Regni approbamus magisterium fr. Marci de Castromaris (5) et fr. Petri de Neapoli et post lecturam duorum annorum concedimus fr. Ambrosio de Lapigio, ut possit insignia baccalaureatus suscipere.

In provincia Poloniae approbamus magisterium fr. Pauli Sarbinii (6) conventus Poznaniensis et fr. Melchioris conventus Cracoviensis et fr. Hieronymi Czeraca.

(1) De fr. Remigio de Florentia cf. SSOP. II, 259.
(2) De fr. Salvatore de Liniaco et Francisco de Utino cf. supra pag. 300.
(3) De fr. Antonio Havet cf. l. c. pag. 339.
(4) De fr. Ioanne Maheu cf. SSOP. II, 246.
(5) De fr. Marco de Castromaris cf. supra pag. 333.
(6) De fr. Paulo Sarbinio (Sardinio?) cf. l. c. pag. 278.

In provincia Provinciae approbamus magisterium fr. Antonii Agranerii conventus Valentiae et baccalaureatum fr. Bartholomaei Audifredi.

In provincia Trinacriae approbamus magisteria fr. Ioannis de Ucria et fr. Ioannis Matthaei Valdina (1) et fr. Petri Grisafii et fr. Hieronymi Fazelli (2) et fr. Leonardi de Marsalia, et baccalaureatum fr. Thomae de Mirto, quatenus opus est.

Et in eadem provincia instituimus in praedicatorem generalem fr. Hieronymum de Politio.

In provincia s. Thomae approbamus magisterium fr. Iacobi de Luceria (3), fr. Andreae Tarentini, fr. Antonini de Trano et fr. Nicolai de Gravina.

In provincia Dalmatiae approbamus magisterium fr. Placidi (3), Martiniaci de Spalato, et fr. Georgium Antiquarium de Pharo approbamus in praedicatorem generalem.

Approbamus quoque praesentaturam fr. Ioannis Gallo (4) provinciae Hispaniae, fr. Iacinti de Polonia conventus Cracoviensis et fr. Antonii de Mendoza (5) provinciae Beticae.

In vicaria s. Dominici approbamus magisterium fr. Vincentii Brixiani de Tarvisio.

In provincia Germaniae inferioris magisterium fr. Nicolai Fenet et fr. Ioannis Entennii.

In provincia Calabriae magisterium fr. Augustini de Zagaresio et fr. Nicolai de Mayda (6) et fr. Ioannis de Castrocucco (7).

Item approbamus magisterium infrascriptorum per reverendissimum magistrum ordinis promotorum videlicet: fr. Ioannis de Salmas provinciae Hispaniae, fr. Ambrosii de Ponte Curvo, fr. Iordanis de Neapoli (8), et fr. Alfonsi de Neapoli provinciae Regni, fr. Benedicti Tramontana, et fr. Thomae Guarini provinciae Trinacriae, fr. Hieronymi de sancto Petro in Galatina provinciae s. Thomae, fr. Hieronymi Cziram (9) provinciae Poloniae, et fr. Ioannambrosii Barbavarii (10) vicariae s. Petri Martyris, et fr. Petri Arques (9) provinciae Aragoniae, cum hoc tamen quod ex

(1) De fr. Ioanne Matthaeo Valdina cf. l. c. pag. 331.
(2) De fr. Hieronymo Fazello cf. SSOP. II, 282.
(3) De fr. Iacobo de Luceria et fr. Placido de Spalato cf. supra pag. 339.
(4) De fr. Ioanne Gallo cf. SSOP. II, 246.
(5) De fr. Antonio de Mendoza cf. supra pag. 332.
(6) De fr. Nicolao de Maida cf. supra pag. 288.
(7) De fr. Ioanne de Castrocucco cf. l. c. pag. 330.
(8) De fr. Iordane de Neapoli cf. SSOP. II, 205.
(9) De fr. Hieronymo Cziram et fr. Petro de Arques cf. supra pag. 339.
(10) De fr. Ioanne Ambrosio Barbavario cf. SSOP. II, 312.

promotione prioris vel posterioris loco, quem hactenus inter se tenuerunt, nullum fiat praeiudicium, sed hi omnes loca inter se teneant ac si eodem momento magisterii insignia suscepissent.

Item approbamus magisteria infrascriptorum in congregatione Gallicana videlicet: fr. Ioannis Rue, fr. Francisci Vituli, fr. Adriani Lerminier, fr. Iuliani Brisorguill, fr. Nicolai Pote, fr. Nicolai Amerlanc, fr. Ioannis Berlize, fr. Francisci Regis, cum hac tamen conditione, si praemisso rigoroso examine Parisiis approbati fuerint et sufficientes iudicati ab infrascriptis reverendis magistris nostris videlicet: magistro Ioanne Benedicti (1), magistro Ludovico de Bolo (1), magistro Augustino de Rivis (2) et magistro Bernardo de Cognacco. Reiicimusque et deponimus, quos ipsi deponendos iudicaverint et similiter quos approbaverint, approbamus et tamen etiam volumus, quod, qui sic approbati fuerint, in proximo capitulo congregationis vocem activam non habeant, nisi sint priores aut socii.

Approbamus omnes et singulas sententias iudicum praesentis capituli.

Approbamus omnes et singulas ordinationes particulares factas specialibus provinciis et conventibus, quarum testimonium reddet reverendissimus magister ordinis in suis literis, ad quas per omnia nos referimus.

Provisiones studiorum.

In studio Parisiensi iuxta petitionem reverendi vicarii congregationis Gallicanae assignamus in regentem primarium magistrum nostrum fr. Ioannem Benedicti, in secundum fr. Ludovicum de Bolo, tertium fr. Iulianum Freneum (3), in quartum fr. Bernardum de Cognacco. In defectum reverendi regentis sacrae scripturae assignamus fr. Augustinum de Rivis vel fr. Petrum Deaurati (4) alterum scilicet horum, quem reverendus vicarius congregationis decreverit. Ad lecturam sententiarum in magnis scholis pro loco ordinario extraneis debito pro anno 1556 fr. Fulchrandum Varelos (5) provinciae Provinciae.

In studio Bononiensi in regentem pro primo et secundo anno fr. Reginaldum de Mantua (6) magistrum, pro tertio anno fr. Hieronymum de Panormo (6), in baccalaureum pro primo et secundo anno fr. Stephanum de Quintiano (6), pro tertio fr. Agapitum de Fino (7), in magistrum studii pro primo anno fr. Thomam de Muriano, pro secundo et tertio providebit

(1) De fr. Ioanne Benedicti et fr. Ludovico de Bolo cf. supra pag. 332.

(2) De fr. Augustino de Rivis cf. l. c. pag. 282.

(3) De fr. Iuliano Freneo cf. l. c. pag. 332.

(4) De fr. Petro Deaurati cf. l. c. pag. 208.

(5) De fr. Fulchrando Varelos cf. l. c. pag. 339.

(6) De fr. Reginaldo de Mantua, Hieronymo de Panormo, Stephano de Quintiano cf. l. c. pag. 330.

(7) De fr. Agapito de Fino cf. l. c. pag. 329.

capitulum provinciale, servata consuetudine provinciae; in studentes pro rata provinciae sancti Thomae fr. Thomam et fr. Petrum Martyrem de Medunio, in regentem pro tribus annis fr. Hermannum de Sobergo magistrum, in magistrum studii pro primo anno fr. Theodoricum de Busco, pro secundo fr. Mauritium ab Heimersheim, qui et bibliam et sententias vicissim legant.

In studio Salmantino et aliis studiis provinciae Hispaniae providebit reverendissimus vel capitulum provinciale.

In studio Tolosano providebit reverendissimus generalis.

In studio Lovaniensi in regentem pro tribus annis fr. Ioannem Entenium magistrum, in magist. studii pro primo anno fr. Simonem de Cameraco baccalaureum, pro secundo et tertio providebit reverendus provincialis.

In studio Neapolitano in regentem pro primo anno fr. Ambrosium de Ponte Curvo magistrum, pro secundo fr. Iordanum de Neapoli magistrum, pro tertio fr. Alphonsum de Neapoli magistrum, in baccalaureum pro primo anno fr. Vincentium de Aversa, pro secundo et tertio fr. Stephanum de Optato, in magistrum studii pro primo anno fr. Ioanpaulum de Neapoli, pro secundo fr. Stephanum de Caieta, pro tertio fr. Petrum de Nuceria, servato ordine provinciae; in studentes theologiae fr. Bartholomeum et fr. Ambrosium de Neapoli, fr. Dominicum de Nuceria, fr. Thomam de Leonibus provinciae Regni, fr. Damianum de Melita pro rata provinciae Trinacriae, et fr. Sabinum de Brundusio pro rata provinciae sancti Thomae.

In studio Patavino in regentem pro tribus annis fr. Ioannambrosium Barbavarum Mediolanen. magistrum, in baccalaureum pro primo anno fr. Petrum de Este, pro secundo fr. Sanctum de Liniaco, pro tertio fr. Sanctum de Utino, in magistrum studii pro primo anno fr. Sanctum de Utino, pro secundo fr. Camillum de Venetiis, pro tertio fr. Iordanum de Utino. In studentes theologiae fr. Philippum de Mediolano pro rata vicariae s. Petri Martyris, et fr. Theophilum de Florentia (1), quem dicto studio et conventui restituimus, si tamen causa sufficiens suae expulsionis assignata non fuerit iudicio illius, cui fuerit id commissum a reverendissimo generali.

In studio Perusino in regentem pro tribus annis fr. Matthaeum Lachium (2) magistrum, in baccalaureum pro tribus annis fr. Maurum Arrigettum (2), in magistrum studii pro primo et secundo annis fr. Petrum Fratinum (3), pro tertio fr. Thomam Nerium (4).

---

(1) De fr. Theophilo de Florentia cf. SSOP. II, 295.

(2) De fr. Matthaeo Lachio et fr. Mauro Arrigetto cf. supra pag. 333.

(3) De fr. Petro Fratino cf. SSOP. II, 203.

(4) De fr. Thoma Nerio cf. l. c. pag. 201.

In studio Mediolanensi provinciae s. Petri Martyris in regentem pro primo anno fr. Dominicum de Ast, pro secundo et tertio providebit reverendissimus, in baccalaureum pro primo anno fr. Hieronymum de Neapoli, pro secundo et tertio fr. Leonardum de Florentia, in magistrum studii pro primo anno fr. Leonardum de Florentia, pro secundo fr. Cyprianum de Hipporegia, pro tertio fr. Vincentium de s. Severino, in studentes fr. Vincentium et fr. Iacobum de Petra provinciae Regni.

In studio Cracoviensi provinciae Poloniae providebit reverendus provincialis.

In studio Barchinonensi et Valentino provinciae Aragoniae providebit reverendissimus generalis vel capitulum provinciale.

In studio Cordubensi et Hispalensi provinciae Bethicae providebit reverendissimus generalis vel capitulum provinciale.

In studio Panormitano provinciae Trinacriae in regentem pro primo anno fr. Petrum Grisaphium magistrum, pro secundo fr. Hieronymum Fazelum magistrum, pro tertio fr. Thomam Guarinum magistrum; in baccalaureum pro primo anno fr. Paulum Gallum, pro secundo fr. Eugenium de Messana (1), pro tertio fr. Augustinum de Cathania; in magistrum studii pro primo anno fr. Eugenium de Messana, pro secundo fr. Augustinum de Cathania, pro tertio fr. Ioannem Maccusium de Panormo; in studentes theologiae fr. Paulum Palazolum, fr. Augustinum Lamora, fr. Simonem de Augusta, fr. Benedictum Ferlitum, fr. Ioanpetrum Cucuza, fr. Ioannem Baptistam Pipi, fr. Thomam Celesti.

In studio Ulixbonensi et de Bello provinciae Portugaliiae providebit reverendissimus generalis vel capitulum provinciale.

In studio Montis Pessulani provinciae Provinciae in regentem, qui datus fuerit a capitulo provinciali; in baccalaureum pro primo anno fr. Simonem de Vinea, pro secundo fr. Raymundum Iannini, pro tertio fr. Antonium Marthe.

In studio Nanetensi congregationis Gallicanae providebit reverendissimus generalis.

In studio Andrensi provinciae s. Thomae in regentem pro tribus annis fr. Antonium de Criptolis (2) magistrum, in baccalaureum pro primo anno fr. Baptistam de Senis, pro secundo et tertio fr. Dominicum de Tarento; de magistro studii provideat reverendus provincialis. In studentes theologiae fr. Vincentium de Civitate vetula pro rata vicariae Romanae, fr. Ioannem de Padua pro rata vicariae sancti Dominici, fr. Dominicum de Vigiliis et fr. Vincentium de Tarento.

---

(1) De fr. Eugenio de Messana cf. SSOP. II, 270.

(2) De fr. Antonio de Criptolis (Griptolis) cf. supra pag. 299.

In studio Consentino provinciae Calabriae in regentem pro tribus annis fr. Paulum de Taberna (1) magistrum, in baccalaureum pro duobus annis fr. Nicolaum de Bellovidere, pro tertio fr. Dionysium de Sanguineto. In magistrum studii pro primo fr. Antoninum de Mayda, pro secundo fr. Franciscum de Amantea, pro tertio providebit reverendissimus.

In studio Florentino in regentem pro primo et secundo anno fr. Robertum Vannuccium (2) magistrum, pro tertio fr. Athanasium de Florentia, in baccalaureum pro primo et secundo anno fr. Rodulphum Strozzium, pro tertio fr. Barnabam Turrisianum, in magistrum studii pro primo anno fr. Barnabam Turrisianum, pro secundo fr. Calixtum de Florentia, pro tertio fr. Petrum Antonium de Florentia.

In conventu Iadrensi provinciae Dalmatiae ad legendum sententias pro forma et gradu magisterii pro tribus annis fr. Thomam de Pharo.

Commissiones.

Committimus reverendissimo magistro ordinis, ut omnem diligentiam adhibeat, quatenus inveniatur in Urbe aliqua ecclesia vel locus, qui sumptibus provinciarum illo indigentium aptetur, quo possint advenientes fratres honeste recipi, suis tamen expensis sustentari.

Committimus reverendis provincialibus fr. Angelo Bettino (3), provinciali Angliae, et fr. Ioanni de Salinas (4), provinciali Portugalliae, causam quae a multis annis vertitur inter conventus Segoviensem et Vallisoletanum provinciae Hispaniae cum omnibus dictae causae annexis et cum authoritate, quam reverendissimus generalis in suis literis explicabit.

Committimus reverendissimo magistro ordinis omnem nostram authoritatem in praemissis et omnibus aliis declarandi, interpretandi, addendi vel minuendi et omnia et singula faciendi, quae capitulum generale et nos facere possumus, prout eius prudentiae visum fuerit opportunum.

Suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo domino nostro Iulio papa tertio, qui dedit huic capitulo eleemosinam, quilibet sacerdos unam missam.

Pro serenissimis regibus et principibus christianis, et pro pace inter eos componenda, et bono statu reipublicae christianae, quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo domino cardinali de Salviatis, nostri ordinis protectore, quilibet sacerdos unam missam.

---

(1) De fr. Paulo de Taberna cf. supra pag. 303.
(2) De fr. Roberto Vannuccio cf. l. c. pag. 330.
(3) De fr. Angelo Bettino cf. l. c. pag. 338.
(4) De fr. Ioanne de Salinas cf. l. c. pag. 309.

Pro reverendissimis dominis cardinalibus Compostellano et Phanensi et aliis praelatis assumptis ex ordine, quilibet sacerdos unam missam.

Pro benefactoribus et his praesertim, qui dederunt eleemosinas huic capitulo, quilibet sacerdos unam missam.

Pro statu et reformatione totius nostri ordinis ac reverendissimi magistri generalis cum eius societate necnon pro reverendo procuratore ordinis, quilibet sacerdos unam missam.

Et ubi imponitur sacerdotibus una missa, clericis semper letaniae, conversis decies pater noster imponuntur.

Suffragia pro defunctis.

Pro anima reverendissimi domini cardinalis domini Matthei de Ursinis ex ordine nostro assumpti, qui perpetuam eleemosinam nostro generali capitulo in suo testamento reliquit, quilibet sacerdos unam missam, clerici septem psalmos poenitentiales, laici 25 pater noster.

Pro animabus fratrum et sororum nostri ordinis quilibet sacerdos unam missam, clerici septem psalmos poenitentiales, laici 25 pater noster.

Pro animabus eorum, qui dum viverent, per literas magistri ordinis recepti sunt ad beneficia ordinis, atque aliis benefactoribus quilibet sacerdos unam missam, clerici septem psalmos poenitentiales, laici 25 pater noster dicant.

Concedit reverendissimus magister generalis omnibus fratribus et sororibus ordinis, quod possint sibi semel tantum eligere confessorem sacerdotem nostri ordinis ad audientiam confessionum alias expositum, a quo possint absolvi ab omnibus casibus, peccatis et censuris, a quibus potest sua reverendissima paternitas absolvere, de praeteritis videlicet a praesentium notitia.

Concedit idem reverendissimus omnibus reverendis diffinitoribus huius capituli, quod unusquisque eorum possit recipere ad ordinem et gratias ordinis unum apostatam vel damnatum ad poenas gravioris culpae suae provinciae, et in sua provincia tantum, non tamen suspectum de fide.

Capitulum sequens, quod erit diffinitorum secundum, assignamus in conventu Avinionensi congregationis Franciae, hinc ad triennium pro anno scilicet 1556.

Datum Romae die .. maii M.D.LIII. (1).

---

(1) *In fine originalis additur:* Circa finem folii secundi lege sic : « Exceptis actu legenti magistris in theologia et lectoribus ». *Pro quibus verbis scriptum erat:* « exceptis reverendis patribus regentibus et iis qui per reverendissimum magistrum ordinis assignati forent ». Cf. supra pag. 344 l. 12.

IMPRIMATUR
Fr. Albertus Lepidi Ord. Praed. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR
Iosephus Ceppetelli Archiep. Myren. Vicesg.

Monumenta Ordinis Fratrum Praedicatorum Historica.

Quorum monumentorum haec edita sunt:

Tomus primus: Fr. GERARDI DE FRACHETO, *Vitae Fratrum Ord. Praed.* ed. REICHERT 1896.
Tomus secundus fasc. I.: Fr. GALVAGNI DE LA FLAMMA, *Cronica Ordinis* ed. REICHERT 1897.
Tomus tertius: Acta capitulorum generalium Ord. Praed. ab anno 1220 ad annum 1303 ed. REICHERT 1898.
Tomus quartus: Acta capitulorum generalium Ord. Praed. ab anno 1304 ad 1378 ed. REICHERT 1899.
Tomus quintus: Litterae Encyclicae magistrorum generalium Ord. Praed. sec. XIII. et XIV. (appendix ad tomos III et IV) ed. REICHERT 1900.
Tomus sextus fasc. I–II. *Raymundiana seu Documenta quae pertinent ad S. Raymundi de Pennaforti Vitam et Scripta* edd. BALME–PABAN–COLOMB 1898–1901 (fasc. III. sub prelo).
Tomus octavus: Acta capitulorum generalium Ord. Praed. ab anno 1380 ad 1498 ed. REICHERT 1900.
Tomus nonus: Acta capitulorum generalium Ord. Praed. ab anno 1501–1553 ed. REICHERT 1901.

Sequentur:

Tomus secundus fasc. II.: Fr. SEBASTIANI DE OLMEDA *Cronica Ordinis* ed. IUSTUS CUERVO (sub prelo).
Tomus septimus: Diversae Cronicae Ordinis (sub prelo).
Tomus decimus: Acta capitulorum generalium Ord. Praed. ab anno 1558 ad 1650 (sub prelo).
THOMAS CANTIPRATANUS, *Liber qui dicitur Bonum universale de apibus* rec. REICHERT (tom. unicus).
GUILLELMUS DE TOCCO, *Vita S. Thomae Aquinatis* una cum *Actis canonisationis integris* rec. WEHOFER (tom. unicus).
B. IOHANNES DOMINICI *Lucula noctis* rec. MERKLE (t. un.).
Fontes ad historiam reformationis Ordinis in Germania pertinentes ed. REICHERT (tom. ca. tres).
Vitae primarum sororum Colmariensium de Subtilia.
Chronik der Schwestern von Engelthal (tom. unicus).
Bullarium Ordinis Praedicatorum (*supplementum* continens acta ad provincias Germaniae pertinentia).

ROMAE
IN DOMO GENERALITIA
10, via dicta « San Sebastiano », 10

STUTTGARDIAE-VINDOBONAE
APUD JOS. ROTH BIBLIOPOLAM
33, via dicta « Kanzleistrasse », 33